

etiam Vaticanæ æmula, cæteris librorum monumentis. Superi! quantum a fama degener apparuit! Vix quadringentos codices numerat: atque hos ipsos, nullo vilius facultatis Academiæ profectui, aut admodum exiguo, si compararentur, futuros: hos eosdem tineæ, ac pulveres exedunt, vastant mures, & arrodunt, & depascitur vecors incuria: nunquam videlicet apud barbaros, & inter rudes, pretium eruditioni fuit; non secus ac Minervæ apud Anticyras. Alia, pronæ benevolentia in Cæsareum Oratorem, a Vezirio Budensi explicata signa, non abierunt ab iis, quæ a Proto-Vezirio ac Purpuratis passim impensa alibi acceperat. Ex multis equestre certamen honoris excellentissimi legati, quale Adrianopoli nuper representabatur, iterum Budæ spectatum fuit. Demum, redditis pro humanitate gratiis, post tredecim dies, itineris suspensi, quarta decima mensis Martii, inter adsonantes, tota leuca, tibia & tympana Turcarum, prævio ducentorum equitatu in *Veziriar* verâ legatio fuit, & postero die *Strigonium* allecuta. Decuit hæc adscripsisse, ut lætuosissima vrbis, arcis, & *Coruinianæ Bibliothecæ*, sub barbaris, species adpareret.

S. LXIII

Taffernerius de Lambecio, Bibliotheca Budensis reliquias remansit, inportunum silentium:

Lambecii, de habitu reliquiarum eiusdem Bibliothecæ, commentatio:

Illud mireris, nullam PETRI LAMBECCII, Augustæ Bibliothecæ Vindobonensis præfecti, mentionem fieri, quando *Budensis* illius reliquias describit *Taffernerius*. cum tamen constet, nullum, a Cæsare LEOPOLDO fuisse, *Lesæo* obuiam, ut elaborante oratore, *Bibliothecæ Coruinianæ* reliquias excuteret, ac, si se pronæ eius mercandæ occasio daret, *Vindobonensi*, Apolline propitio, inferre posset. Atque, connisus est omnino legatus, ut compotem voti *Cæsarem* redderet; sed irrito fere conatu. Rem omnem, more suo, diligentissime in litteras retulit, laudatus nunc LAMBECCIVS (L.), quam heic siluisse, nefas putamus; tamen data opera, recensuerimus alibi (M.). Demum, inquit, die tertio Martii, paullo ante meridiem, feliciter peruenimus *Budam*, & statim post aduentum, magna læritia admissi sumus ad *Excellentissimum Dn. legatum Cæsareum*. cui ego, post gratulationem, de felici, ex aula Constantinopolitana, reditu, litteras, quas a S. Cæsarea Maiestate aduleram, debita obseruantia reddidi. Itum deinde est ad prandium; quo finito, curauit Dn. legatus me solum ad se accersiri in cubiculum, indicauitque mihi, id omne, quod sibi Constantinopoli, de Bibliotheca Budensi, a Turcis esset promissum, meram esse fraudem, merumque mendacium; nec impetrandæ tantum istius Bibliothecæ, sed & vix videndæ, spem vllam superesse; omnem tamen se adhibiturum diligentiam, ut abscondi-

tus

l) Commentariorum Bibliothecæ Augustæ Vindobonensis. Lib. II. c. IX. de Itinere Budensi, quod benignissimo iussu, anno MDCLXVI. die 25. Febr.

ingressus est.

m) In Exercitatione, DE VETERELITTERATURA Hunno-Scythica, Secl. KATAΣKEΥΑΣΤΙΚΗ. §. XII. p. 44. seq.

tus ille thesaurus litterarius, mihi saltem monstraretur, si plus nequiret obtineri. *Paucis interiectionis*. Die quinto Martii, post meridiem, cum vno Ianizzaro, & famulo quodam Christiano, Turcicæ linguæ paululum perito, securitatis & interpretationis causa, in societatem adsumtis, contuli me clanculum ad perlustrandum palatium regis Hungariæ, MATTHIÆ CORVINI, maxima ex parte nunc ruinofum & foede deformatum, licet pristinae magnificentia eius satis multa, fatisque perspicua supersint indicia. Nichil vero tum mihi gratius fuit, quam videre per occultum quoddam foramen, cryptam illam, siue cellam subterraneam, in qua *Bibliotheca Coruiniana* reliquias aiebant adseruari. Quo, non absque Turcarum, qui curiositati meæ sepe ruenerant, indignatione, prospere peracto, redii ad hospitium, & mox etiam ad *Excellentissimum D. Legatum*, quem de tota re gesta, feci certiore, simul etiam vicissim ex eodem intellexi, interpretem Cæsareum, D. Henricum Iulium Woginum, aliquoties iam a se missum esse ad Vezirium Budensem, pro impetranda licentia videndæ Bibliothecæ Coruinianæ, sed cum semper cum repulsa ad se rediisse. Hinc igitur, die sexto Martii, ipse *D. Legatus*, cum apud *Vezirium* ad priuatam audientiam esset admissus, inter alia, hoc quoque negotium instanter vrsit, & tandem hoc generale, seu potius ambiguum accepit responsum; sibi, & aliis septem, quos e comitatu suo delecturus esset, mane sequentis diei, permissum iri, ut antiquum palatium Coruinianum, pro lubitu inuiserent, & contemplarentur. Proximo itaque die septimo Martii, & quidem constituta hora matutina, equitavit *Dn. Legatus* in arcem Budensem, adsumtis præter me, & *Dn. Woginum*, Illustrissimis Comitibus *Dn. Henrico Arundelio*; *Dn. Iosepho ab Herberstein*; *Dn. Georgio Sigismundo de Trautmannsdorff*; *Dn. Iohanne Carolo Pálffy*, & *Dn. Iacobo Lesæo*, fratris sui filio. Perlustrauimus deinde totum palatium regis Hungariæ, MATTHIÆ CORVINI, non absque singulari admiratione, pulcherrimi prospectus in Danubium, & oppositam urbem Pesthanam. Postquam autem peruentum est ad illam cryptam, in qua reliquæ *Bibliothecæ Coruinianæ* adseruabantur, contra omnem opinionem, facultas intrandi denegata est, hoc falso prætextu, quod ille locus, publico ipsius magni *Vezirii* signo esset obsignatus, nec sine speciali eius mandato, sub pœna capitis, a quoquam posse aperiri. Sic ergo a *Turcis* delusi, præcipua re infecta, in hospitium reuertimus. *Pergit deinde*. Die octavo & nono Martii, de uo actum est cum *Vezirio* Budensi, de videndis *Bibliothecæ Coruinianæ* reliquiis, qui cum haud obscure indicasset, veram nuperæ repulsæ causam fuisse, nimiam multitudinem eorum, qui ex legationis comitatu, contra constitutum numerum, & præter voluntatem ipsius *Dn. Legati*, per varias obliquas vias, in arcem tunc confluerant, tandem tamen promisit, se permissurum, ut *Dn. Legatus*, cum aliis tantum du-

bus

bus personis, quas secum adducturus esset; in cryptam illam librariam intromitteretur. Quo accepto responso, iussit Dn. Legatus, quam maxime illud celari, vicemque suam fratris sui filio, Dn. Comiti Jacobo Leslao demandans, præcepit, ut is decimo Martii, & quidem summo mane, ne reliquo legationis comitatu quidquam innotesceret, cum me, & interprete D. Wogino, se conferret in arcam Budensem, & an Turcæ tandem aliquando tunc seruaturi essent fidem, vltimum experiretur. Quo, secundum præscriptum ordinem, fideliter facto, inuenimus duodecim circiter, vel quindecim Turcas, in atrio palatii Coruiniani nos præstolantes; a quibus, cum satis officiose essemus excepti, reserata, sine mora est, supra memorata crypta, descendimusque in eam, dextram versus, per scalam lapideam, viginti circiter graduum. Lumen autem subministrabat vnica tantum fenestra, semicircularis, satis magna, quæ in auersa parte collocata, respondebat ianua. In hac igitur crypta, tamquam cyclopico quodam antro, inuenimus quidem celeberrimum illum & ab omnibus eruditis, tamdiu, tamque vehementer desideratum, bibliothecæ Coruinianæ thesaurum, sed nec fama, nec expectationi, respondentem. Constat enim is in vniuersum, trecentis circiter, vel summum, quadringentis libris, cumulatim in terra iacentibus, & puluerulento situ, ac squalore coopertis, vt nullum eius generis, vel foedius, vel miserabilius, spectaculum vniquam viderim. Postquam autem nonnullos, hinc inde arreptos, & ex foetore protractos, aperuimus, statim apparuit, plerosque eorum esse impressos, & exigui, aut nullius fere pretii. Neque vero dubitandum est, quin ipsos Turcas, arcani huius detecti, puduerit, nec alia fuerit grauior causa, cur iidem in concedenda illius loci licentia, adeo se præbuerint difficiles. Ceterum, ne labor noster, camerinæ illi impensus, omni prorsus careret compensatione, haud grauatim nobis permissum est, vt ex paucis codicibus manuscriptis, quos impressis libris, permixtos obiter inspexeramus, seligeremus tres, & ad perpetuam rei memoriam, nobiscum auferremus. *Hæc* *Genus* LAMBECVS. Recenset postea tres illos codices. quorum primus erat membranaceus, in quarto, vt vocant, maiori, continebatque S. Gregori Nazianzeni Sermones apologeticos nouem, e graeca in latinum translato; secundus erat membranaceus in folio, continebatque S. Augustini sermones de Verbis Domini; tertius denique erat chartaceus in quarto, continebatque Iohannis Episcopi Quinqueecclesiensis, qui tempore Regis Hungariæ MATTHIÆ CORVINI claruit, POEMATA quædam latina miscellanea. Hæc LAMBECVS: digna sane relatu, vt constet, quam inique, cum *Coruiniana Bibliotheca*, toto decantata orbe, sub barbaris actum sit. Alioquin, *Buda* præfectum, Christianis parentibus genitum, habentemque adhuc, ex prima institutione, bonæ mentis scintillam, penitus hærescentem, egregiam, dum *Budæ* moratur *Leslæus*, *Cæsari* nauauisse operam.

præfecti
Budeabís,
erga rem,
Cæsari,
propensio.

WAGNE-

WAGNERVS (n.) auctor est. Gliscebant, nimirum, per Hungariam, iam tum, nouarum rerum studia, odio, in LEOPOLDVM stimolata. Hæc ille, non retexit modo legato, sed suppeditauit etiam, consilia, quibus vteretur CAESAR, si fida pace vti vellet.

§. LXIV.

Vltra lustrum, pax processerat, sicuti minus tuta nostris, ita *Buda* lucrosa, quam ciues quidem mercatibus, præsidarii, susceptis procurtionibus, solerter in rem suam vertebant. Cruentæ, in primis de finibus lites, superbos fecerant *Budenses*; dum missis vtrinque arbitris, temporaria conciliatione disputarentur. Importune autem euenit, vt *Franciscus I. Rákóczius*, eorum, qui perduellionem meditabantur, fere primipilus, cum turmis, in Turcicos limites, impressionem faceret, & concitatis in arma *Hajdomicalibus* oppidis, editaque late strage, captiuos, veluti medio bello, abigeret. Eam temeritatem, an destinatam malitiam, vlturi erant *Turcæ*; nisi eos *Cretensis* expeditio distinuisset. Acerbe interim *Buda* præfectus, iniquum facinus tulit, & qua minis, qua limitibus, sua hac ora, violatis, indignationem prodidit. Atque sperabant sane, qui inuisum habebant *Cæsarem*, *Hungari*, fore, vt hac iniuria prouocatus *Vezirius*, abscessa pace, valido cum exercitu, in *Hungariam* moueat; quod si esset, ex facili euenturum sperabant, vt *Turcicis* copiis adunati, destinata eo facilius exsequantur. Non latuit, sagacissimam aulam, exitiabile institutum. Igitur, in *Rákóczium* quidem, & *Hajdomes*, graues poenæ decretae sunt, si pergerent *Turcas* lacessere; ad *Budensem* autem purpuratum, *Hoffmannus*, missus est, qui excusaret, iniquum facinus; captiuos, sine pretio redditum iri, polliceretur; nec defuturas turbatoribus poenas, nunciaret, planeque adsumaret, in officio postea continendum, lubricum & mobilem *Rákóczium*. Passus se demulceri præfectus, non tam suapte ingenio, quam quod norat, aliorum *Sultani* vires conuersas esse. Ergo, herciscundis finibus arbitri dati; limitanei autem milites, ne quid hostile tentarent in posterum, vtrinque, admoniti sunt seuerius. Hæc, ad annum fere MDCLXX. *Buda* gesta sunt. Interim *CAESAR*, ne incauto sibi vicem redderent *Turcæ*, duodena millia, tutandis, si quid ingrueret, finibus, imponenda censuit. Prouide hæc siebant omnia; haud tamen caueri potuit, quin latius serperet, coeptum, a *Nádasdio*, *Zrinio*, & *Frangepanio*, nouandarum rerum studium. Quod, dum consilio & vigilantia, *LEOPOLDVS* opprimit, apud *Turcas*, *Perisii* legati opera, largitionibus partem, partem mutui officii significatione, id efficit; vt acrioribus editis, prohiberentur limitaneorum militum præfecti, ne nouaturientium rebus, siue consilio, siue ope (o.) velificarentur. Itaque, eadem

TOM. III.

A a a

hac

n.) Libro III. p. 187. Fueritne *Imad*, cuius characterem supra dedimus, aut huius vicarius, incertum nobis est.

o.) Fufe, in describenda eius temporis calamitate, WAGNERVS, in Hist. LEOPOLDI M. Lib. III. post medium, versatus est.

Budensi.
vni inde
fortuna
laetior:

Francisci
I. Rákóczii,
in hostibus
impressio,
præfectum
Budensem
in vindi-
ctam pro-
uocat:

Cæsaris;
circa causam
providen-
tia:

novarum
rerum stu-
dia, caueri
nequeant;
limitaneo-
rum im-
pressiones
coercentur,
Budensi-
um in pri-
mi.

hac feueritate, coercitum *Budensem*, quiescere tantisper opinamur; dum, exferendi in Christianos odii, pronior, & cessante suorum rigore, innocentior, ad inferendas iniurias, occasio se daret. Certe enim, alia omnia breui post, apud *Budensem* facta fuisse, WAGNERVS (p.) ad annum MDCLXXIV. auctor est.

§. LXV.

Tököli
fudio, &
Budensi
praefecto,
adiuta:

Tmultuabatur postea *Hungaria*, hinc Turcis, Transiluanis illinc, in belli societatem, excitis. Hungarorum dux, *Emericus Tököli*, diu multumque, cum Caesarianis colluctatus, tandem, non copiarum modo suppetias, sed instrumenta etiam belli, quin, nescio, quid umbratica dignitatis, a *Budensi* praefecto, implorat, facileque impetrat. *Rákóczi* viduam, nec quidquam contraeunte *LEOPOLDO*, nouus regulus duxerat, fortunæ, quam hucusque fatis habebat propitiam, noua praesidia comparaturus. Tunc vero, *furialibus* *tadis*, verba WAGNERI (q.) recitatus, *instinctus nouus maritus*, *Budam* proficiscitur; disposito in armis toto praesidio, adsonantibus tormentis, a *Bassa*, regium in modum accipitur; frequentissimo in senatu, orationem habet, qualis potest esse, a proditore omnium, qui unquam fuerunt, perditissimo. Aduenisse, ut se, ac suam nationem omnem, magni Domini, tributariam faciat; eo euasisse Germanorum tyrannidem; leges sacras, libertatem, ita protritas, ut in Sultani denique sinu, in *Ottomannici* denique umbra imperii, adquiescendum Hungaris, aut pereundum. Adplausere, praclaris consiliis *Turcarum* capita, qui ad consultandum late conuocati fuerant. *Bassa* vicissim *Hungaris*, non securitatem modo; sed, liberam, si videretur, noui regis electionem stipulatur. idoneam nimirum, *Tökölio* illaqueando, escam. Nouo regi, praeter quadraginta aureum millia, commeatum ac annonam, pro *Turcico* milite, non aliud praestandum fore. Admouendas autem quantocumque operi manus; nulla habita ratione induciarum, *Cassouiam*, ac superioris *Hungariae* loca reliqua, ab *Germanis* expurganda; viginti *Turcarum* auxiliarium millia in procinctu stare, quae, si totidem *Hungari* se adiungant, confectam rem esse. Rebus, in hunc modum, venustissime nempe, compositis, pellibus, armis, vestibus donatum hominem, dimittunt. *Buda* redux, *Munkatlium*, noui regis sedem, datales alias arces, omni belli paratu, solerter instruxit. Haecenus ille. Nimirum, vix quidquam, siue extero bello; siue domestica seditione, gerebatur in *Hungaria*, quin *Buda*, regni olim columnen, in partem conflatu sceleris veniret. *Tökölium*, *Botskaii*, credo, inductum exemplo, illuc accessisse; sed neque ea, qua ille, vsum moderatione, neque successu aequo prospero. *Botskaius* enim, e campis *Rakos*, Carponam, ad suorum comitium redux, seriam, de pace consultationem, suscepit; *Tökölius* contra, *Pergama* sua repetens, infinitarum postea cladum, dux & auctor

vise Budam
aduenit;
& oratio:

Turcarum,
erga homi-
nem su-
um:

Buda, ma-
lorum Hun-
gariae, offi-
cina:

itineri Tö-
köliani,
maligni-
tas.

p.) Libro iv. p. 336, seq.

q.) Libro viii. p. 571.

ator exstitit. Id in primis in *Budensi* hoc itinere damnaueris, quod a *Saponara*, Caesaris legato, ad saniora reuocatus consilia, nihil non placidi pacatique promiserit; sed sponderit etiam, operam se daturum, ut, & inducias, cum *Turca*, Caesari adfirmet prorogetque; & se ipsum barbarorum rationibus, quibus fuit innexus, expediat. Quorum ille quidem, neutrum praestitit; quin potius, errorem, quo fuit ablati in praecipitia, cumulat. quæ iam, non est vestigandi locus.

§. LXVI.

VT bellum *Turcicum*, quod amoliri, missus *Constantinopolim* *Albertus Caprara*, nequiuerat, foedissimæ instar tempestatris, ingruit; solerter egit *Buda*, quod, seu iuuandis barbarorum, seu perdendis Christianorum rebus, idoneum existimatum est. Nempe, incursionibus, abactis praedis, laessitis arcibus limitaneis, nihil *Budenses* fecere residui; dum ad obsidendam *Viennam*, totius orientis vires excitæ, illuc proficiscerentur. Ibat, in eandem militiam verbis praefectus, non tam sponte sua, quam adductus necessitate. Damnabat enim, tanti, & moliminis, & periculi, expeditionem. quæ quod male cessit, eius postea supplicio, emendatum voluit *Vezerius*, infelix oppugnationis moderator. Amoliendam, scilicet, male gestæ rei culpam a se volebat. Ergo, adfricandum, fortissimis quibusque viris, crimen fuit, quasi qui tantorum malorum, auctores exstissent. Diserte WAGNERVS (r.): *Budam* adpulsus *Vezerius*, primum omnium curat, ut sibi placaret *Sultanum*, *Belgradi* tantisper, dum imperii sedem *Viennam* transferret, dimoratus, infelicis nunciu *hainulum*, parum abest, quin pugione confoderet. Et *Sultanus* quidem, ad eum modum, funestum, de suorum clade tabellarium accepit. *Vezerius* contra, ei deliniendo, *Budensem* in primis, acerbissimum inimicum, tollendum sibi e medio statuit. *Budensis* is erat, qui & hoc oppugnatione *Viennæ* consilium semper damnarat, neque *Tökölio*, perditio homini, & fanatico, fidem habendam censuerat: ac, quod inde consequitur, in rebus, quas improbaret, nec acrem se admodum, nec feruidum monstrarat. Præterquam, quod militarium verum egregie peritus; quid in tota expeditione peccatum, vnus optime intelligeret; *Sultani* sororem habebat in matrimonio, multaque, apud *Validam* matrem, ac *nigrorum* *Eunuchorum* principem, gratia valebat. Hæc fuere, criminum illa momenta, quæ *Budensis* capite mox luit. Atque poterant omnino, constare hinc criminationes, longe omnium acerbissimæ, apud militare vulgus, non item apud *Sultanum*, cædem summi viri, quomodocumque excusasse. Pergit WAGNERVS: *igitur*, ut *validissimi* accusatoris se metu liberaret *Vezerius*, securi hominem percussit; simul totis castris euulgat;

Budensi-
um cons-
moto ite-
rum bello,
inquis:

praefecti,
dam ad ob-
sidendam
Viennam
iterum,
aquis:

Vezerii ad-
uersus eum
accusatio-
nes:

capite mi-
serum:

Δαδ 2

ui-

r.) Loco citato.

videntia, Ottomannorum imperium perditum, quam Viennam Vezirii gloriae adiectam, videre maluerit; nullis unquam mandatis obtemperarit; montium aditus, & angustias occupare neglexerit; fugiendi initium primus fecerit, tam execrandae perditionis reum, tot scelerebus contaminatum caput, vivere non debuisse. Non est nostrum disputare, iure, an iniuria, necatus sit Budensis. Vezirius certe, hac seuitie, adeo nihil profecit, ut exasperarit etiam, pessimam ex se, fortunam. Namque viduae Budensis, matris item Sultani, atque Tokölii, quin totius, quae superabat, Janitscharorum phalangis, accusatione grauatus, ad feralem zonam, quae iniquissimas fauces praefocaret, condemnatus est. Atque, ille quidem Kara Mustapha Vezirii exitus fuit, dignus profecto, tyrannide hominis, qui, & inducias, nefario bello violarit, & sanguinolentissima expeditione suscepta, plus, centum mille homines, in necem dedit.

§. LXVII.

Vindicato, post Párcanensem pugnam, Strigonio, aditum sibi struxerat Lotharingus, summus Caesarianorum dux, ad Budam, sequuturo anno, oppugnandam. Praecepunt id animis barbari: ergo, & praefectum urbi, Keremetz Bassam, virum acrem atque militarem, imponunt, & tantum comiteatus, instrumentique bellici ingerunt, quantum tolerandae, etiam diuturniori obsidioni, suffecturum existimabant. Inierat annus MDCLXXXIV. cum, senatus bellici consulto, Buda oppugnatio decernitur, resque omnis, Lotharingie Ducis, virtuti ac prudentiae, commendatur. Simul ver adoleuit, in bellum itum est. Et Schulzius quidem, cum octo millibus, retundendo Tokölio, in superiorem Hungariam; Lesleus, cum duodecim millibus, in Sclauoniam, ut illic hostes distineret, missi sunt. Lotharigo, duo ac vicena peditum, tredecim equitum millia, destinantur. Cernebat, vir bellicosissimus, tenuiorem multo futurum exercitum, quam qui tantae molitioni par esset. Sed, quod, & causae meliori consideret, & superioris anni fortunam recordaretur, haud cunctandum ratus, Calendis Iunii, adtributas sibi legiones, ad Nitrie amnem, cogit; tandem, acceptis in castra, provincialibus Hungaris, Strigonium mouet. Defluerat huc iam tum, ingens, ad expeditionem, adparatus. quo, cum impedimentis, & legionibus aliquot, isthic relicto, Vissegradum, obicem, destinationi haud dubie positurum, expugnandum statuit. Successit coeptum. nam oppidum quidem, violento adfultu, arx deditone recepta est. Dum haec ad Vissegradum, ex sententia Ducis fiunt, praefectus Budensis Keremetz, cum octo millibus, suppetias Vissegradensibus laturus, Buda eruperat: cumque destinata exsequi haud posset, Strigonium vsque procurrat, si quid forte praecleari operis, illic edere liceret. Ac, mille quidem equites Turcae, ad primas vsque stationes, per opportuna vallium pro-

currentes, non ante aduersi sunt, quam se lopis res gerere occiperent. Tunc vero concurrere nostri, & hostem reicere. Pugnatum est utrinque acriter, sed maiore, primo nostrorum strage; donec, fracti Germanorum constantia, barbari, pedem referre coeperunt; victoria, qua se potitos rebantur, Caesarianis relicta. Haec, a Budensi gesta sunt. Superabat, post captum Vissegradum, altero Danubii latere, Vaczia, episcopale oppidum, infessum autem a Turcis. Id quoque, intercipiendum suadebant belli rationes. quod demum, iusto praelio, & insigni, de hoste, victoriae, occasionem fecit: sicuti dictum a nobis suo loco (s.) est. Oppidum certe, in nostrorum potestatem concessit, magna tunc quidem exercitus commoditate, si benigniorem se, ad Budam, fortuna Caesarianis praeuisset.

§. LXVIII.

Difficultatibus, quae se obiecerant, in eum modum superatis, Pestum, desertum ab hoste, & fumans adhuc, Lotharingus insideri iubet: ipse, habito, cum ducibus legionum, senatu, quorsum tantillum verterent exercitum, serio consultat. Haud deerant, qui referre pedem, & relictum a tergo Uyuarinum obsidendum suaderent; cum cognitum esset, tantam urbem, tot nostrorum cladibus nobilitatam, nunc vero, selectissimo milite, machinis bellicis tercentis, munitam, neque non, omni bellico adparatu instructam, non secus ab irato hoste, defensum iri, quam si, pro Byzanti muris, dimicandum esset. Accedebat, transmittendi annis, non vna difficultas: nam, & sternendus erat pons, & superandus, in exercitus Turcici conspectu. Sed, quia indecorum, ac prorsus ad foedandam expeditionis famam, pertinuisse videbatur, si tam longe progressi, nec tentata urbe, exercitum reducerent: insilendum coeptis, statuunt. Addebat, ingens sententiae pondus, Caesaris, propensa ad obsidendam urbem voluntas, cui non obsecundasse, crimen futurum erat, vix vlla excusatione diluendum. Igitur, iacere aleam placuit, quomodocumque ceciderit: casuram autem optime, spondebat quodammodo, militis feruor, vincere adfucti. Deligitur mox, contabulando ponti, idem ille locus, qui superiorum expeditionum tempore, traiectum nostris praebuit, tutum non minus, quam opportunum. D. Andreae insula fuit, densis arbutis obsita, atque arenarum colliculis passim impedita; ideoque pediti ad transeundum commoda, hostili autem equitatu imperuia. Instructis pontibus, VII. Idus Iulii, peditatus, equitatus postredie, nec aduertente hoste, geminum amnem, superauit, callis, prope ad D. Andreae oppidum, ea prouidentia positus, ut sinistrum quidem latus Danubius, dextrum, siluosi ac fere inaccessi montes, frontem, imperuia palus, praecingerent. Nondum equitatus omnis, traiecerat, cum hostes, sole ultra meri-

Aaa 3

diem

s.) Supra, in HISTORIA VACZIAE, §. xv. p. 141.

iure. an iniuria:

Vezirii supplicium.

Strigonio septa:

Buda oppugnatio. Lotharigo mandatum:

quibus utitur equis?

ongit exercitum:

Vissegradum caput:

Budensis milites, ad Strigonium inuadit:

et relictur:

Turcae, ad Vacziam ingenti clade adfucti.

Pesto insula, cum de belli sinistram orientem sententiam:

Buda obsidenda statuitur:

instruitur in Danubio pons:

traiectus initium sequitur:

Turcæ,
cum vigin-
ti mille e-
quitibus,
nostros ad-
ortantur:
adgressio
ratis:

in fugam
coniciuntur
a no-
stris:

nona ho-
stium in
nostros im-
pressio:

rescinditur
iterum:

tertium,
in nostros
immit-
tur Turcæ:

cum clade
repulsi:

ultima ad-
gressio for-
titer pro-
pulsatur:

castrorum u-
trinquo
numerus:

Lotharin-
gi equus,
gladio, si-
ne sefo-
rit noxa,
trahitur.

diem protracto, in conspectum se dant: viginti millium equitatum fuisse, duabus *Janitscharorum* legionibus, a tergo, intra ruinas templi, excubantibus, constans postea fama fuit. Obstabat palus, quam diximus, quo minus exporrecta acie, in nostros potuerant inuchi. Ergo, fesso bifariam exercitu, sublatoque incondito clamore, in sinistram cornu, efferatis similes, irruunt. Accepere eos, stationarie nostrorum cohortes, masculæ, quodque angustiore loco, intra Danubium, & paludem depugnandum erat, eo successu, ut manuariis non minus, quam currulibus tormentis, repressus hostis, in fugam coniceretur. Missæ, ad insequendum, quatuor *Lubomerskiana Polonorum* alæ, ad bis mille passus barbaros, repressere: ne prouherentur altius, insidiarum metus obstitit. Vix hi redire coeperant, cum agmen hostium alterum, nullis seruatis ordinibus, in dextrum cornu, incurrit, ea vehementia, ut perrupturum metueretur, nisi continenti machinarum displosione, hinc quoque fuissent submoti. Dum ad hunc modum, utroque cornu dimicatur, succedit equitatus, atque *Lotharingo* iubente, secundariam, post peditum ordines, quin & tertiam aciem, tempestiue instruit. Turcæ interim, qui ad montis pedem, dextrum cornu adorti fuerant, indeque reiecti, ardua scandere, & illinc illabi in nostros, iterum suscipiunt. Futura sane erat damuosa, per obliquum latus, subita hæc adgressio, nisi *Stabrenbergiana* legionis cohortes, ad montis radicem, intra dumetum, in insidiis collocata, irruentem cæco impetu hostem, emissa glandium procella, mature perturbassent: *Schultziani* autem desultores, occupato, sub idem tempus, siluoso, qui nostris imminebat, colle, auxiliares eorum turmas, in partem aduersam, egissent præcipites. Quo viso, *Seraskierus*, florem equitatus, in nostros immittit, ut, quam possent, acerrimo impetu, per leuam alam, perumperent. Fecerunt illi quidem mandata; verum, quod cunctim a *Casarianis* obsistebatur; reliquus autem exercitus, summa festinatione, per subsidiarias acies, ad eum modum instructus iam fuit, ut laborantibus facile potuerit succurri; tota ea adgressio, non modo in irritum cecidit; sed turpi etiam fuga, terminata est. Hostium, tercenti vniuersim cæsi, e nostris, triginta plus minus, desiderati sunt. In his, *Comes a Vehlen*, magnæ spei adolescens, *Dünenwaldiana* legionis sacerdos, & volonum aliqui, quos, infestandi hostis libido, longius prolicuerat, censi fuerunt. *Lotharingum* equus, quo vehabatur, traiectus, humi strauerat, sine noxa tamen: quod præsto erant, qui lapsum releuerent. Leuo is cornu, cum principe *Salmensi*; dextro, *Caprara*, cum *Ludouico Badensi*, moderabatur.

§. LXIX.

Quid inde
occeperint
Casariani:

PRælufum, tumultuaria hac pugna, obsidioni fuit. Atque, eo quidem die, *VI Idus Iulii* erat, iisdem se castris miles continuuit. Altera post luce, conuulsis signis, profectio suscipiebatur.

tur, qua visa, *Turcæ*, intra montes se receperunt. Milliaro adhuc *Buda* aberant nostri, cum castra iterum metari iubentur. Illi hic, dies sequens exactus, recreandoque militi datus est; acceptis intra castra, quatuor mille Hungaris. Superata demum, tertio *Idus Iulii*, palude, *pridie Idus*, in conspectum vrbs, cum exercitu, ventum est. Monstrauerant se aduentantibus, equitum alæ quædam, sed quæ, non expectatis nostris, disparuere. Nondum pedem fixerant *Casariani*, cum hostes, superiores thermas, & contiguam eis molam, ad castelli modum, turritis mœnibus, communitam, deserunt. Hic ergo, collocatis stationibus, equitatus quidem, per edita collium, pone *Danubium* peditatus, castra temporaria, metatus est. *Positis* demum, aduersus inferiorem urbem, duobus suggestibus, mœnia verberari coepta sunt. *Tridui* spatium, deiiciendis muris insumentum fuit, eo successu, ut gemino loco procumberent. Hostes interim, intra urbem non minus, quam extus, nihil non intentatum relinquere. Stationem ii, sinistro *Danubii* latere, occupauerant, infestandis obsessoribus, perquam idoneam. Ergo, ut hinc deiicerentur, *Parellio* negotium datum est. qui demum, noctis vsurus silentio, facta excensione, adoritur nec opinantes, sed maiore propemodum iactura nostrorum, quam quæ edi poterat, in concursante ad arma hoste. Interit ea adgressione, comes *Altheimius*, cum gregariis quadraginta; *Gronderius* autem, e *Lotharingi* familiaribus, insignis volo, lethali vulnere saucius, in castra relatus est. Hucusque, temporariis se castris, nostri continebant. Proinde, ut in opus incumbi posset, mulro, quam hucusque, pertinacius, pars exercitus maior, superato monte, *XV. Cal. Augusti*, vrbi, ea regione, qua *Albam Regalem* prospicit, se circumfudit. Adhuc metandis opportune castris, intenti erant *Casariani*, cum ab excubiis nunciatur, numerosum hostium agmen, itinere *Albenfi*, per colles se ostentare. Nec mora, obuiandum hosti Dux statuit. Procurrunt legiones aliquot, enitunturque in colles, qui eidem illi itineri, quo se monstrauerat hostis, imminebant; neque obseruant quemquam. Morandum tamen eodem loco aliquantisper, duces rebantur, ut, quid ocepturi essent barbari, cernerent. Tunc vero, flexo itinere, ad *S. Gerhardi* montem *Turcæ* se retrahunt, tribus admodum millibus, in vallem, velut ad pugnam nostros vellent prolicere, delapsis. At enim, dimissa confligendi, quæ se datura erat, occasione, concitatissimo cursu, in urbem se flumentancam iniiciunt, enitunturque, ad nostrorum vsque, vix dum cepta, militaria opera. Illi hic demum, facta tripartito, cum præsidiariis, eruptione, in nostros irruunt, reiectos, ad molam vsque pulueris pyrii, non sine insigni strage, propellunt. Res erat trepida, ac fere ad internecionem spectans oppugnantium: nisi *Beckius*, protribunus, cum subsidiariis cohortibus, barbaris se mature obieccisset, posteaque, pedem referentes, *Bugnoi*, quatuor cohortes, clade edita, intra ruinas repressissent. *Occubere*, inquit *WAGNERVS (t.) per eum tumultum, præter gregarios*

castra in
urbem con-
spicitur po-
nitur:

maris vr-
bis sumen-
tanea ver-
berare inci-
piunt:

clauduntur
ab exercitu
vrbs cir-
cumqua-
que:

hostians
stragemat:

Casaria-
norum
strages.

permultos, quindecim omnino praefecti. Adeo iam tum, mala fortuna aduersari undique, & se obicere, velut ipsa hac initii calamitate admoneret obsidentes, quam inauspicato, in hunc scopulum impacti essent. In obsidionis ephemeridibus (u.), ducentos e gregariis, e ductoribus autem cohortium, Hohenzollerum, & Fürstenbergium comites, Carleuiziumque, desideratos, Stahrenbergium vero protribunum, conuulneratum fuisse, reperio.

S. LXX.

Instauran-
tur adgre-
ssionis ope-
ra:

docornitur
adulatus:

est ratio
& successus:

Instauratis, festinato opere, suggestibus, quos hesternae eruptione, hostes fere deraferant, iterum tormentorum pilis muri, iisdem locis, ubi procubuerant, quaticbantur, vt adsilientibus, laxius paterent ruinae. Scilicet, ne tantillo successu, hostis fieret confidentior, collatis sententiis, adsilendum vrbi, duces constituerant. Ea prouincia, Scherffenbergio & Thimmio, tribunis, Tillio atque Archinto protribunis, e lenatus militaris consulto, obtigit. Additi, plus mille (v.) Hungari pedites, qui superatis ruinis, longius illud suburbium, expilarent. Ergo, die in vesperam inclinante, muralibus machinis, res, aduersus obturatas moenium fissuras, strenue iterum iterumque geri coepit: corpora interim curantibus, expedientibusque arma, qui moenia erant subituri. At duces, ne quid inauspicato fieret, montem conscendere, Viennensi obiectum portae, vt inde adsilientium virtutem spectarent, emendarent errores, accenderent subsidiarias cohortes. Incunte demum crepusculo, Stahrenbergius, Viennae propugnator, adfultus signum dari iubet. quo, semel iterumque repetito, tanta alacritate, procurere nostri, vt ante succederent muris, quam pedem loco mouisse credidisses. Primam adgressionem, Aftius Baro, impauidi animi centurio, &, quo nemo, edendi facinoris cupidior, cum volonum & pyrobolarum manipulo exorsus, tametsi peruicacissime obluentantes hostes offendisset, in ruinas tamen, opinione celerius, enisus est. Subibant e vestigio Hungari, vt deiectis propugnatoribus, oppido potirentur. Inde Tillius, cum peditibus quadringentis imminchat, altera ruinarum parte, perrupturus. Acre vbique fit praelium, sed nusquam impeditius, quam ad portam, Danubio adfinem: pertundendae enim dolabris erant valuae, Callenselfio subtribuno ductante. Sed, quod crescebat nostrorum, ipso periculo, ardor, extusa porta, heic quoque perrumpitur. Animabant pugnantes, Thimmii cohortes quatuor. quae ad nutum intentae, proxime instabant: quin, & ala dextra, in promptu erat, claudebatque adsilientes explicatis ordinibus. Hac extus prouidentia, & pugnantium intra ruinas contentione, fracti hostes, relictis stationibus, diffugiunt, &, qua

u.) Prodiere Francosurti ad Moenum, germanice, forma quadripartita, sub titulo: Genuina Budae descriptio.

quas plerumque, iuxta WAGNERVM, & Nostrae alias, sequimur. v.) WAGNERVS, quingentorum meminit.

quemque, seu ferebat fors, seu metus raptabat, foede dilabuntur. Tum vero, confuso pugnae genere, vti habet WAGNERVS, armati, inermes, per vias domosque, caede promiscua, obtruncati; ceteri, in superiorem urbem profugi, atque a gubernatore, ne vna hostes irrumperent, exclasi, duo facile millia, ac ducenti, intereunti sunt, non adnumeratis, quos ferri metus, in aquas adegerat. Ad proliciendos e casis, hostes, tum victorem militem, ab direptione, ad opus reuocandum, Ducis iussa, flammis tectis iniecta, & ad eam lucem, per reliquum noctis, lorica, aduersus depluentes ex vrbe pilas, sublata est. Verum, non prouidentia solum nostrorum, sed hostium etiam inuidia, ignes vrbi subditos, ephemerides memorant; ne praeda potirentur victores, quae, & varia inerat in vrbe, & diues. Decies subiecti ignes, difficulter exarsere, dum nocturnus aquilo, sufflaret incendium: ad cuius late sparsum lumen, perpetuis tormentorum dispositionibus, impetebantur, conferta, fugientium in superiorem urbem, agmina. Ac cecidere sane, intra portae aditus, permulti; plures, qui per montis latus, pedibus manibusque, arcem subire enitebantur.

S. LXXI.

Felici hac vrbis flumentanae expugnatione, mirum, quantum fuerint erecti, in spem optimorum successuum, Caesariani. Diem sequentem, fumantia vrbs rudera, non nostris modo, sed hostibus etiam, inutilem fecere. Ergo, cum hac regione, nihil tentari posset, repurgatum a Turcicis excubiis, an subessoribus, montem S. Gerhardi, nostri occupant, eductisque, loco eodem, quo facellum positum fuit olim, suggestibus, operas militares, ista quoque vrbs regione, exordiuntur. Admota mox propius castra fuere, vt circumclusi hostes, arctius possent contineri. Eam destinationem, impedituri Turcae, magno numero, nec minoribus animis, in metantes erumpunt. Accipiuntur a nostris mascule, repellunturque intra moenia, haud sine clade, qui tamen congressus, sicuti funestus hosti, ita, haud incruentus nostris exstitit. Cecidere nimirum, cum varii ordinis gregarii complures, tum Comes Stahrenbergius, legionis Mansfeldiana, strenuus centurio. Tunc vero demum, designari adgressiones, erigi, idoneis locis, suggestus, adtrahi tormenta, adtribui ducibus imperia, Lotharingus voluit. Et, adgressio quidem duplex instituta est, ad Viennensem portam altera, altera ad Albaregalensem. Vtraque, contra urbem destinabatur. Nam arcem, tormentis adgredi, non minus laboriosum, quam inutile videbatur: tum, ob multiplicium munimentorum velut Labyrinthum quendam, tum ob arduum molis positum; quodque tenuiore praesidiariorum numero, defensari; contra, sine cumulatione nostrorum iactura, vix tentari posset. Ac Viennensi quidem portae, Maximilianus Stahrenbergius, cum Fontana, & Neoburgico, collegis, incubuit; ala dextra, hac regione militante. Con-

Lotharingus, Seraskirius, aperto Marte, adori fiatuit:

tra, *Albaregalensi*, Dux *Crojus*, *Pareilla*, & *Scherffenbergius*, cum ala sinistra, imminebant: vniuerso denique operi, *Rudigerus Stabrenbergius*, Lotharingi legatus, moderabatur. Laborum primus fuit, uti, agger, a peditatu, castris circumduceretur, adaperirentur vix obfidionales, ac tuta expeditaque, oppugnantibus essent reliqua. Quae cum sunt, aurem in primis Duci vellebat, reddebatque sollicitum, proximus, ad *Hafchanbeckum*, Turcarum exercitus: ne forte, obfidionalibus distentum operis, improviso adoriatur. Igitur, habito senatu, equestri adoriendum pugna, decernit. Itur, nocturno tacitoque itinere, in hostem, sesqui milliari *Buda*, disiunctum. Nondum aurora, ultra diluculum progressa fuerat, cum in duas, stationariorum Turcarum legiones, incidunt proficiscentes; sed, quae ne conspectum quidem nostrorum tulere. Instat fugientibus *Lotharingus*, tum demum militem subsilire iubens, cum metantem supra colles *Seraskirium*, luce iam liquidiore, conspiciat. Is vero, intellecto, nostros adesse, quod toto se exercitu pcti credebat, pedem aliquantum refert; mox, cognita hostium paucitate, aciem sedulo instruit, pugnae facturus potestatem. quod dum agit, duo equitum millia procurrere, nostrosque lacessere iubet. Fit ergo prima velitatio, cuius opportunitate Dux vsus, struit & ipse aciem. Duo admodum millia peditum adduxerat, quae cornu vtrique scite interserit. Dextrum *Salmenfis*, cum *Taffio*; sinistrum, *Badensis*, ac *Mercyus*, moderabantur. Illic *Syrumbii*, & *Magni*, dimachae; hic *Schulziani*, & *Sabaudici*, latera communicabant. Iam, ad iusti praeli modum velitatio inualuerat, subeuntibus nouis barbarorum turmis; cum *Lotharingus*, laxata acie media, exemitisque inde equitum alis, cornu vtrumque, ne perfringeretur ab hoste, tempestiue obfirmat: locus fuit, ad confligendum cum multitudine per quam idoneus, modica nimirum, inter Danubium & confertos a dextra, colles, planities. Occurritur hic hosti, densatis iterum ordinibus, tantaque nostrorum virtute, ut semel, atque de nouo, summa incumbentem vi hostem, cum clade reicerent. Immissi in fugientes *Poloni*, cum tergis hostium haesissent iusto pertinacius, a conuersis subito *Turcis*, haud sine strage, reprimuntur, coniectique in fugam, parum aberat, quin perturbarent primam nostrorum aciem; nisi dato fugae spatio, maturius intra subsidiarias turmas, fuissent recepti. *Polonorum* hac temeritate, prouidentiores facti *Germani*, aciem diligentissime consolidant, ut, vel solo eius obtutu, terreretur hostis. Tunc *Seraskirius*, ad dolum conuersus, *Amurathis* exemplo, tercentos fere camelos, a peritis fessoribus, concitato gradu, aduersus sinistrum cornu, inuehi iubet; turbaturus, uti rebatur, incursum bestiarum, nostrorum ordines. Ac profecto, parum aberat, quin inultato terriculamenti genere, dissolueretur acies. Proinde, currules partim, partim manuaris machinas, in bestias primo omnium, deinde, quod non cessarent pergere, in rectores, dispodi iubet *Lotharingus*. quibus deiectis, stupuit camelorum agmen; mox, vnus bestia,

acii nostrati factus:

pugna ratio:

Seraskirii commouit:

irritum redduntur:

fratocenus, a primipilis prehensae abductaque, grex reliquus, velut velligia legens, intra ordines, ridente milite, acceptus est. Strategematis successu frustratus *Seraskirius*, inter retrocedendi, & inuadendi nostros, consilia, in acie aliquantisper confiliiit. Tunc vero, cunctantem, ingentibus animis nostri adoriuntur. Media acie, *Germani* pugnant fortissime, dum *Hungari*, mirifica prorsus virtute, alam vtramque perfringunt. Factum ea re fuit, ut equitatus, quo in primis valebant *Turcae*, opinione foedius celeriusque, in apertam fugam effunderetur; conciderentur bis mille *Iamtscharii*; atque *Seraskirius* ipse, cum a fuga retentaret suos, propemodum interciperetur. Praecipua, in prosequendo hoste, *Hungarorum* fuit opera: quos *Ludovicus Badensis*, cum *Götziensi* & *Sabaudica* legione, sustentabat. Genus victoriae inusitatum prorsus; & quodammodo illi suppar, quod ad *Viennam*, de hostibus, Christianorum exercitus, retulerat. E nostris, centum quadraginta occubuerunt. Præda, minutior fere, quam pro copiarum multitudine, putabatur. Captæ interim fuerunt, campestris machinae octo, equorum numerus, & instrumenti bellici apparatus, haud contemnendus. Inter signa, quae barbaris sunt crepta, vexillum fuit, recens a Sultano transmissum. Id quod, per *MAGNUM Comitem*, qui primum hostilis impressionis impetum, fortiter excepit, *CAESARI* transmissum, hodiecum, ad *Diui Stephani*, visitur, inquit *WAGNERVS*.

adoriuntur Seraskirium, in quo fugam coniectum, cadunt:

præda paucitas:

§. LXXII.

Tamet si, opportuna victoria hæc accidit obsessis: quippe, circumuallandi labore exoneratis, tamen lentius, ac sperabant duces, succedebant omnia, dum prorsus in pessimam fortunam degenerarent. Adgressionum difficillima fuit, quae aduersus portam *Albaregalensem*, senatus militaris consulto, suscipiebatur. Præterquam enim, quod accessus haberet arduos, murus longior, & numerosissimorum propugnatorum capax, plurimum, & periculi nostris minabatur, & facessebat laboris. Positis tamen, magno conatu, suggestibus, quinto *Calendas Augusti*, pulsandorum mœnium initium factum est. Tridui spatio, at paruo successu, damno autem maximo, laboris, militares operas fatigabat. Obsessi enim, partem, saxis pro uolutis, partem, tormentorum ictibus, non enitendi modo facultatem adimebant; sed cladem etiam edebant in milite, multo, quam credas, maiorem. Quo circa, cuniculis suffodiendos muros, machinatores statuunt. Opus fuit laboriosissimum, productum tamen, plurium dierum assiduitate, eo vsque, ut eximiam mœnium portionem, subruere iam posse, crederetur: spem eam faciente *Cornaro*, operum moderatore. Sed res aliter, quam sponderat, cecidit. Nam cuniculorum quidem prior, reuulsos, ad grandem femilunam lateres, egehamque humum, in obfidionales nostrorum vias, ingenti illato

Et victoria, nihil ad obfidionis summo profectum: adgressionem ad portam Albaregalensem difficultas:

cuniculorum operis:

inanes:

damno, effudit; alter, biduo post succensus, per mollem actus humum, nullo facto operæ pretio, in acra elifus est. Illa, ad portam *Albaregalensem* fiebant. Neque letior, ad *Viennensem*, successus erat. Et si enim adgressio ea, minus habebat periculi; hostium tamen, peruigil & strenua propugnatio, & opera nostra adfliebat perpetuo, & diminuere militem. Cohiberi certe haud poterant, quin creberime erumprent, & nunc deraderent aggeres, nunc conciderent operas. Geminandus ergo fuit ardor, & constantia; foueæ autem obsidionales, in vtrumque latus, ita ducendæ, vt, & cuniculatores protegerent, & arcerent incurstantes. Sed, hac quoque, operosa licet prouidentia, vix quidquam profici potuit: quia animaduersum est, scite, solideque eductas moles, in nostrorum perniciem vertisse hostes. Vt enim infestandi oppugnatores, maior esset opportunitas, excauatis, pro mœnibus, nidorum instar, foueis, promptissimi quique subsederant, certisque adeo ictibus feriebant nostros, vt vix tormentum, nisi presentissimo vitæ periculo, displodi a machinatoribus potuerit. Ei pesti auerruncandæ, nouos, hinc atque illinc aggeres ducere, deprimere profundius foueas, loricas item prætere, oportuit. Hæc, indefesso licet a nostris labore, festinatione autem propemodum incredibili, consummarentur; irriti tamen fuere conatus; siue, quod animis conciderent milites; siue, quod nondum ingruerant barbarorum fata, breui post, e manibus hostium, urbem elifura.

§. LXXIII.

ITa se res habebant, cum grauatus curis *Dux*, nouam, habito senatu, adgressionem, ad flumentaneam turrin, moliri constituit. Didicerat ex transfugis, aquæ inopia laborare obsessos. Ergo, arcedos a flumine voluit, si posset forte, ea necessitate, ad deditiois leges adigere. Simul, designatæ ad eam molitionem, cohortes, in opus incumbere, atque vias cauare obsidionales incipiunt; hostes, ne aquationis commoditate priuarentur, magnis animis, neque minore numero, erumpunt. Conlittere nostri, pro fossarum aditibus; sed, quod rem, collatis signis, feruidius, quam pro paucitate, gerunt, neque in promptu sunt, qui laborantibus succurrerent; cum cæde reiecti, vix cœpta operarum exordia, cruore funestant. Cecidere ex nostris, sexaginta plus minus. In his, *Blumenthalius Baro*, & *Comes Ferdinandus Harrachius*, multarum opum, & lautissimæ expectationis adolescens, censebantur. Sub idem tempus, ad XVIII. Calendas Septembres, *Rascianorum* aliquot, ex vrbe profugi, mortuum *Keremetz Bassam*, vrbes præfectum, nunciant, suffectumque ei *Seidanum Ibrabimium*, virum, non minus propositi tenacem, quam excelsi animi. Quæ res, spem faciebat, fore, vt ex hac conuersione, segnius in posterum, urbem defensent præliarij. Accedebat, quod grandis se-

alterius, ad portam Viennensem, adgressus habitus, nibilo melior.

Tertia, ad turrin flumentaneam adgressio:

funesta vis morbidia:

præfecti Budensis, maris, & successor:

miluna, felici cuniculo succussa, tunc plane procubuerit, rimamque in muris fecerit, adfultui haud importunam; nisi mature, spissum, ei ruinæ, vallum, hostis prætendisset. Ergo, verberare porro locum, machinatores iubentur, si forte pertundi ad eum modum posset, vt adfulturis pateret. At enim vero, ea fuit obsessorum pertinacia, vt ne pedem quidem, ne dicam, stationem, ea regione figere, nostris licuerit. Nam, & missiles ignes, immittebant in nostros perpetuo; & saxorum ingentia fragmenta, per montis ardua prouoluebant, maximo operarum damno, militisque iactura. His calamitatibus, contrariora in dies fiebant omnia. Cuniculariorum, peritissimi quique, aut terra obruti, aut casibus aliis interierant; neque noui, quod vehementissime apud *Cæsarem* agebat *Dux*, erant in promptu. Miles, irriti toties laboris dolore, æger, languabat: morbi latius in dies serpentes, exercitum omnem ita peruaferant, vt vix ad accessus, operaque tuenda satis esset valentium. *Dux* ipse, dudum, cum tertiana consuetatus, postquam diu corporis infirmitatem, animi virtute sustinuerat, æger demum lecto desegitur, oppugnationis cura, *Rudigero Stahrenbergio*, reliqui exercitus, *Capraræ* tradita. Ille difficultates fuerunt, quibus iam tum obsidionis labor ex se molestus, sullaminabatur. Accessit, insignis breui post clades, ea operum regione, quæ aduersus castelli portam, vnde pleræque fiebant eruptiones, infano conatu, periculis autem propemodum inexsuperabilibus, educebantur. Septem & decem dierum labore, moles, varie cuneata, surrexerat; dum *Ianitschari*, improviso erumpunt, concidunt stationarium militem, actisque in fugam dimachis, ob perditis inopiam, huc impositis, insignem aggerum partem, occupant. Adcurrere laborantibus, *Badensis* & *Salmensis*, principes, accensisque ad resistendum cohortibus, haud sine ingenti discrimine, tandem erumpentes repressere. Multi, ea congregatione ex nostris, plures ex hostibus, occubuerunt: redibant tamen postridie, non numero modo, sed & audacia suppari. qua quidem impressione, *Saxo-Isenacensis*, pluresque alij, foede necati sunt.

§. LXXIV.

His malis, ad eum modum, tenues ex se copiae decreuerant, vt, cum lustrarentur a *Lotharingo*, quinque gregariorum milia, centuriones quinquaginta, legati quadraginta, desiderarentur. Oppugnatio hos abstulerat; morbis fere totidem adstigebantur, funerum numero, in dies singulos augescere: tamen, & *Augusta*, & *Bonuisius*, tantum medicamentorum in castra mitterent, quantum, frequentissimis etiam morbis depellendis, sufficere posse credebatur. Illud, saluti fuit exercitui, quod *Lotharingus*, decedente sensim febrî, agrotatione explicari, & ducis obire munia, cœperit denovo. In primis, opportunus accidit *Electoris Bavarie*, in castra aduentus: quippe quo, duces iuxta & milites, in eam spem erigebantur,

obsessorum pertinacia: & deditiois oppugnationis:

hostium eruptio:

nostris nocua.

Decreuerat, ut malis, excrucians:

tur, fore, vt procliuora in posterum, ad expugnandam urbem, sint omnia. Atque *Banarus* quidem ipse, quinto Idus Septembris; biduo post, auxiliares eius copiae, quae ad *Pestum* subsisterant, castra subire. Ne qua inter duces praerogatiuarum esset concertatio, ita conuenit, vt militaris tessera, ab ipso *Cæsare*, simul vtrique ederetur. Tunc *Electo* arcem, peculiari adgressione oppugnandam sibi deligit; mille quingentis militibus, ad opus alternis faciendum, destinatis. Ac suggestus quidem, festinate surrecti fuere; viae, contra, obsidionales, quas duci oportuit, tridui labore constiterunt, ad centesimum, ab arcis fossa, pedem, promotæ. Quo factò, e suggestuum altero, lateris, quod obiiciebatur, murus, ex altero, grandis turris, maxime noxia oppugnantibus, verberabatur. Visum est autem *Bauaro*, per tentare urbis praefectum, monereque, *Cæsaris* nomine, ad deditio nem. Ergo, decurionem, e suis deligit, linguae Turcicae gnarum, additoque captiuo Turca, in urbem immittit. Acceptus a barbaro humanissime, & quindecim aureorum donatio excultus, id responsi tulit; *nondum ea se urgeri necessitate, qua cogeret de urbe dedenda, suscipere cogitationem; tantum sibi, & virium superare, & comitatus, qui ferenda non solum, sed propulsanda etiam ulteriori obsidioni, sufficiat: sin, ceteroquin, captiuos sibi porro velint Caesariani duces, gratuito reddere, non commissurum, vt suam iure possint humanitatem desiderare.* Eo, superbum hominis responsum valuit, vt tanto pertinaciore diligentia, in opus, a nostris, incumberetur. Ac fecissent profecto, aliquod operæ pretium, *Bauari* potissimum; *Electore* vndique instante, ac praesentia, hortatu, exemplo, operarum assiduitatem, extimulante; nisi crebri idoneique nuncii, aduentare *Budensibus* auxilio, profligatum nuper *Seraskierium*, castra, metu ac trepidatione, compleuissent. Non dissitetur eam perturbationem *WAGNERVS (x.)*: *venere eodem tempore in castra, Lubomirius, & Palatinus, nunciantes, Seraskierium iam Albam Regalem, cum nouo exercitu adpulisse. Intercepti postridie pabulatores, vniuersus demum hostium exercitus, eminens conspectus, insolitam trepidationem, etiam iis adtulit, qui omnem in castris atatem contriuerant; nempe, qui non tam hostem, quam locorum iniquitatem, suscepti operis magnitudinem, suam paucitatem, vererentur.* Nimirum, excubabat, campestribus stantiis, cum *Lubomierskio, Paullus Esterházy*; qui, simul ab exploratoribus rusticis didicerat, bidui forte spatio adfuturum *Seraskierium*, cum quadraginta millium exercitu, ad castra se retraxit, quoque loco res essent, duces con ducit. Atque, opus omnino fuit, collapsum animis militem, erigere, dissimulareque metum: quod vtrumque, tametsi imbecillis ex febre esset *Lotharingus*, prudentia, an animo maiore, strenue effecit. Nimirum, per singulas adgressiones, committi mutuo accessus, atque vias obsidionales, ad subsidiarias vsque stationes protendi, *Dux (y.)* iussit, ne

x.) Loco citato, p. 644. sine.

y.) Ei mandato tamen, ingenti nostrorum damno, obtemperatum haud fuit.

sim ad-
gressio:

praefectum
de urbis
deditio-
nem:

responsum
suis:

accendit
nostris ad-
rom acris
gerendam:

Seraskie-
rii aduen-
tus, metu
perturbat
castra:

Lotharin-
gii, in ea
trepidatio-
ne, prou-
dentia:

erumpentes praesidiarii, temere obrucunt nostros, dum reliquus exercitus hosti obuiaturus erat. Collatis enim sententiis, placuit ducibus, aciem instruere, atque equitatum omnem, viginti item cohortes, retundendo hosti, obicere. Quod, dum summa cura fit, urbis praefectus, ratus, quod erat, gemino periculo distineri nostros, & hinc in oppugnationem, in amolendum illinc *Seraskierium* intentos, resistendo haud futuros pares, summa vi erumpit; mox, necatis, qui opus faciebant, accessus obturat, corrumpit depactis clavis tormenta, deiicit suggestus, & quidquid promouendo operi, materiae cumulatam offendit, ignibus subiectis, exurit. Solo æquatis aggeribus, in viros seuitum est, tanta ferocia, quantam, de furente hoste possis suspicari. Occubere, eo certamine, fortissimi quique, magno numero, reliquis, *Bauarorum* suppetiae, opportune adcurrentes, saluti fuere. Hæc, decimo Calendas *Oblobres* gesta sunt. Neque meliori fortuna, biduo post, vsi sunt nostri. Adhuc metu perculli, damna reparabant obsessores, cum *Turca*, noua iterum facta eruptione, tercentos *Cæsarianorum* obtruncant, planeque efficiunt, vt totus, ex gemina hac clade, labor obsidionalis, in irritum postea recideret.

§. LXXV.

Atque, ista quidem oppugnantium fortuna fuit: dum interim *Seraskierius*, foris varie fatigat exercitum, vt, nunc pugnae facturus potestatem; nunc iterum, commutato aciei ordine, insolentis quidquam editurus, crederetur. Reuera autem, eo tota barbari destinatio pertinebat, vt suppetias in urbem, perruptis nostrorum stationibus, iniiceret. Quatuor millium agmen, ei fini delectum, parum aberat, quin penetrarit in urbem. Primi, qui se hosti obicerant *Hungari* fuere; fusi tamen, fugatique, non tam sua culpa, quam noctis errore, qui nec opinantes, in hostem, ante impegerant, quam sustentari poterant, a turmis subsidiariis. Ea re, ferociores facti *Turca*; maxime, quod ex urbe, sub idem tempus, erumpebant praesidiarii; extremos nostrorum aggeres ordinesque vrgent, cadunt reluctantes, & tantum non capiunt fossas. Ac cepissent profecto, nisi *Dux*, ac *Dünewaldus*, contracta celeriter pugna, reiecis- sent magno clamore ingruentes. Repressi hinc, in *Mercii* stationes irruunt, ea virium contentione, vt metus esset, ne mutarent nostri. Verum, vicinorum & hæc subsidiis confirmata, repressere hostes, ad eum modum, vt pauci, ex toto eo cuneo, ac fere hi tantum euaderent, quibus, re desperata, in equorum pernecitate salus fuit. Gemino loco, propulsatis hostibus, aliud agmen, altera urbis regione, eniti iubet *Seraskierius*, quod & ipsum tamen, *Dünewaldus*, eadem, qua antea, virtute, mascule depulit. Hac nostrorum vigilantia, iuxta & fortitudine, a spe melioris successus deturba-

obsessorum
eruptio,
nostris, coe-
tra modum
damnoſa:

israue
haud me-
liora obsi-
dionum
fortuna.

Fatigatur
Seraskie-
ro, nos-
ter
exercitus:

hostium in
nostris im-
pressio:

nostrorum
in vicin-
dis iis, vir-
tas:

Seraskierii
abitu.quom fr-
stra inse-
quarum
uelli.

tus *Seraskierius*, permittendam fortunæ *Budam* statuit, satis iam habiturus, si reliquum exercitum, incolumem possit reducere, unde coegerat. At nostri, utendum occasione rati, militem, corpora iumenta que curare, atque, insequendo hosti, se parare iubent; ut si possent adsequi, & in prælium prolicere, irritum obsidionis laborem, gemina de hoste victoria, honestarent. Sed, quod *Seraskierius*, celeri extra modum itinere, prouectus ultra *Sarvizum* iam tum esset; neque nostris, ad infectandum hostem, seu vires sufficerent, seu tempus, receptui caneatur.

§. LXXVI.

Post depul-
sam Seras-
kierium
nihil mo-
lar oppu-
gnationis
fortuna:inselicæ ad-
sultum:Wagneri
querela:

I Vrasles, successurum tandem opus, durosque, post reiectum *Seraskierium*, victas manus prædianos: quod tamen aliter cecidit. Ut in castra rediit *Lotharingus*, immane, quam fuerit animo perturbatus, cum æquata solo opera, neglecta, quæ seuerissime inculcarat, mandata, desideratos militum fortissimos, cerneret. Quid ageret autem, nisi & suam, & exercitus famam vellet periclitari; instaurandos accessus, ad tollendos aggeres, consolidandos suggestus, militari imperio, edicit. Incumbitur ergo in opus, sed non lentius modo, verum etiam fortuna iniquiore, quam sperasles. Dabat se, fortuita adfiliendi occasio, ea murorum parte, quæ reginæ hortos prospiciebat. Hiabat, nimirum, substructus mœnibus fornix; non commode tantum occultaturus cuniculatores; sed admissurus etiam adfiliantes. Rei, isthuc gerendæ summa, *Serenio Comiti* attribuitur. qui dum indigna militari duce, cunctatione detentus, exsequi mandata haud festinat; prædianos, in eundem locum frequentes se iniiciunt. Producta, ad eum modum, subeundi occasione, adfiliere tamen cohortes aliquot; sed quas hostes, emisso glandium imbri, facile repressere. Nihil usquam cedebat e sententia, inquit *WAGNERVS*. Cuniculi, vel machinatorum imperitia, vel telluris ingenio, innocuo fere fragore, dissiliebant, aut intactis muris, pestem in oppugnantes remouebant. Ducem, re-
rudescens malum, denuo in lectum deiecerat. Obsessus, magna annonæ, ac puluerum nitratorum, vis Danubio, multæ item cohortes, per noctis, aut nebula tenebras, nostrarumque paucitatem stationum submissa; eisdem, nostra omnia ex amissim, nescio cuius flagitio, explorata; & *Seraskierius*, instauratis copiis, minacior propinquare ferebatur. Nihilominus, tot inter difficultates, ad vnde vigesimam Octobris, verberatio est continuata, die eadem, primo mane, parum feliciter, ac veluti in scenam; dein sub meridiem, summis viribus, eruptio facta est. Erumpentium pars altera, in frontem, in latus altera, inuelli, utrinque, ad cuniculorum labra, recta, velut rerum omnium consensu feruntur; operum præcipua, velut submissum a machinatoribus typum, sequuti, ita scite accurateque demoliuntur; ferro, igne, plurimum noxæ inferunt; quanta nusquam hætenus rabie, seu pertinacia, magnam edunt militum
stra-

stragem; rebus præclare gestis, in urbem redeunt. Accedebat ad hanc calamitatem, quod erumpentes, vulgo, aquarum vena, irritum redderent cuniculorum laborem, autumnii pluuia increbrescerent, legiones, ad pauca capita redactæ, superstites, extincta illa animorum alacritate, vix ad opus compelli possent. Istas ob causas, omnium consensione ducum, soluenda deternitur oppugnatio. En difficultates, quæ tanti moliminis felicem successum, interuenerunt! causas tamen rei, minus prospere gestæ, alii alias comminiscuntur. Ducis *Lotharingia* morbum, uti ex se importunum, ita vice noxium toti operi, accusant plerique. *Starebergii*, qui partes vicarias in exercitu administravit, oppugnandarum urbium imperitiam, causantur alii (z.): quippe qui, feliciter propugnari *Viennam*, quam sciuerit *Budam* oppugnare. Neque desunt, qui *Electori* culpæ quidpiam adfricent; quasi qui, & tardius, in oppugnacionis societatem, venerit, & non vndiquaque concorditer egerit, cum *Lotharingo*. Non negarim hæc singula; reuera autem, nimia nostrorum paucitas fuit, quæ sufflumen posuit, coeptis excelso animo conatibus, quominus potuerint ex sententia, succedere. Accedebat, militaris imperii neglectus, qui non poterat non, optimas quasque destinationes præcipitare, accelerare mala, quin ipsam perniciem, data quasi opera, procurare. Quidquid accusare velis, ingens profecto, conatu adeo infausto, rebus Christianis damnum datum fuisse, fateamur oportet. Ingenue *WAGNERVS*: *Recensito exercitu*, *domini*, *tria & vicena hominum milia, tum atrocissimis eruptionibus, tum iteratis cum Seraskierio certaminibus, celi inclementia, morbis, annonæ ac pabuli penuria, desiderata sunt: atque, hos inter præfecti variorum ordinum, sexcenti tres & sexaginta: nobilissimi volones, centum septem ac quadraginta. Vti Europa prope tota, in partem gloria conuolarat; ita, luctus se in omnes regiones, latissime diffudit, cladisque plus, quam vel infelicissimo prælio, acceptum est. Profecto, plus satis malorum damni- que. Simul de soluenda obsidione, inter duces conuenit, receptus ex rationes inibantur, quæ & tutæ essent, & expeditæ. Erant, qui traiecto amne, per aperta camporum, *Vácziensi* itinere, exercitum reduci suadebant; ne quid metus proderetur, si latebras quaritarent. Sed ea consilia, minus probabantur *Lotharingo*, tamquam paucitati noxia. Ergo, pone Danubium, ad montium radices, *Vissegradum* versus, protectionem edicit; impedimenta, machinasque bellicas, aduerso flumine, *Sirigonium*, vna cum faucibus agrisque, reuchi iubet. Atque, bene omnino cessit ea destinatio. Tametsi enim, hæserint tergis nostrorum *Budenses*; angustiis tamen locorum impediti, nec quidquam egere; si ægrorum manipulum, in insula *S. Andrea* desertum, ex- ceperis. quem sæuus, & sanguinarius hostis, foedum in modum concidit. Eluctatus hinc exercitus, ad *Sirigonium* tantisper substitit, dum hibernatum dimitteretur, *Lotharingus*, *Viennam*, & corpore æger, & animo, concederet. Tantum, in optimum fortissi-
Tom. III. Ccc
mum-*

e.) Egregie *STARBERGIUM*, defendit aduersus obredatores, *WAGNERVS* Lib. IX. p. 648.

mumque Ducem licuit, infanz illi, atque cæcæ fortunæ. Scilicet:

*Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parit.*

§. LXXVII.

*Turcarum,
feracia, &
iam in
Germanos
constitit:*

Difficile dictu est, quam his rebus, feroces insolentesque facti fuerint barbari. Germanos, certe sparsis per orbem Turcicum litteris, virulenter proscindebant: rudissimos oppugnandarum esse arcium, qui nec urbem, simplice murorum vetustorum recinctu, nullaque prope fossa munitam, capere norint. Gubernatorem *Sejtanum*, otiosum intus ac ludentem, risisse hominum ineptiam, ac suamet miseros imprudentia conficiendos spectasse: non machinatores bonos, nec libratores fuisse peritos; grandes pilas, tanto numero contortas, collectasque, quæ multorum annorum defensionem sufficiant, nulla muri parte oblata, nedum deiecta. Duces, crapulæ deditos, quaternis fere horis, ad epulas accubuisse; cum suam ipsi canulam ad *Viennam*, quarta horæ parte, absoluissent; gregarios contra, fame adeo acerba confectos, ut obsessis, miserationem, iuxta & admirationem mouerent; qui fieri posset, ut, quibus *secundus Danubius* flueret, non item commeatibus adfluerent. Præ fame, arma de manibus fluxisse; eruptionibus vero, relata decem capitum millia, circum urbem palis defixa, prostratæ. *Vienna*, cum obsideretur, portas muro præstructas; *Buda*, diebus totis, & noctibus patentes fuisse. Nullas gubernatori suppeditas, vel opus, vel petitas fuisse; id solum *Seraskierio* negotii datum, ut arctiorem illis pabulationem redderet; quod effectu pronum: cum centurionibus, equorum seruitiorumque numerus sit, qui tribunum deceat; tribuni vero, impedimentorum modo, totidem Imperatores videri possint. Ita quidem, de Germano, barbari (a.) ratiocinabantur. Ac, si dicendum, quod res est, non plane inaniter; cum ne iam quidem, si belli artes, quæ augescunt in dies, excipias, aut frugalius viuatur in castris, aut adtentius. Adhuc calorum, lixarum, equisonum, & cuius non seruitii multitudo, nisi quæstores adsint seueri, annonam prodigit; neque, adhuc aceto & sale, didicerunt duces prandere. *Budenses* interim, discedentibus *Cæsarianis*, omnem nauarunt operam, ut vias obsidionales, accessus militares, suggestus item, eductosque passim aggeres, solo æquarent. Sed, mœnia etiam, qua diuerberata erant, solertissime instaurabant, muris veterimis, ad nouorum modum, calce incrustatis. Dictabat nimirum, mordaci ioco, urbis præfectus; *concauuisse muros, elumbi ea obsidione, Germanum; quam quidem scditatem, cum tolerare, nisi cum Mahomedii dedecore, nequeat, nitore hoc urbem honestandam statuisse.* Atque,

*in reparanda
da urbe, &
dealbandis
muri, solertia:*

*mordaci
præfecti ioco:*

a.) Vide WAGNERVM, loco cit. p. 649.

reniduit omnino sequente anno *Buda*, quam, longe potuit conspici; forte, ut aduiceret *Christianorum* oculos, induceretque, in eas consilii rationes, non ante cessandum, quam, e sanguinolentis, impurissimorum intus hominum, manibus elideretur. Quam sane destinationem, eius anni, benignior fortuna, mirifice confirmauit. Profligato enim, felici apud *Strgonium* pugna, *Seraskierio*; atque *Ujvarino* expugnato; proniora multo, quam fuerunt anno superiore, ad *Budam* occupandam euasere omnia. Enim vero, geminæ huius cladis tumor, vulgo & tumultuarie, ad *Sultatum* perlatus, tantam, amissæ simul *Buda*, sollicitudinem, incussit tyranno, ut nigrorum eunuchorum præfectus, qui rem male gessam, ausus fuit nunciare, proposito sacramento, edicere iuberetur, annon amplius quid mali accidisset: eo quod, *Budam* quoque interceptam, suspicabatur, quam, ubi in sua adhuc potestate esse, cognouit, reddi sibi, atque in vitam redire visus est.

§. LXXVIII.

Init tandem, quæ Dei O. M. benignitas fuit, annus, post *Christum* natum, MDCLXXXVI. *Buda* exitialis, faustus nostris. Dilegentem, tota hieme, cum senatu bellico, operam nauarat *LEOPOLDVS*, uti exercitus, non ex supplementis tantum, sed auxiliariis etiam, principum Germaniæ, copiis, ad eum modum instauraretur, qui ad vindicandam *Budam*, suffecturus putaretur. Plane enim, adficiente *Lotharingo*, obfirmauerat animum *Cæsar*, huc summam belli conferendam; ut *Turcarum* hæc *Pergama*, occuparentur: maxime, quod animo præcipiebat, ab urbis vnus casu, reliquum bellum, atque tumultuantis Hungariæ tranquillitatem, pendere. Aliter, bellicarum rerum arbitri, existimabant: abstineendum a fatali hoc scopulo, in quem, ultra sesqui seculum, toties impegit fortuna *Austriacorum* principum: metuendum, saltem cauendum esse, ne superioris oppugnationis mala, accelerentur exercitui: validas circum arces, illinc *Agriam*, *Albam Regalem* hinc, atque *Eszekini* pontem, ante expugnari oportere, quam ad *Carthaginem* hanc *Austriacorum*, *Rome* æmulam, tentandam iretur. Tametsi vero, haud probabatur *Cæsari* ea sententia, adfensit tamen, ut pars exercitus, dum confluerent copiarum omnes, cogerenturque belli instrumenta, *Albe-Regali* admoueretur, cum fallendo hosti, tum, ut adpareret interim, an satis virium, atque adparatus suppeteret, adoriunda urbi, uti natura validissima, ita nunc ab acerrimo infestæ præsidio. Ergo, dispertitis, inter duces copiis, permissum *Bauaro Electori* fuit, uti *Albe-Regali*, cum iusto exercitu, immineret: *Buda* interim scopus esset, in quem totius expeditionis ardor, conuerteretur. Hæc ita consulebantur in medium, cum *Lotharingus*, relicto *Neostadii*, ubi tunc degebat, *Cæsare*, iter ingreditur, oppugnandæ *Buda* consilium, quod vnice inculcarat di-

annu sequentis fortunæ

solicitem, de Buda, reddi Sultatum.

Annus Buda fatalis

Cæsaris adparatum, & urbi expugnandam consilia

Senatus bellici, diuersa sententia

Imperatoris consilia

obit in expeditionem Lotharingus

scendentis animo, pro virili, exsequutus. Vt *Comaromium* venit Dux, Iultratis, qui recens aduenerant, *Saxonibus*, ac *Bauaris*, ducum, qui aderant, senatum habuit. Deerant, ad eum numerum, qui *Budæ* operibus claudendæ, destinabantur, quindecim propemodum millia: id quod sollicitum reddebat, *Lotharingum*, nuper edoctum suo malo, quibus copiis indigeret, urbis amplæ non minus, quam, & viris munitæ, & operibus, obsidio. Sed, ei sollicitudini facile occursum est; tum, quod simulatam *Albæ* obsidionem, soluturus *Bauarus*, in castra expectabatur; tum quod *Scherffenbergii*, & *Caraffa*, alibi militantium supplicia, ex facili poterant euocari, in iusti exercitus supplementum. Decretum fuit deinde, gemina aggressionem, si eo fuerit ventum, exordiantem oppugnationem: altera, ad portam *Viennensem*, qua molliores essent accessus; altera, aduersus arcem; ne mutuo se iuuare possent, distenti, oppugnatione diuersa, præsidarii. *Bauaro* demum, præsentem in castris, qua vellet suorum experiri virtutem, optionem reliquit *Lotharingus*; *Cæsare* ita volente, ne offensæ locus fieret, apud principem, non minus acrem, quam rei fortiter, cum suis, gerendæ, cupidum. Quæ dum fiunt, adparatus, ad expeditionem, maiores, quam duces sperarant, confluunt; *Rabbata* in primis cura & sollicitudine, qui eo anno, summi quæstoris munere, quam solertissime fungebatur. Hæc a ducibus agebantur, cum interim miles, quasi per otium, corbes vimineas partim, partim sarmentorum falces, adparat, in oppugnatione vsui futuras. Quibus rebus, ad profectionem, parata sensim fiebant omnia. Ac *Lotharingus* quidem, vltiore Danubii ripa promouendum exercitum statuit, ne *Budam* peti hostis existimaret; citeriore *Bauarus* iter iniit, vt *Pestum*, ante obsidionis exordia *Turcis* extorqueret. Tutum utrobique iter proficiscentibus; *Bauari* etiam felix: quando, desertum præcipiti metu *Pestum*, atque, vix rescissum pontem, reperit, occupauitque.

§. LXXIX.

Urbs obsideri capta:

metationum habitum:

Altera Danubii ripa, *Lotharingus*, decimo quarto *Calendas Iulii*, cum exercitu, in conspectum urbis venit. Tota ea, extus, & per turrata fastigia, albario canduit; atque his quidem, recordatione cladis nuperæ, terrorem incussit, spem aliis prolicuit, fore, vt candor ille, *Turcarum* cruore scedetur, urbs propitio numine, redigatur in potestatem *Cæsaris*. Nec mora, circumcluditur eodem die, tanquam indagine, superbissima *Carthago*. Et *Gondola* quidem, vallem, *D. Paulli* cœnobio insignem olim, infedit; cum duobus, *Dinewaldi*, & *Hanoverani*, peditum millibus; dum *Truchsessiana*, *Neoburgica*, & *Merciana* turmæ, in ardua montis, cui a bono fonte nomen est, enisæ, castra & ipsæ, locis, ad speculandum hostes, idoneis, metarentur. Exercitus reliquum, in *Gerhardi* valle ita collo-

collocatum est, vt coadunari, cum stationariis, ex facili posset. In primis, obseruandum putauere duces, *Viennensem* portam, quod exitus accliuitate, ad crumpendum, in primis videretur commoda. Ergo, leuioris armaturæ equites, illic excubare iussi sunt, quibus prima statim nocte, cum procurrentibus *Ianitscharorum* manipulis, ac certamen fuit, qualicumque hostium clade, ne deesset bonum omen, terminatum. Cum vrbi circumfunditur exercitus, *Turca*, siue ostentandæ multitudinis causa, siue, vt contemplarentur nostrorum robur, conferti in moenibus stabant, & hi clamore, fragore tormentorum alii, aduentantes consulabant, an execrabantur. Præfectus interim, *Abdy Achman*, vt eodem die cognitum fuit ex transfugis, quo minus persuaserat sibi, *Budam* a *Cæsarianis* impetum iri, eo maiori animo, ac contentione elaborabat, ne imparatum deprehenderent obsessores. In primis, militari concione habita, præsidarios officii admonet; viros se præstarent, impense rogat; mitatur supplicia desideribus; ostentat præmia his, qui masculæ rem gesserint; vniuersim omnibus inculcat, meminissent, quo loco fata, *Ottomannis* hucusque, plus quam propitia, conclusos tenerent: *Budam* esse, vnicum, hac regione, potentia *Turcicæ*, robur, clauem *Constantinopolis*, totius orientis antemurale. quo seruato, salua fore *Muselmanis* omnia: id vero, in suis dextris, fide & constantia, situm esse. Animo se præcipere, eandem huius, quæ nuperæ obsidionis erat, fortunam fore. Cladem quæritare *Christianos*, nouam & atrocioram ea, qua adfecti ante biennium discesserunt. Itent alacres, occuparent stationes, defensarentque, pro ea, qua sint in *Mahomedem* religione, dum vita sufficeret, urbem, totius imperii *Ottomanni*, columen. Parata, occubituos, apud *Mahomedem*, præmia, & nullum non genus deliciarum expectare. Vt hæc dixit, *Ianitscharorum* singulis, decem scutatos distribuere iubet, vt haberent, rei fortiter gerendæ, auctoramenta: quæstori, palos vncosque interminatus, nisi integra fide, stipendia in posterum, commeatumque, viritim dependeret. Reliqua dein hominis, ad omnem, qui metui poterat, euentum adtentissimi, sollicitudo, eo pertinuit, vt armamentaria, atque apothecæ nitrati pulueris, rite communiarentur, præsto essent belli instrumenta, atque adparatus alii, seu muris sarcindis, seu restinguendis incendiis, necessarij. Tunc vero demum, præsidiorum fortissimos, partim, in coopertos accessus, partim in extrema opera, vbi plurimum erat periculi, disponit; collocat, maxime idoneo loco, ad *Byzantinam* portam equites; sed & feminas, quas *Turcarum* religio adductius, ac fere captiuas domi habet, liberas esse iubet, vt, vel ministrarent tela, hostes propulsaturis, vel ipsæ etiam, prout res tulerit, muros, qua possent ope, propugnarent. Tanta solertia, vir acerrimus, vrbi defensandæ providebat; dum nostri, diuiso equitatu, partem in insula *S. Margarethæ*, herbida ea & pabuli diuite; partem duce *Palffy*, versus *Sérvizum*, facilioris pabulationis

exercitum Iultratis:

Budæ obsidionem deseruit:

professionis ratio.

præfidi vrbis industris:

ad præfidarios adlocutio:

sollicitudo reliqua:

nostri, equitatum e castris dimittant.

caussa, collocant; insulam denique *S. Isabella*, ægris accipiendis, designant.

§. LXXX.

De adgressionum descriptione, varia ad eam sententia:

Castris, ad eum modum positis, agger circumduci cœpit; dum interim, de adgressionibus rite constituendis, *Lotharingus*, cum *Electore*, adhibitis in consilium ducibus, dispicit. Erant, qui improbarent *Bauari* sententiam, arcem sibi ad verberandum deligentis: eo quod, castelli latus, monti *Gerhardino* obuersum, præter spillos, & firmis instructos turribus, muros, grandi semiluna, fossa item lata profunda que, præcingeretur: intus autem, regie area, huc & illuc cuneatis recessibus, tota intersecaretur: ea hostium destinatione, ut, si per prostratos extus muros, eniterentur oppugnatores, hærescerent isthic, darentque audaciæ poenas. Atque, obseruatum est omnino, post captam urbem, arcis hanc oram, inuictam mansuram fuisse, nisi pertinaci illa *Bauari* verberatione, deiecta, atque cuniculis, funditus fuisset conuulsa. Ergo, auctores fuere alii, uti, *Byzantinam* portam, adoriretur *Elector*. Sed, ne id quidem consilium, satis fuit expeditum, ob situs asperitatem, qui collibus hic, valliculis alibi, interstinctus, ad struendas insidias, & occultandas eruptiones, perquam erat idoneus. Accedebat, nimia adgressionum vicinitas, qua futurum præuidebatur, ut re trepida, mutuo sibi hostes, ex facili possent succurrere. Quid? quod, ob telluris ingenium, atque positionem, neque suggestus, solido opere adurgere, neque accessus deprimi tuto potuissent; moenium contra, longa & confita machinis series, in operas, pilis, impune depluitura, metuebatur. Opportuniora, ad *Gerhardini* montis radices, visa sunt *Electori* omnia. Nam, & suggestus, per latera montis, facili negotio poni, & muros haud incertis ictibus, verberari posse, existimabat. quibus deiectis, ad molientes accessus, prona videbatur occasio. Obfirmatus istis rationibus, in proposito, *Elector*, ex ipso munitionum, tota circum vrbe validissimarum, horrido obtutu, capit, rei, eo fortius gerendæ, auctora menta. Scilicet:

Bauarus, arcem impetere festiuit:

Ardua per præceps gloria vadit iter.

hostium eruptio repressa:

Adhuc muros obequitabant duces, cum trecenti equites, ex vrbe, in mercatores, ab vnis castris ad alia, sine comitatu militum, proficiscentes, erumpunt. Fit, maior, quam pro re, ab imbelli hominum genere, tumultus. Non longe *Lotharingus*, forte fortuna, aberat. Ergo, excitis summa celeritate, *Lodronianis* dimachis, & *Croatarum* excubantium manipulis aliquot, prædabundos adoritur, facileque reiiicit. In sauciatis, *Altenæ Comes*, & *Strozzius* eques, cum gregariis aliquot, censebantur. Hanc postea velitationem, gemina *Turcarum* clades, consequuta est. Præsidarios *Ertiensis*, (vicus erat infra

Ertiensium *Turcarum* clades:

Bu-

Budam, vallo sceptus) tardius ad se euocarat vrbis præfectus. Tentabant tamen, si possent perumpere, suo id quidem exitio. Dum enim, in velites *Hungaros* incidunt, in fugam coniecti, ad castra vsque propellantur, cumque peruadere nusquam possent, dentis tribus, omnes conciduntur. Sub idem fere tempus, *Battyanius*, ductor *Hungarorum* acerrimus, transfugarum indicio cognouerat, lectissimarum feminarum agmen, cum pretiosioribus sarcinis, in tutiora loca, nauibus dimittere statuisse *Abdy-Bassam*. Igitur, clam euocata *Comariensium* classicula, correptisque, quæ fors obiecerat, nauigiis, iustum peditum numerum imponit, atque noctis, quæ nonum *Calendas Iulii* præcesserat, beneficio vsus, *Budam* præteruehitur, tribusque infra milliariis, ad insulam *Adonensem*, opportune subsidet. Vix corpora curauerant, nauales focii, dum quatuordecim celoces, *Csajkas* vocant, feminarum illud agmen deuchentes, adsunt. Inuadit *Battyanius* præsidarios, atque, inter complorationes mulierum & infantum, facile obtruncat; feminas intercipit; egerit, quos secum habebant, thesauros. denique, præda, captiuisque (b.) feminis onustus, in castra, cum incolumi classe, redit: magno sane *Budensium* mœrore; at lucro *Hungarorum* maiore. Ducentorum milliium prædam cepisse, relatum accepimus. quam ita partitus est, *Battyanius*, ut geminam quidem portionem, *Hungari* tollerent, tertia, dimachæ *Germani*, tametsi adcurrentes tardius, potirentur.

Battyanius, fugientes *Turcarum* mulieres, cum thesauro, nauali subsensione, intercipit:

præda magnitudo.

§. LXXXI.

Ad undecimum *Calendas Iulias*, *Bauari*, designata sibi, inter montem *S. Gerhardi*, & profluentem *Danubium*, castra subeunt. Postero die *Pálffyus*, cum equitatu, propemodum toto, ad *Sárvizum*, Albam Regalem versus, discedit, ut laxiorem faceret pabulationem. In castris certe, quatuor admodum legiones sunt detentæ, quæ procurssiones hostium obseruarent. Sed, oneraria quoque iumenta, aliuatum dimissa trans *Danubium* sunt, in eos vicos, qui *Vyvarinum* & *Strigonium* interiacent. Fiebat, hac prouidentia, ut adoriendæ oppugnationi, expedita redderentur cuncta. Primam vim, flumentaneo oppido, admoueri placuit, elaboratumque fuit quinque dierum spatio, dum res geri posset serio. Tumulum interim, qui ante biennium suggestum habuit, octingenti pedites, occupauerant, vtili cum primis instituto. Collocatis enim illic tormentis, triduana verberatione, tantum murorum deiectum est, ut integros adfiliendum ordines, ruinæ capere posse crederentur. Quo viso, haud cunctandum rati duces. *Susan*, die *D. Iohanni Baptistæ* sacro, fatali *Turcis*, insultum facere iubent. Procurrit ille, cum destinatis cohortibus, alacriter, sed dubio tantisper successu, dum *Neoburgicus*, magister *Ordinis Teutonici*, laboranti succederet, conuulsisque proflu-

Bauari, in castra veniant: equitatu ad *Sárvizum* motatur:

urbis flumentaneo aggressio:

adfectu in ruinam:

b.) Centum lectissimæ formæ mulieres fuisse memorant, in castris demum venundatas.

flumentanea turri, vallis, portam elideret; peruaderet intro. Mira hic, *Turcarum*, in defendendis ruinis, virtus emicuit; captumque hinc indicium est, quid sint facturi, ubi ad interiora munitionum deuentum fuerit. Resistendo, ad vltimum fessi, in urbem se recipiunt, fortissimis quibusque, e suorum numero, desideratis. Nostris, ruinas perripisse, satis tunc fuit: ab insectando hoste, noctis eos tenebræ, reprehendere; posteaquam, præter saucios haud paucos, quinquaginta adficientium cadauera, submouissent. Inde, captum oppidum, militares operas, vltra modum exercuit, vt expurgaretur, ab subsessoribus Turcis, fierentque, inter ædium parietinas, receptus: vnde, & eruptiones hostium prohiberentur, & vis adferri muris, prorogarique accessus possent. Ne interim, miles, qui oppidum insidebat, impetu obrueretur, sex, extra murum cohortes, excubare iussit. pertusus, pluribus locis, murus est, vt pateret vltro citroque comitantibus; eo quod portæ, machinis hostium infestarentur. Neque dubitauit, ipse *Lotharingus*, cum præcipuis ducum, stationem intra murum capere, vt operibus esset vicinior. Aquaticam sane turrim, sub idem tempus, presidio ac tormentis, communi curauit; eo quidem instituto, vt porrectam late ripam, ab hostium infestis, præstaret vacuam, nauibus autem adpellentibus esset per fugio. Atque, successit omnino destinatio; nam, & hostis, qui intra ædes, hic atque illic delituit, & quasi ex insidiis operas lacessuit, depulsus inde est, & aggeres, defensantis, qui turri ei inerant, propius ad vrbis muros, subducti sunt. Ne vero tormentorum iniuriis, subsidiarius miles pateret, grandem capacemque præcinctum, extra oppidi moenia, educi oportuit: vnde postea, bis mille operis, alternis se excipientibus, in latus vtrumque, fossæ producebantur, non minus coercendis eruptionibus, quam ferendo inuicem auxilio destinata. Adhuc patebat decumana porta, qua pleræque in Casarianorum hanc adgressionem, impressiones fiebant. Igitur, molem ei, intra domorum ruinas, opponendam duces statuunt. Exacto celeriter opere, delecta militum manus, receptaculo illi imponitur; vt erupturis adtenderet, detergeretque de muris, qui glandium atque lapidum perpetuis iactibus, operas infestabant. Vix autem, mandata stationarius hic miles, exsequi cœpit; cum præsidarii, meridiano sole, per portam effusi, in mollem eam inuehuntur; daturi stragem in nostris, nisi maturius hinc, in recessus tutiores se coniecissent. Neque satis fuerat, obsessis, molem eam milite exinanuisse; eiusdem sero diei, maiori, quam ante, numero prouunt, operas, septendecim obruncant; grassaturi longius, nisi *Rotinus* eques, illic forte excubans, ordinibus restitutis, ferocientes, quinquaginta cæsis, intra portam, repressisset. Frequentes postea, in huiusmodi operas impressiones fiebant; sed, quas ducum vigilantia, atque singularis militum virtus, subinde irritas reddebat. Cum hæc fiunt, agger; extra muros, priori geminus, educi cœpit.

nostris, urbem infestam capiunt:

militaria isthic operas excipiantur:

hostium, in operas circumpectio gressu.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Calendæ Iulii, inter has molitiones, inierant, cum auxiliares, *Copie Sueuicæ*, copiarum, castra subeunt, atque in monte *D. Pauli* metantur; cui, eam ob rem, montis *Sueuici* nomen adhaesit. Eadem luce, globis igniuomis vrbs, moenia, tormentorum iactibus, infestari cœpere. Suggestus, eo fini erectus, duodecim machinas, & proximus alter, mortaria septem, habebat. Vtrinque, eo successu res gerebatur, vt continuata, per dies aliquot, iaculatione, in vrbe quidem incendia excitarentur, per moenia vero, detergerentur hostiles machinæ, hætenus, adgressioni huic, maxime noxiæ. In his, tria, inusitatae molis tormenta fuerant, quæ Turcæ, in semilunari propugnaculo, ita collocauerant, vt infestis continuatisque iactibus, operas, quæ laeuum aggerem moliebantur, penitus depellerent. Sub idem tempus, pila ignita, percussum *D. Stephani* templum, cum igne conceptum, latius fundere cœpisset incendium, hostes, ad restinguendum auocauit: qua quidem opportunitate, multum profecere, accessuum molitores. Tunc & vallicula, quæ sinistro adgressionis, latere multum habebat importunitatis, sarmentis partim, partim refertis terra cillis, exæquata primum, mox ad modum aggeris surrecta, id habuit utilitatis, ne possent in hanc operum regionem, impune hostes erumpere. Hic fuit, adgressionis Casarianorum, sub *Brandenburgici* exercitus aduentum, habitus. Accesserat is, *Váciensi* itinere, quinto Nonas Iulii, postero die, a *Lotharingo*, magna animi voluptate, iustratus. Aduentantem, displosis ter currulibus, iuxta & manuariis tormentis, ritu militari, postea etiam opiparo prandio, accepere. Data *Schönungio*, supremo copiarum duci, optio fuit, qua castrorum regione, metari, cum suis, vellet: qui tamen, ne quid arrogare sibi videretur, designatum iam ante locum, haud se cum alio permutare velle, modestè respondit. A transfuga *Rasciano* tunc nunciabatur, vrbs præfectum, conspectis e longinquo *Brandenburgicis* copiis, persuadere suis enisum, suppetias esse Turcicas, quod dum postea, signorum, profectio ac metationis ratio, contra esse, cupide contemplantes docuisset: commento vsum, metum eo demissile, quod adfirmari, cognitum sibi exploratorum esse indicio, partem exercitus Casariani, clam e castris subductam, amnem traiecisse, vt opinionem obsessis conciliaret, validarum adeo, nouarumque suppetiarum. Hæc ille suis persuadere laborabat, cum interim *Brandenburgici*, ponte superato, castrorum partem, vacuam hucusque, insident, & altero post metationem die, militare opus strenue adgrediuntur. *WAGNERVS*, alias, non semper in præconia gentis *Brandenburgicæ* prouus, eximia laude militem ornauit. *Brandenburgicorum* aduentu, inquit, præstantissimi militis, magnopere oblectatus Dux, murorum partem, ab grandis semilunæ latere, ad sinistram Casaria adgressionis porrectam, oppugnandam designauit. Equitatum, eminentibus, ad veterem *Budam*, locis, tenuere, nec impetrari

Copia Sueuicæ, in castra veniunt:

vrbs & moenia, tormentariis capti.

templum S. Scephani, pila ignita percussum, flammis concepit:

aduentum Brandenburgicorum auxiliarios copias, iustratur a duci:

accipiuntur in castra:

coram laus:

Tom. III.

Ddd

po-

militaria
opera &
accessus:

potuit, ut *Casareis*, ad *Sárovizum* se adiungerent. Illi, emulatione quadam laboris, receptacula extemplo, vallumque moliri, desertas ades, stationibus firmare, breui tempore, *Casareorum* opera aquare. Prima mox die, ab latentibus, intra hortos, *Lanitschavis*, ferocissima eruptione consalutati, nec sine caede aliqua. Submissa, tempore suppetia, hostes, ad coopertam usque viam, retrusere. Porro, ut ne ab latere inquietari stationes, aut vis inferri posset, e recisis circum arborum truncis, stellatum munimentum, opere perquam firmo exstructum, colubrinis munivere. Ad dextram, pro octo tormentis suggestum, alterum, loco *Mesquite* opposito, prope grandem, quem sibi excauarant, receptum, moliti sunt. Quo in opere *Carolus Dörfflingius*, percelebris inter *Brandeburgicos* ducis filius, tormento ictus, occumbit. Ad hunc modum, *Brandeburgicorum* adgressio, se habuit. quæ, uti, si res posceret, iuuari posset a *Casarianis*, vallo, his, quæ iam educta fuere, parallelo, eodemque

cuniculato-
rum moliti-
ones:

quarto, cum *Casareorum* accessibus, dextrorsum connexa postea est. Ea fossione, ductus subterraneus reiectus, cum a cuniculatoribus perentaretur, semilunam, maxime infestam oppugnatoribus, subire deprehendebatur. Inuitavit fortuitus casus, ad subruendam molem operas: fuitque, oppugnationis id genus, tota demum obsidione, maxime familiare, atque non raro etiam efficax. Ei promouendo, vnus, e cuniculatoribus audacia, succedentibus mox pluribus, cum receptus, sub cortinæ muro, fodi, ad vngulæ equinæ formam, cœpisset; tantum, de incenibus, sagittarum, glandium, atque lapidum imbrem, in operas effuderunt hostes, ut palam retrocederent nostri, desituri postea ab opere, nisi hinc, ducum vocibus, ilinc, præuentium exemplo, animati, pedem eodem loco fixissent denuo. Abstulit conatus ille, gregarios quadraginta: in faucibus, *Rosnius*, & *Bischoffshausenius*, censi sunt; quin & *Thungenius*, vulneris quidpiam retulit.

cladem sta-
tionario
militi ac-
celerant.

§. LXXXIII.

Arduor op-
pugnandi:

Adpropinquatum tamen est muris, tunc etiam, cum telorum iactus congeminabant obsessi. Nam, aduersum omnino fuit, quo proximius nostrorum operæ, mœnia subibant, eo feruidius rem gessisse prædarios, & turbam reliquam: quod non potuit non magna nostrorum strage fieri. Auxere calamitatem, debilescentes, ad semilunam, suffossiones, quibus, & cuniculorum multi, & militum assiduissimi quique, oppressi sunt, ut elaborandum omnino fuerit ducibus, ne, aut miles, ex tot periculis, animo concideret, aut trepidatione nostrorum aduersa, cladem clade cumulerent propugnatores. Hæc, in *Casarianorum* adgressione fiebant; cum sinistro latere, valida selectissimorum *Lanitscharorum* manus, sublato clamore, in *Brandeburgicos* incurrit, & qua operas, qua milites, cœdit. Late per accessus grassantibus, *Wurtzius*, supremus *Brandeburgicorum* structor, accitis turmis aliquot, occurrit, atque aliquamdiu col-

damna a
suffossioni-
bus accepta:

hostium, in
Brandebur-
gicos,
irruptio:

collocatus, retrocedere, genus fauissimum, coegit. Quæ dum hic geruntur, fit, & in *Casarianos* ferox procurio, quæ nostris, masculule repugnantibus, centum cadaueribus conlinit. Post hæc certamina, cæli iniuriis, opera militaria, propemodum pessundata fuere. Imbres ceciderant, solito & vehementiores, & copiosiores. Ergo, quidquid fossarum aggerumque fuit, aquis id omne offusum, delutumque est: ut necesse fuerit, pluribus diebus postea, exhaustis aquis, & accessus redintegrare, & consolidare aggerum fissuras. Sub idem tempus, nunciatum ab *Heistero* fuit, hostes, *Szegedino* egressos, atque profectionem *Agriam* versus mentientes, *Hatrani* propediem adfuturos; reuera autem, *Buda* suppetias ferre velle, quibus simul, integrum machinatorum manipulum, subsidio adducant. Confirmabat nuncium, *Turcarum*, apud flumentaneam turrim, iniquis, concursatione frequenti, naues adparantium, quasi præsto iam essent auxilia, classicula transportanda. Ergo, necesse fuit, & *Pestano* latere, ne quid exinde funesti accideret, munitiones educere, quibus, festinato opere confectis, bis mille equites expeditissimi, illic excubare iussi sunt: dum senescens, de aduentu hostium rumor, penitus euanesceret.

in Casaria-
riancos
icon:

cæli iniu-
ria, operi-
bus infestat:

de aduentu
hostium,
rumor.

§. LXXXIV.

Atque, hoc quidem successu, oppugnatio *Casarianorum*, & *Brandeburgicorum* tunc constabat. Neque minus, *Banaris*, arcem verberantibus, ardua fuit adgressio. Infano hi labore duos suggestus posuerant, dextrum alterum, alterum finistrum; vtrumque, lateri *Gerhardini* montis instructum. Committebantur hi, perpetuo aggere, viis obsidionalibus, tortuoso tramite, versus arcis fossas, promotis. Nulla hic, totos subinde dies noctesque, a iaculationibus cessatio. Dum his operibus, & ingenti quodam receptaculo perfaciendo, fatigatus miles, somno recreatur, *Lanitscharorum* quingenti, cum pari *Spahyrorum* numero, secunda noctis vigilia, edito fremitu, dormientes inuadunt. Res, ad internecionem *Bauarorum* vergebat; nisi, peruigil *Lotharingus*, cum *Bauaro* forte collocutus adhuc, equitum turmas aliquot, celeritate, qua potuit, maxima, excitas, *Spahyis* obiecisset. Et fuit sane, ea barbarorum, ex inopino hostium conspectu, trepidatio, ut, negata pugna potestate, in fugam effusi, urbem inglorii repeterent. Tunc, & *Lanitscharum*, a sociis deserti, cum, quam iniquo essent loco, aduerterent, pauide instare, ac propemodum pedem referre, quo viso, *Bauarus*, ex metu hostium, rei fortiter gerendæ capta occasione, suos confirmat, adoritur confusos, & cum cœptis nox faueret, sub ipsos muros, ingenti edita cæde, propellit. De cladis, quam acceperere hostes, magnitudine, inde coniicias, quod, uti cognitum ex transfugis erat, quindecim, e præfectis, desiderati sunt. Eo successu, animosior fa-

Banaricæ
adgressio
rationis:

hostium e-
ruptio fell-
citer repres-
sa:

laborem ob-
stationis,
difficultas:

Stus miles, designatas vias obsidionales, suggestus præterea, & receptacula, stationariis necessaria, improbo labore, perficit, propellitque accessus, ad fossæ usque labia. quæ quidem molitiones, quanto constiterint cruore, haud proclive dictu est. Vix, decempeda spatio, opus promoueri poterat, quin, aut irumperent præsidarii, aut, e moenibus, glandium & sagittarum procellæ, effunderentur. Cum opera hæc militaria, eo iam essent habitu, vt subiri ab oppugnatoribus possent, atque miles, clam se occiperet immittere, latentes subtus, duo cuniculi, lorica extimi valli, elidunt, sed sine militum noxa. Quo viso, dandam esse operam, duces existimauere, vt contrariis suffossionibus, cæcæ istiusmodi insidiæ, reteregeantur. Atque, hæc quidem occupatio, operarum fuit. *Machinatores* contra, & qui tormentis rem gerebant, id præcipue elaborandum sibi sumserant, vt grandem eum suggestum, quem castello hostes præstruxerant, detergerent, & exarmarent: quippe quo perdurante, neque in opus incumbi, neque insidieri fossa; sed, nec adsultus in ruinas exteriores, adtentari poterat. Eadem assiduitate, integrum illud arcis latus, quod a grandiori semiluna, perpetua fronte porrectum, ad Danubium vsque demittebatur, quassandum erat. Præmunierant id Turcæ ingentibus machinis, quæ dies noctesque, aduersum Bauaros, magna passim clade, detonabant. Ergo, diuturna verberatione fuit opus, dum deturbarentur nocentissima tormenta. Quæ, dum cominus fiebant, continenti fossione, castra, vallo incingunt *Bauari*, planeque efficiunt, vt, non modo vallem *Gerhardinam*, qua via regia *Alban* versus exhibat, tutam præstarent, sed aggeribus etiam, vsque ad *Cæsarianam* adgressionem, per tortuosas ambages, prorogatis, securam, vltro citroque, commutationem redderent.

absoluit
castra sua
Bauari.

§. LXXXV.

Cæsarianæ
altes-
frontis suc-
cessus, &
adfulendi
consilia:

Cæsariani interim, duodecim dierum verberatione, tantum murorum, sua illa regione, deiecerant, vt laxæ satis ruinæ putarentur, ad adfulendum. Id, ne fieret, partim cognita locorum adspersitas, partim, defixi, ab hoste, per ruinas, valli prohibuerunt tantisper, dum expeditiora fierent omnia. Miles certe stationarius, qui erumpentes, superioribus diebus, *Turcas*, sub ipsos muros, cadendo terga, fuerat insequutus, malo suo didicerat, quam ardua futura esset procurio, aduersus propugnantes. Nempe, fossis hic, ruinarum prouolutis fragminibus alibi, impedita humus, difficilem & tunc habebat adscensum, cum fugiebat hostis: quid ergo futurum, vbi non enitendum modo, inter glandium, & telorum, missilium item ignium, imbres; sed depugnandum etiam pro ruinis, cum hoste fuerit? Adhæsit, ad eas præfectorum voces, *Lotharingi*, de adsultu tentando, sententia. Pyrobolarum, interim, promissimos deligit, vt noctis silentio, laueos induti foccos, ne gressus obseruarentur, ex-
plo-

absoluit
aliquantis-
per:

plorarent adscensus difficultates. Fecere ii mandata, vnoque omnes ore, eadem, quæ priores illi, mala causantur, ruinas, vallis præseptas, neque ita deterlas esse, vt possent, sine ingenti clade, adtentari, nedum superari. Iam ergo, ab oppugnatione deterritus Dux credebatur: cum, tribunus machinatorum, viginti quatuor horarum, continenti quassatura, ad eum modum, ruinas se exaquaturum, pollicetur, vt expeditus satis accessus, adsulturis, patefeat. Adsentitur homini *Lotharingus*, eo quidem, vti videbatur, opportunius, quod sub idem illud consultandi tempus, hostilis cuniculus, in nostrorum perniciem, prope, ad semilunam substructus, ingenti obsessorum damno, commodo nostrorum, nisi aliter in fatis fuisset, forte fortuna dissiliit. Nam, & turris partem decussit, & quassata humo, ruinas in muris fecit: vt pronum fuerit, paucioribus iactibus, tantum muri deiicere, quantum vix alias plurium dierum labore. In rem suam, casum fortuitam versurus Dux, maturandam oppugnationem statuit. *Decimus tertius Iulii* dies, funesto molimini, destinatur: deliguntur, ex *Mansfeldianis* & *Sustanis*, mille, mille item & sexcenti adgressores, ex aliis legionibus: hora, adsultui, sexta vespertina, prælituitur: ductandæ oppugnationis honos, an onus, *Suse* & *Diepen-talio*, tribuitur; adduntur protribuni. *Oetingius*, *Guido Stabrenbergius*, *Auerspergius*; atque ordinum structores, *Herbersteinus*, & *Ambachius*. Adgressionum regiones, sorte distributæ sunt, vt *Stabrenbergio* quidem dextrum, sinistrum semilunæ latus, *Auerspergio*; lorica turribus interserta, *Herbersteinio*, obtingerent. *Oetingius* & *Ambachius*, deiiciendis propugnatoribus, destinati sunt. Singulis, quadringenti viri adsignati, cum pyrobolariis, & nullo non operarum genere, quæ vise sunt, cum reuellendis vallis, tum molendis loriceis, necessariæ. Accessit ad hos, ingens volonum *Hispanorum*, *Gallorum*, *Anglorum*, atque *Italorum*, numerus, cum sexagenaria opificum *Hispanorum* cohorte, qui spontaneæ deuoti militiae, superatis, terra marique, itineribus, *Viennam* acceperant, *Stabrenbergianæ* legioni, iubente Cæsare, accensi. Istos, *Franciscus Astorgius*, gente *Andalusius*, veteramus miles, ductabat. Ingruit interim hora, vesperscentis diei sexta. Tunc vero, trium tormentorum dispiosione, signum procuriois editur. Prosiliiunt, ex accessibus, milites, enitunturque per suas quisque regiones, tanta alacritate, vt volare, non reptare, per montis aspera, crederentur. Eum ardorem, occasus *Herbersteinii*, non tam præfocuit, quam accendit. Opinione enim celerius, reuulsis vallis, inter densissimam plumbi, & lapidum grandinem, ante, in ruinas eluctati sunt, quam vallos putasses adtigisse. Capta hic statione, & pro virili defensa, quod pali defigi haud possent, e fassis, terra celeriter factis, lorica educitur, statioque constituitur. Impeditiora reperere, qui vtroque semilunæ latere enitebantur. Nam, & iter, acerui lapidum, inperuium fecerant, & suffossi passim cuniculi, tempestiue ab hostibus accensi, non iam turbabant, sed obruebant, enitentium

decuriam
a Lotha-
ringo pri-
ma oppu-
gnatio:

deuror

in præ-
curio:

prima sine
successu:

difficulta-
tes:

ordines. Qui per has flammam perripere, certis ictibus petebantur; pergentes instare, fassis pulueris nitrati offusi, hic elidebantur in acra; alibi, male vitulati, turmatim occumbent. Orcum fumare, & infernales eructare flammam iurales, ita funestus erat, ad spectantibus e longinquo, oppugnationis obtutus. Confusis, ad eum modum adgressoribus, prorupere ex coopertis viis, *Turca*, & per ruinas, in fossam delapsi, colluctantes illic, nostros, casum punctimque, sternunt, longinquo, glandibus impune deiciunt. Periculo cognito, volones extemplo, Dux iubet succedere. Admirabilis eorum in procurrendo, & celeritas fuit & virtus. Per fumos enim, flammamque, & cauatas passim foueas, penetrandum erat. Præcipua in his, *Hispanorum* fortitudo fuit, *Vecba Ducis*, *Escalonii*, & *Zuniga* potissimum. Euasere enim vero, sub ipsos, pro ruinis, vallos, atque, his reuulsis, in ruinas ipsas; vbi, dum depulsis defensoribus, stationem moliantur, *Vecba*, pila, per stomachi regionem confusus, semianimis concidit, ægreque in castra, a suis relatus est. Interim, *Tauonathius* centurio, parte fossæ alia, furentes adhuc *Turcas*, sanguinaria congressione reprimat, eaque virtute stupefactos hostes, cessare aliquantisper cogit. At, *Starenbergio*, difficiliore fuit accessus; neque enim eniti ipse, ob eas, quas diximus, cuniculorum difficultates, neque *Auerspergio*, sinistro latere, nec quidquam eluctanti, sine temeritate cladeque, coadunari poterat. Igitur, coepit, ex arena consilium, conuertitque subito impetum, in duas minores lorica, quam semel, iterumque, superauerant nostri, turres. Et defensores quidem ad silentium, *Susiani*, *Mansfeldianique*, succedunt iussi, sub muros vsque, ac, tametsi hostium telis paterent, submovent tamen propugnantes, & ad alterum vsque murum, magna *Turcarum* admiratione, insequuntur. Ea adgressio, *Kirchmeyeri* funere, vulnere item, *Steinbachii*, præfectorum, consistit. Dum hi, mordicus tuentur stationem, adfunt *Starenbergiani* inuales, conatu tamen audaci magis, quam felici. Cum enim ruinas scandunt, fallentibus vestigia lapidibus, & magna succedentium strage prouolutis, muro denique nudato, irritus fuit eundem labor. Accedebat, quod destinata, ad occupandum turre, machinis, & recenti milite præmunita, inusitatam in subeuntibus stragem, ederent. His rebus, induci duces, receptui canunt, non, quod animis concidissent, sed quod ita iubebat necessitas.

§. LXXXVI.

Nollemus cladis, omnium tristissimæ, reficere memoriam, nisi ante nos, *Wagnerus*, oppugnationis eius designator curatissimus, rem omnem, fuscæ facundeque, in litteras retulisset. Sic vero eius sunt commentaria: Hunc, inquit, exitum habuit, celeberrima oppugnatio, quæ *Europam* clamoribus, e multa nobilium volonum cæde, luctu impleuit. In Christianorum

fuccurrunt
laboranti-
bus volo-
nes:

quo videri
tu:

Starenber-
giana ad-
gressio
facies:

canitur re-
ceptui.

Cladis ac-
cepta ma-
gnitudo:

„ annalibus, pauca certamina offendas, acrius, pertinacius, for-
„ tius certata. Pauci e præfidiariis fuere, ad quos non ordo pugnan-
„ di redisset, & immixtus pugnantibus gubernator, præsentia, exemplo,
„ vocibus, animos faciebat. Furnulorum, ac cuniculorum multi-
„ plicitas, telluris mobilitas, rudum iniquitas, valida, e duabus
„ turribus defensio, obices fuere, nulla virtute superabiles. Periere,
„ mille quadringenti, partim terra obruti, vitulati, misere mutilati.
„ *Vecba Dux*, ita sanguine diffluit, vt in *Lotharingi* tabernaculo, do-
„ loribus acerbissimis confectus, admirabili constantia, heroum spiri-
„ tum redderet; vnice sibi gratulatus, quod pro sancta fide moreretur.
Hæc, de clade *Wagnerus*. Nescio, annon, cum *Lotharingi* iniuria,
tunc existimatum sit; laudem, reliquis adgressionibus, *Brandenburgica*
hic, ibi *Bauarica*, immatura hac oppugnatione, voluisse præceptam,
quod non est nostrum disputare. De eo, dubitari nequit, nondum
aditris adeo viribus, animisque fuisse præfidiarios, vt apertam hanc,
& arduam oppugnationem, ignobili metu, cogerentur deserere. *Wagnerus*,
caesorum, e volonibus nomina, tanquam æternis fastis di-
gnissima recenset. quæ iam non vacat recognoscere. Ex præfidiariis,
sexcenti, plus minus, occubere, sauciorum par fere numerus subdu-
ctus. Ita habuisse cladem, cum vlulatu, intra urbem, muliebri, tum
transfugarum indicio, cognitum est.

§. LXXXVII.

Rem, ad *Budam* serio a Christianis geri, crebri nuncii, *Constantinopolim* perferebant, quibus, abiecti præterea animi *Sultanes*,
extra modum adfligebatur; quod cerneret, *Buda* iacturam,
fui ipsius capitis impendio constituram. Ergo, vt curas animo deter-
geret, venatu partim, partim barbaricis oblectamentis aliis, tempora
interpungebat. Contra, *Mufftus*, summus impietatis *Turcicæ* arbi-
ter, ratus, aduersus publicam calamitatem, optime, a religione,
præsidia peti solere, supplicationes, ritu suo, & ex *Alcorani* præscri-
pto, obeundas, grauitè edicit. Subdidit, superstitioni stimulam,
præter *Buda* anceps periculum, nix, media fere ætate, ad eam alti-
tudinem, *Constantinopoli* delapsa, quantam alias, ne rigente qui-
dem bruma, ea regione obseruauerunt, euentuum curiosi. Qua-
tuor deprecationum capita in primis fuere: *Caueret*, omni ope, *Mahometes*,
ne *Buda*, illud regni sui columen, rapina fiat eorum Christiano-
rum; tribueret, nutanti, ad fatalem quasi terminum, imperio suo, pa-
cem, sanguine hostium redimendam; auerruncaret denique, seuens,
longe lateque, pestilentia virus; arctam grauemque annonam, laxaret.
Tanta, multitudinis insania fuit, vt, cum templis haud caperetur, in
campum Martium, *Okmeidan* ei nomen est, Asiatico porrectum lit-
tore, offertis nauigiis, traiceret, ibique, impietati, inter planctus,
& inconditos vlulatus, ad quintum vsque diem, operaretur. Obsur-
duit,

an debeat
Lotharin-
go adri-
bi?

caesorum
hostium
nomen.

Sultani,
de Buda
sua solici-
tudo:

Muffti,
infama velle-
gin. & sup-
plicationes:

duit, ad hæc omnia, *Mabomedes*, & quasi aliud ageret, vel peregre versaretur, aut plane indormiret, suorum, tantis malis, stercoreum se esse deum, testatus est. Senatus interim consultum, *Budam*, ad præfectum, *Byzantio* perlatum, quo significabatur; ni vinceret, percundum sibi fore; ergo, ita rem trepidam administraret; ita *Bude* adtenderet, ut, aut hostis, aut carnificis ministerio, mortem oppetendam statueret.

Senatus-consultum, ad præfectum *Budam* perlatum.

§. LXXXVIII.

AT nostri, cladem, inauspicato acceptam insultu, forti animo dissimulaturi, rem, per omnes adgressiones, geminata virium contentione, gerere pergunt; missilibus flammis, urbem euasiant, muros, qua tormentis, qua cæcis fossionibus, prosternunt, viamque nouo ad saltum adparant. Præcipua *Brandeburgorum*, in cuiusmodi globis ignitis, solertia & adcuratio fuit. Suggestum, in montis latere, excitarant, viginti grandioribus machinis instructum. Perpetua ex his, in urbis interiora, certa que adeo iaculatio fuit, ut vix vnquam, iactus ad irritum caderet, damni autem inferretur plurimum. Desertores nunciant, armenta, quæ macelli causa in vrbe habebant hostes, cum omni præsidio, (vigiliis excubiisque demtis) ad arcis perfugia, nocentissima ea iaculatione, compulsa fuisse. Erat, in machinatoribus, *Gonzalis* quidam, e *Belgio*, a *Grana Marchione*, Cæsari submissus; sed huc dum, fama potius, quam rebus, pro eo, ac sponderat, insigni quodam successu, administratis, cognitus. Noua is arte, e curto illo, laxoque tormentorum genere, quod ex rei similitudine, *mortaria* vocant, globos igniuomos, in immensam altitudinem, tametsi minore pulueris nitrati impendio, nouerat elidere. Sterile inuentum, a tribulibus, diu habebatur: dum excussus, ex flumentaneo oppido, vbi suggestum habebat positum, globus illiusmodi, in puluerem apothecam illapsus, obsecros, iuxta & obsecros, adtonitos fecit, quando, eliso funditis capaci formice, correptisque vna ad finibus muris, horribilis subito fragor editus est. Vna, circum *Budam* hora, meminit *Wagnerus*, tellus, veluti subterranei inclusi aeris impulsu, commota, trepidauit. *Danubius*, veluti incumbente pondere pressus, atque extra ripas effusus, ut pro littore, excubantes stationarii, effuso cursu, insequentibus se undis subducerent. Grandium lapidum fragminibus, completus aer, veluti procellam aliquam, in ripam alteram, effudit. Ad castellum, quod suis emotum fundamentis videbatur, præcipue vis mali, nempe, e propinquo desecuit. Decidua, in *Bauarorum* accessus, petrarum frustra, multos neci dedere; ceteri, metu adflati, ut quorum corpora vacillarent, ne mentes quidem consisterent, desertis stationibus, in castra refugere, neque retinere conantem *Electorem*, aut agnoscerent, aut audirent. Nanquam utilius, ac in tanta operum perturbatione, procurrere poterant *Turca*. Verum, iis quoque consilium

Nostri in oppugnando contentio.

Brandeburgorum adstantia.

pyriti pulueris apotheca in aera eliditur.

quantum fragore, quoque euenit.

omne

omne pauor excuspat. Ex incolis, vario miserrimoque mortis genere, mille quingenta epita, ex omni sexu ac ætate, sublata sunt. Hanc, tantam cladem, undecimo *Calendas Augusti*, orto iam sole, *Turca* acceperunt.

§. LXXXIX.

DVabus post reuulsa moenia, horis, densissimus fumus, & ac-
ci inababat, & nostrorum operibus, induxitque tenebras, nocte illi, supparet; dum interea *Lotharingus*, cum *Electore*, *Pestum* traiciunt, ut inde ruinas, quidque inde commodi oppugnantibus sperandum sit, contemplantur. Aduersum est autem, sexaginta passuum, nudatum muris interuallum, nulli vsui fore, ob montis arduitate, ad saltum inexcusablem. Jam tum vero, concursabant *Turca*, & ni, ambusta tigna, atque omnis generis materiam; lapides illi, terramque, magno nisu congerebant, ut ante obturarent hiatus, quam a *Christianis* procureretur ad ad saltum. Haud vero decrant, qui *Gonzalis*, excussi in acra, formicis eius laudem, derogarent; *Armenio* cuidam, ut transfugatum ferebant indicia, id facinoris adtribuentes. Cuiuscunque temum opera, murorum ea strages, procurata fuerat, parum certe, ad summam rei profectum inde est. Interim, dum laxiores, per adgressiones singulas, murorum ruinae fierent, iterumque, generali ad saltum, & miles destinaretur, & nulla non compararentur instrumenta: visum est *Lotharingo*, præfectum *Abdy Achmannum*, de vrbe dedenda, sero, & minaciis admonere: non, quod speraret, euinci posse barbari pertinaciam, sed ut per nuncium, de vrbe præsidijque habitu cognosceret. Delectus in caduceatorem, *Königseckius* comes, acceptusque humaniter, litteras, quas adulerat, id quod iussus fuit, præfatus, fastoso homini reddit. Litterarum sententia huc redibat: *Nunciari*, vrbe præfecto, & qui cum eo essent, ducibus aliis, *Casarianorum* victricem exercitum, qui *Budæ* admotus sit, non ante hinc demigraturum, quam vrbe, vi deditioneue, potitur; eo iam ventum esse, ut deiectis, pluribus locis, manibus, prona, ad generalem ad saltum, sint omnia; dederent uaturate urbem; id si fecerint, dimissum iri, quo vellet, fide integerima, cum impedimentis, & imbelli multitudine, præsidium militum sin pergerent, rebus iam desperatis, obstinato animo, urbem defensare, eamque, vi capi contingeret, non ætati, non sexui, sed ne dignitati cuiusquam, parsum iri. Respondit ad hæc, & voce, & exarata epistola. Cognita sibi *Casarianorum* fuisse consilia, cum primum, coacto exercitu, expeditionem suscipere; comparasse ideo, necessarios, propulsande obsidioni, adparatus; commendasse rem *Muselmannorum*, atque *Budam* in primis, summo numinis supremi propheta, *Mabometi*; neque irritam prouidentiam hanc suam, precesque fuisse, ex nupera clade *Christianorum*, idonea se cepisse documenta. Si pergerent sibi porro insultare, non desore, *Deum*, temeritatis, & superbie vindicem, qui insolentia

Lotharingi, ad eum casum, adtentio.

parum inde ad summam rei profectum.

vrbe præfecto, de vrbe dedenda, adnotetur.

litterarum sententia.

barbari, insolens responsum.

tia Germanorum caepa, penitus confundat; pulueris illa strage, plus datum esse tumultus, quam detrimenti acceptum; omnium, qui intus sunt, sententiam esse, pro Mahomete, pro eius religione, pro muris, focusque Budensibus, ad internecionem, si ita sit in satis, decerere velle. Redux, cum insolente responso, Königseckius, mirum dictu, quam commouerit ducum indignationem. Dantur mandata cuniculatoribus, ut opus facerent, aduratione, prouidentia, ac celeritate quam possent, maxima. Quod, dum illi fellinato exsequuntur, nuquam fere pretium operæ, damna ubique certissima fecere. Longua foret singularum operarum, seu errores percensere, seu conciliatas nostris clades. Id certum est, rem nullam, oppugnationi efficaciorē p̄suille remoram, quam, aut dehiscentes, aut disploti infeliciter, cunctali. In his, cum reliquorum, tum vnius in primis, malignissimum successum, WAGNERVS queritur. Polliciti, inquit, sunt fossores, & pratēnos vallorum ordines, & in medio sitam semilunam succussum iri. Iamque, ea spe Lotharingus, quina hominum millia, ad inuasionem parati tenebat. Verum, nusquam infelicis ignis, indomabile nimirum elementum, peccauit. Veluti cum hoste conspirasset, ita accurate, vim suam omnem in suos auctores, effudit. Intactis vallis murisque, nostri, in accessibus milites, sublime eiecti, homines prope ducenti, miserrima strage, contumulati, operum pars, ac tormentarius suggestus, sœdum n̄ modum disceptus, ruina asperiores, tellus informis, alibi in tumulos sublata, alibi in fossas depressa, aggressionem reddebat, haud paullo difficiliorē. Ingens profecto calamitas, quam hostes, editis, per moenia, plausibus, proferebantur. Neque hæc, apud Cesarianorum adgressionem solum fiebant; eadem sepe, & Brandeburgos, & Bauaros, fortuna adflixit.

§. XC.

Cumulaturi postridie cladem, Turca, per eunem murorum hiatus, quem felicior cuniculus, in muris feceat, bipartito crumpunt; hinc, in Cesarianos, illinc, in Brandeburgicos inuecti. Atque, ibi quidem, prouidentia Saurii Comit̄is, primus inuadentium ordo, vnica nostrorum displotione, ad eum modum acceptus est, ut centum octoginta deiectis, reliqui, in fugam conicerentur. Infelicis, tamēti fortiter satis, Brandenburgici, rem gēlere. Obiiciunt se, nimirum, incurrenti hosti, cumque loco motum, sub ipsos muros, cæsim punctimque, repellunt; in pessimam, se illic, fortunam induunt. Profilientes enim, e coopertis viis hostes, inuadunt incautos, atque fugientibus coadunati, haud sine cade, intra opera sua, impellunt. Iam aggeres adtentare cœperant, cum Cesarianorum cohortes duæ, subsidio adsunt, certamen instaurant, atque tandem, confluentibus vndique commilitonibus, maiori multo clade, quam ediderant, adfectos, repellunt. E Brandenburgicis, præter gregarios triginta, Löschenbrandius subtribunus, præfecti item tres, sanguinaria ca-

con-

congressionē, obruncati sunt. Cum iisdem malis, Bauaro quoque, colluctandum fuit, cum nec cuniculorum displotiones, sed nec impressiones, in murorum hiatus, feliciter caderent: procurratione autem præfidiariorum, damna subinde infligerentur, grauiora non minus, quam irreparabilia. Acuebat dolorem, Turcarum immanitas, non ea quidem insolita, sed, inter oppugnationis hos labores, vltra modum acerba militi. Quidquid detruncauere capitum, barbari, palis per propugnaculorum loricas, defixerant; sed & arborem, pro Byzantina porta constitam, grandem & conspicuam, fortissimorum virorum verticibus, tanquam ferali fructu quodam, onerauerant; rati, fractum iri, tristi eo spectaculo, animos oppugnantium: quod tamen contra euenit; accendebantur nimirum in vindictam, eo efficacius, quo pro se quisque, vlciscendi maleficii, erat cupidior. Enim vero, sub muros vsque eluctati, positis illic munitionibus, vnde plurimum, & operis, & stationibus, noxæ inferebatur, cominus rem agere incipiunt. In primis, agendorum intimius cuniculorum opportunitatem nacti, opus feruente adgrediuntur; eo potissimum consilio, ut excussa humo, fossam, quæ moenibus præcingebatur, exaquarent, & ponte quasi strato, accessum procurrationi expeditum, facerent. quæ tamen res, consummata suffossione, aliter, quam erat destinatum, cecidit. Ut enim ignis admotus est cuniculo, ingentem is quidem terræ molem, sed in operas militesque, in accessibus agentes, excussit: qua obruti, foede periire. Infremuit, ad eum casum Elector; verum, uti erat artium oppugnandi callentissimus, ex suorum hoc infortunio, nouam hostibus perniciem molitus est. Foueam, scilicet, quam infelix cuniculus excauauerat, altius deprimi, diduci latius, eiusque labra torica præcingi iusserat, ut esset earum operarum receptus, quæ nouis iterum fossionibus, muros subruturæ fuerant. Adhuc vero designabatur operis velligium, cum Fontana comes, dux milesque insignis, lineas ducens, pila sternitur; magno Lotharingi dolore, qui virum eum, ob singularem rei militaris scientiam, maximi facere fuerat solitus. Sed, nec postea caueri potuit, quin largo nostrorum cruore, opus semel iterumque madeficeret. Eruperant, insolenti loco Turca, eo maiore operarum militisque cade, quo minus, ab ea castelli regione, periculi metuebatur. Ergo, inuadunt incautos, cædunt obstantes; centenos Saxones, qui tunc forte somno reficiebant corpora, cum subtribuno Læbelio, plane obruunt; tormenta, impactis clavis, sed imperite, ac sine noxa, temerant. Latius grassaturis, opportune, Beckiana, Badensis, & Lauerniana, legiones se obicere. Isti, ad septimam vsque Calendas Augusti, exstantiores ad Budam euentus accidere.

E e e 2

§. XCI.

§. XCI.

Cuniculo-
rum ma-
lignitatem,
aperta vi
emendant
duces:

adfulens
generalis
deceruatur:

quibus ur-
ribus:

quoque or-
dino:

subsidiaria
cohorces:

VT interim, cuniculorum malignitatem, duces, aperta vi emendant, tormentis rem cum primis gerendam, ampliandosque perpetua verberatione, murorum hiatus, statuunt. Ac *Starenbergius* quidem, eousque assiduis displotionibus profecerat, ut ruinas fecisse visus sit, viginti viris, perpetua serie accipiendis, egregie suffecturas. Nihilio segniores *Bauari*, & *Brandenburgi*, suo utrique loco fuere. Igitur, militari senatu habito, praefectorum sententias, de suscipiendo adfultu vniuersali, *Lotharingus* rogat. Vna omnium destinatio fuit, occipiendum esse omnino; sed viribus, adtentioneque, quam superior ille, maiore; non quod, seu a milite, seu a ductoribus, peccatum in eo quidquam fuerit; sed, ne re futura difficili, frangi se hostium pertinacia, milites paterentur. Eas consilii rationes, non adfirmabant modo, sed maturandas etiam suadebant, frequentes, de *Vezirii*, cum immanibus copiis, aduentu, rumores. Dantur ideo, ad *Capraram* mandata, vti, cum parte equitatus, succensis, ad *Sarvizum*, luculentis ignibus, noctis silentio, *Pestum* traiceret, illic excubaturus, dum de *Vezirio*, certiores adessent nuncii. Die tandem arduo operi, sexto *Calendas Augusti*, praestituto, duodecim millia virorum, adfultui decernuntur, quorum, sex mille, in primaria adgressione; quatuor, in *Bauerica*; denique, in ruinas turris puluerex, nuper in aera elixae, duo millia peditum *Hungarorum*, procurrerent. Praecipuam ducibus sollicitudinem, valli incutiebant, quos ruinis, tanta pertinacia, atque celeritate praestrucebant obfessi, ut, cum catenatis nostrorum globis, deiicerentur, novos ante surrogarent, quam expediri iterum tormenta poterant. Res erat, conorum lusui quodammodo suppar; vbi cadentes plerique omnes, momento surriguntur, novosque iterum iactus expectant. Sed, ea cura, *P. Gabriel*, familiae *D. Francisci* adscriptus, duces exoneravit: quippe, ex pyrotechnices arte, nescio quos ignes graecos, contemperare doctus, qui, vbi semel corripuere materiam, nulla vi poterant restingui. Ergo, designatur insultus ordo, ad eum fere modum, qui superiori illo, obtinuit. *Casarianis* dextra turris, cum intercurrente lorica, sinistra *Brandenburgicis*, oppugnanda destinatur: vti illi, quod latius exporrigebantur adoriunda munitiones, cum tribus mille, hi, angustiore loco, cum mille viris, rem adgrederentur. *Pyrobolae*, cum selectissimis peditibus *Hungaris*, primo ordini adscripti erant; ignitis globis, per occurfantes hostes; *Hungari* vero, framcarum vibrandarum, non secus, quam *Turcae*, gnari, viam per reluctantes adapeturi. Post hos, *sclopetariorum* centenaria cohors; inde, manus, bipennibus, & id genus instrumentis, armata; iterumque *sclopetariorum* centuria, subibant: singulis, quid in omnem casum, quaque virtute, facto esset opus, propositis militariibus auctoramentis, inculcatum. Tunc, & subsidiarius miles, in manipu-

nipulis ita distributus collocatusque est, ut laborantibus, hic alibiue aggressoribus, auxilia fere posset, quam celerrime. Quod reliquum erat mandatorum, litteris perscriptum, & praefectis singulorum ordinum, traditum ex more fuit. In classes quoque dispersi erant, qui belli instrumenta, pugnaturis ministrarent, subducerent mortuos, fauciosue, adtenderentque ad omnes casus fortuitos, ne rei summam perturbarent. Eadem prouidentia, *Brandenburgi*, atque *Bauari* vti, nihil non fecere, quod putabant, tanto molimini necessarium. Sed & *Paulus Eszterházy*, Regni *Hungariae Palatinus*, non minus strenuus miles, quam dux peritus, cum adtributis sibi, bis mille *Haydonibus*, ad omnem se casum, masculae parauerat; &, cum annem, duodecim *Csaikis*, celoces latine dicimus, *Hungarico* milite armatis; tum adium per oppidum ruinas, ita, cum adfultoribus infederat, ut ad procurrendum accinctus esset, expeditusque. Trecenti ei *Germani*, duce *Ambrosio*, dati fuere, qui turris flumentanae praesidiarios, perpetua iaculatione, distinerent, dum adfulturi erant nostri. Summa oppugnationis, *Souchio*, & *Neoburgio*, credita est; utrique, sui legati, seu vicarii, adtributi fuere. Ac illi quidem, *Dippenthalius*, *Oetingius*, subtribunus, *Görgerus* legionis structor; huic *Nigrellius*, *Kettius* tribunus, subtribunus *Rederus*, obtigere. Ad eum modum, instructis omnibus, ne foris perturbationis quidpiam accideret, excubiae, per castrorum circumquaque incinctus, salubri consilio, congemabantur.

Brandenburgicorum,
Bauarorum,
&
Hungarorum
provinciarum:

duces oppugnationis
qui.

§. XCII.

FIt interim, per omnes adgressiones, accessus, stationesque nostrorum, altum silentium. Namque, miles intra receptacula, se continere iussus, summa adtentione, signum prorumpendi expectabat. Rem ergo, sicuti erat, odoratus *Abayus*, ad arma intus conclamat, & praesidiariorum alios, duplicatis stationibus, subministratoque omni, ad resistendum, adparatu, per moenia collocat; alios, in subsidiis ita disponit, ut, vbi vbi res foret trepida, praesto essent, qui submitterentur auxilio. Ignis interim graeci, quos meminimus, arctiore castelli fronte, ad vallos adplicati, arserunt eo vehementius, quo maiore diligentia, adfusus copiose aquis, ab hoste restinguebantur. quos tamen adgressione *Casarea*, ob excubitorum vigilantiam & displotiones, haud licuit adplicuisse; dum, inclinantis in vesperam diei hora quinta, signum, solutis *Pestini* tormentis, adfultui datum est. Fulmine excitatos dixilles obfessores, ita, per omnes circum suggestus, machinae, horrifico fragore, in urbem detonuere. Emergunt simul, ex accessibus, insilientium vndique ordines, procurrunt celerrime, adtinguntque extima rudera.

Nostrorum
silentium:

Abayum,
periculi
admonet,
&
ad resisten-
dum ar-
mat:

anlito in-
sultu signo,
procurrunt
adgressores:

It clamor calo,

Turcarum in primis, qui immane quid vociferantes, per laceratos mu-

Ece 3

ros,

horum con-
tentio:
hostium
pertinacia:

nostrorum
trepidatio,
& fuga st-
stient, a
Lotharin-
go:

enitentur
in ruinas:

succesfo cu-
niculo, eli-
dantur in
aera:

succedunt
mou ad-
gressores:

eademque
cuniculo-
rum mani-
guitate,
pererant:

tertia op-
pugnatio,
aque infe-
lix:

ros, nudatis, ad ostentationem, pectoribus, moenium loco, impauide constiterunt. Subibant tamen, eo pertinacius nostri, quo maiorem in hoste, sui fiduciam aduertebant. Sed, ea fuit, seu virtus, seu indomita hostium feritas, ut neque ignitis pyrobolarum iactibus, neque immissa plumbea grandine, loco, quem occupauerant, possent dimoueri. In nostros contra, nullam non pestem vomebant, quae tanto fiebat perniciosior, quanto vehementius ex alto, in subeuntes depluebat. Cataractas orci, ruptas credidisses, tanta ignium, pilarum, sagittarum, lapidumque tempestas, in enitentes incubuit, ut, misti pyrobolariis, quos diximus, *Haydones*, cum densi caderent, nutare primum, mox & retrocedere, metumque in socios propagare, iam coeperint. Quo viso, *Lotharingus*, nudato pugione, sublataque voce, increpat, hortatur, animat trepidantes. Redeunt ergo, & ad se, & in ordines, tantaque vi, in oblucentes inuehuntur, ut eadem impressione vallis potirentur, eniterenturque in murorum ruinas. Iam signis, in victoriae monumentum defixis, munitionibus, aduersus irruentes vndique hostes, se circumdabant; cum excusso cuniculo, victrix statio pessumit tota: aliis in aera elisis, saxi obrutis aliis, aut dehiscente humo, foedum in modum absorptis. Id, in ea clade, inerat commodi, quod cum fumus locum funestum, densa instar nebulae, offudisset; nequirent subeuntes, periculi magnitudinem cernere. Ergo, ad recuperandam stationem impulsis, eadem contentione perumpunt, acri pugna remouent hostem, partem ruinarum occupant, pedem figunt, vexilla depangunt, loricaeque moliantur. Tunc vero, tonare iterum subitus, tellus concuti; dum nouus cuniculus, terribili boatu, erumpit e profundo, totamque, fortissimorum virorum cohortem illam, pari malignitate, disperdit. Nouem, eodem ruinarum tractu, ferales istiusmodi furnos, substructos habuisse *Turcas*, cognitum est postea. Miserabile id spectaculum fuit. Multi, tanta altitudine elisi, per aera volitabant, ut oculis subducerentur; foedissime amburebantur alii; alii ruinis sepulti, inter viulatus emoriebantur. Quos pesti illi, melius fatum subduxit, circumfusi *Ianitschari*, aut concidere, aut in fugam actos, glandibus sunt persequuti. Tametsi ergo, loco adeo infesto trepidoque, vix quidquam virtuti relinquebatur residuum; subibant tamen noua, in noua pericula, cohortes, eo maioribus animis, quo praesentiozem necem contemplabantur. Fit ergo, tertia, eodem fere loco, adgressio, reuelluntur manibus valli, cumque lentius repugnarent *Turca*, paratur iterum in ruinas accessus. Desperauerant praesidiarii, locum se porro tueri, cum fructu, posse. Proinde, vascula pyrii pulueris, pilas igniuomas, malleolos, & quam non pestem aliam, intra rudera, ne notari vitarique possent, sparsim condunt. Mox, cum huc enisos *Christianos* vident, audiuntque victoriam conclamantes, clanculario fomiti, ignem subito admouent, qui flammis, ictu oculi, in ferales insidias propagatis, incendium edidit, tam atrox, ut cum deesset alendo ei materia, miles ardere inciperet. Igitur, armis

abie-

abiectis, hi quidem manibus & morsu, procubitu in terram, & volutatione alii, flammis, nec quidquam a se amoliebantur. Quos incendium haud contemerauerat, insilientes e ruinis lapides, & farti puluere inflammatae globi, aut interimebant, aut perniciali vulnere, fauciabant. Pauci, iique ultra, quam satis posses misereri, foedati, ex orci rictu illo, euasere. Exusti nonnullis erant oculi, facies carboni similis: plerisque, concremata toto corpore veste, non paucis cutis assa laceraque, ex artubus pendeat. Id, singulare numinis beneficium, in tantis malis, censebatur, quod hostis, partim disiectis, partim repressis adgressoribus, siue non sit ausus, siue nequiverit, in residuos a clade, procurrare. Auctoramento hoc Duci fuit, uti militem intantum adhuc, & in spem optimi successus erectum, fortiter colluctantibus, subsidio, summa vsus celeritate, submitteret. Tunc demum vero, furibundis similes, frustra toties tentatum constratumque cadaueribus locum, fulmineo impetu adoriuntur, peruadunt, & concisis belluis, duarum turrium aditus, occupant, quidam, nimio pugnandi ardore, quasi extra se rapti, intra urbem penetrant.

§. XCIII.

Svb idem tempus *Brandenburgici* quoque, iisdem fatigati difficultatibus, sinistra moenium parte, in ruinas emergunt. Prolixius sim oportet, si velim describere, qua virtute, quaque fortissimorum militum, & praefectorum iactura, constiterit, arduum victoriae genus. Illud silendum haud est, *Haydonem (c.)*, lauriensium signis adscriptum, hominem audacem non minus, quam fortem, inter ignes telaque, cum commilitonibus, & qui e vestigio sequebantur, *Brandenburgicis*, eluctatum, vexillum isthic, primum omnium defixisse. Trium horarum cruentissimo certamine, occupata statio, eo in primis felix fuit, quod dextro quoque latere, euictus, post tot clades, murus extimus, hostem eiusque impetum, diuiserit postea. Nec cunctandum rati victores, receptum, ritu militari, omni ope moliantur, admouent operi manus, milites iuxta, & duces, tanta celeritate, ut ante lorica se praecingerent, quam id futurum hostis putarat. Quo viso, cum facile coniceret *Abdyus*, confirmata illic statione, subrutum occupatumque iri a victoribus, murum quoque secundarium; fossam, in qua se communiuerant, sarmentis, pice, resina, globis igniuomis, & nulla non re, alendo discernandoque igni idonea, opplet, & momento succendit. Non potuit non, vicinissimum atque noxium extra modum incendium, *Brandeburgos* perturbare, cui auerruncando, cum sufficere nequeunt, haud sine numine euenit, ut oborto concitatore vento, fumus in urbem retorqueretur, caecosque eo adflatu propugnatores, a noua, quam adparabant, inuasionem, inopinato reprimeret. Fuit hoc in primis opportunum, ad munitionem,

quarta
succesio.

Brandenburgicorum, sinistra parte, molestia & victoria:

stationem in ruinis moliantur:

hostium aduersus eam instruiti frustra ignes:

(c.) Dignum oppido nomen, quod haec interseretur, si perlatum ad nos fuisset.

Schönin-
gii laus.

quam moliri cœperant, prorsus conficiendam. quod eo successit expeditius, quo maior erat Schönigii sollicitudo, ne, seu per ignauiam, seu per imprudentiam, committeretur quidpiam, quod in suum, militisque dedecus verti posset. Nimirum, relictis in turri, quam adscultu ceperat, iam vero, aduersa rei difficultate, seruari posse desperauerat; stationem eam, lorica, tumultuario opere excitata, præmunuit, atque copiarum reliquum, ad opus, vno hoc loco in primis consummandum, reuocat.

§. XCIV.

Difficultates, quæ
Bauarum
dilectio-
nem:

His laboribus, cruore, ac periculis, gemina, *Cesarianorum*, & *Brandeburgicorum* aggressio, ex parte vtrouique victoria, consistit. *Bauaro*, eadem, & si fateri velimus, quodammodo etiam arduæ magis, & superato impeditiores difficultates, oblitere. Præterquam enim, quod oppugnationem, omnium laboriosissimam sibi delegerat, implexæ inuicem munitiones, iamque in ruinas, continenti iaculatione, detritæ, asperum reddebant ascensum; prona, ad insidias, cuniculos, & furtiua maleficia, erant omnia. Procurritur tamen heic quoque, ad conditum signum, haud minore alacritate. *Cluius*, cui insidet arx, eadem contentione, superato, æcis ad vallos, & postea in ruinas, sit pugna. Reiecti ad vltimum hostes, cum non iam sensim, sed concitatore gradu, inter perpetuos glandium imbres, quos in subeuntes, *Parthorum* more effundebant, retrocederent, incitauere *Bauaros*, vt tanto instarent vehementius. Atque, cuius omnino fuerant in ruinas, ibique stationem circummunire laborabant, cum mugiente intus tellure, quassari & diffugere ruina occiperent. Non erat integrum, casum euitare. Prorumpunt interim, quasi recluso orco, tres, ex imo, cuniculi, corripunt militem, operas, rudera, atque in auras, vltra, quam oculorum acies adsequi posset, excutiunt. Quidquid prima hac aggressione, militum procurrerat, misere id, & non sine adspectantium horrore, interiit. Vidisses, integra hic, & ardentia cadauera, truncos alibi, artusque humanos, quasi celo depluere. Subibant nihilominus, incubante adhuc fumo, noui iterum ordines, trudebanturque, suo non minus, quam ducum ardore. Sed his quoque, infesta fuerunt eadem rudera: quippe, puluerum fassis, late instructa, qui igne concepto, non iam viritum singulos, sed cohortes integras, fumo, flammis, & iactis huc & illuc lapidibus, sternebant; hostibus interim, per densissimas fumi nubes, hic glandibus, illic piccis fertis, inflammatoque sulphure, in colluctantes depluentibus. Itaque, non tam cum viris, quam flammis, pugnandum erat aggressoribus, fuitque, & auditu, & visu horribile, cum morientes, & quos flammæ corripuerant, terrifico mugitu, æra implerent. Quibus rebus, perculsi commilitones, hi lentius instare, illi fugam circumspicere. Atque, retulissent omnino pedem inglorii, nisi *Eugenius Sabaudus*, &

Ludo-

Ludouicus Badensis, pugnantibus commixti, exemplo magis, quam imperio, animassent consternatos. Erant tamen, quos concepti vestibibus ignes, in Danubium vsque, restinguendi causa, propulere. In his non pauci, flammis præfocati, ante concidere, quam flumen adtrigissent. Reliqui, *Eugenii*, & *Ludouici*, qua voce, qua nutu, instincti, resumunt spiritus, inuadunt, pro ruinis oblucentes, atque, extus flammis, intus vindictæ cupiditate ardentes, vir viro hærescunt, & pugnionibus, quos sclopis præfixerant, in ora directis, per medios reluctantium ordines, percurrunt: cumque essent, qui contis, lanceis, falcibus & bipennibus, vel aperirent emergentibus viam, vel præmunirent, tandem, languescente puluere incendio, in grandem semilunam, quam sibi præcipue destinauerant, pertingunt. Inopino, post tot horribiles mortes, successu, perculsi hostes, abiectis hi armis, semicrines alii, in fugam ruunt. Instant *Bauari*, & quod euadendi adminicula defecerant hostes, ad vnum omnes concidunt. Ferunt, parum abfuisse, quin porta decumana, minorque altera, laboriosissima ea procurfione, occuparetur. Hæc *Bauarorum* opera fuit; *Electore*, voce nutuque, qua conspici poterat, audiri que, suorum ardorem, sustentante. Quæ omnia, cum per trinas aggressiones geruntur, *Hungari* quoque, pro sua virili, adsiliunt, ea virtutum contentione, quæ potest esse maxima. Iniquissimus eis ad oppugnandum, siue consilio, siue sorte, locus obtigerat; numerus autem paucioribus, quam res poscebat, aggressoribus constabat. Enisi tamen sunt ad reuulsa vsque moenia, semel atque iterum; sed, quorum ruinas, præter opinionem, recentis muro fartas repererunt. Accedebat, hostium, hac regione, multitudo, tanto fortius defensantium adtributam sibi stationem, quanto infelicius alibi, rem geri intelligebant. Certe, flumetanea turris, quam a tergo insidebant hostes, plus nocuit adsilientibus, quam aduersa frons, moenia propugnantium. Id vero, ostentandæ virtutis occasio fuit *Hungaris*. Namque, per ardua montis, inter perpetuos hostium, a tergo, a latere, & fronte, iactus, manipulatim cluctati sæpius, maiorem, quam pro suorum numero, stragem, in hostibus edebant. Stationem, sub cortina molientibus, cum arduitas, & apertum cliui latas, tum suorum paucitas, oblitit. Duces profecto, cum gregario milite, de periculis, quæ adenda erant, gloria certasse inuicem, relatum accepimus. Alioquin, nulla fuit aggressio, qua non *Hungarus* miles, inter primipilos censeretur.

§. XCV.

Atque, ea quidem oppugnatio, oppido laboriosa, plenaque ancipitis periculi, ad hunc modum, numine propitio, confecta fuit: rarissimo, aut certe nullo, retro actis temporibus, exemplo, siue hostium, in propugnando pertinaciam, siue nostrorum, in enitendo, constantiam, atque fortitudinem, existimes. De-

Tom. III.

Fff

sidera-

percurrunt
per totas
idem:Electoris
virtus:Hungaro-
rum adu-
sus, extra
modum
difficilis:eorum for-
titudinem.Totius op-
pugnatio-
nis ratio:

desideratorum numerum, sic definit WAGNERVS: *Cæsarei legionarii, bis mille sexcenti; præfecti variorum ordinum, centum triginta, aliquot: Brandenburgici quadringenti, ac prope sexaginta præfecti, desiderati. Ad castellum, octingenti periere. Curlandæ princeps, lethaliter saucijs, haud diu post, obiit. Honestæ item vulnera retulere, Croyus princeps de Lauerngia, Dippenthalius, Tingenius, Archintus, Truchsessius, exteri: Escalona Dux, Valerus Marchio, Zuniga, Planerus, Vysela comes, aliique innumeri, quorum mihi nomina non obuenerunt. Denique, velut magno prælio, ita attenuatus exercitus, ut ea nocte, trecentis dimachis, stationes complenda essent. Ex obsessis item, mille quingentos Ianitscheros, præsidii florem absumentum, e desertoribus intellectum est. Nostri, interim, ut, quas tanto cruore occupauerant, stationes, non defenderent modo viriliter, sed in reliquis etiam munitiones, prorogarent, omnem dedere operam. Fuit instituto, casus fortuitus. Cum enim suffossionibus muros nituntur subruere, in portam incidunt operæ, quæ in fossam, secundi muri deducebat. Multum ea res opportunitatis habuit, non minus, defensandis stationibus nostris, quam agendis, ex occulto, cuniculis. Habitus postea senatus fuit militaris, quemadmodum, fossa, secundo muro præcincta expleri, aut possit, aut debeat. Præter eximiam altitudinem enim, quadraginta latam passus cognouerant, qui eam explorauerant penitus. Placuit, nullum non laboris genus adhibere, & qua terra, qua adgestis fascibus, ad eam altitudinem exæquare, profundum illud, quæ commoda esset, expeditaque, adfulturis. Educta mox, infano labore tormenta, & per suggestus collocata; altero post oppugnationem die, in inferiores munitiones, eulbrari coepta sunt: mortaria potissimum, quorum præcipuus fuit usus. Erat hoc, fabrilium operarum magistris in acceptis ferendum, quod per ardua montis, & ruinarum aspera, subuchi potuerint machinæ. Coæquatas enim quomocumque ruinas, tabulatis constrauerant; per quæ, nescio, cuius trochlex beneficio, in altum subducerentur, maximi ponderis æneæ fistulæ. Atque, successit omnino destinatio; cum breui post, deterfo hostili, in secundo muro, suggestu, facilior multo reddita oppugnatio est. Cuniculi contra, magno festinatoque labore, prouide instructi, nunc quoque, haud respondere expectationi. Alter enim, reuulsa exili quadam muri parte, operas sexaginta, misere oppressit; alter, quasi errorem prioris emendaturus, ita subsiliit, ut suggestus oram, proturbatis in fossam duobus tormentis, dimissisque in aera propugnatoribus conciperet.*

§. XCVI.

Abdyus de ditionis iterum admonetur:
Feruebat ergo iam, proximior verberatio, fiebatque in muris, quos cuniculus posterior, conquassarat, hiatus longe lateque porrectus: cum misso tubicine, *Abdyum*, ditionis, iterum iterumque, duces admonent. Ac visus est omaino, non plane nihil remi-

remisisse a ferocia, vir fortissimus; sed, quod trium horarum inducias, deliberandi causa posceret, eæ vero denegata a nostris fuerunt; res omnis, facile tunc quidem adhaesit. Euenit interea, ut partim cuniculis, partim grandioribus tormentis, laxiores, in horas singulas, ruinae in moenibus fierent. Quo viso, *Abdyus*, ut siue nostris remoram poneret, siue suis fucum faceret, duos *Agas*, in castra, obsidum loco ablegat, atque impetrat a *Lotharingo*, ut præfectorum aliquem ad se, cum agendi potestate, nihil cunctatus, mitteret. Fuit is *Creitzius Baro*. Admissum, ultra, quam a barbaro sperasset, humaniter accipit *Abdyus*, coactoque senatu, de *Tökölö*, deque *Vezerio*, accerbe conquestus; illi, tamquam qui bellum conlasset; huic, quod tardaret superpetias, dira quæque imprecatus: *non demum se aduertere, inquietabat, in quod sit coniectus discrimen! quantumvis autem, ancipiti se circumuentum periculo videat, non posse tamen inducere animum, uti acropolim Turcici imperii, Budam, Germanis dederet; maxime, quod capto licet muro extimo, urbis pars maxima superet inconcussa. Absciderent sibi Christiani, neque successu nuperi adfultus, instarentur; pronos, in utramque fortunam belli casus esse solere; sin eo res perducta fuerit, ut spes nulla sit super, urbis seruanda, posse tunc rationem iniri, quemadmodum, & obsessis satis fiat, & obsessoribus: nominaret modo, CHRISTIANORVM VEZERIVS, (ita Lotharingum adpellabat) urbes & arces, quas vellet, optima fide Turcas in decessuros; modo BVDA sibi relinqueretur. Respondit *Creitzius*, nihil sibi, in eam rem, demandatum esse; non de fore Cæsari arma, quibus arces reliquas expugnet; nunc Budam peti, & propemodum teneri iam. Hæc, in senatu acta sunt. quo dimisso, seducit barbarus in conclauem intimius *Creitzium*, ibique, adstante *Muffcio* Budensi, palam profitetur: non se tam pertinaciter a dedenda urbis consiliis abhorrere, quin adsentiri vellet Christianis, modo vnus deditio urbis, pax posset redimi. Hic vero iterum *Creitzius*, nihil se horum in mandatis habere, regessit; relaturum tamen ad *Lotharingæ Ducem*, curaturumque, ut quam primum certior fieret, quæ sit Cæsarianorum sententia. Dum hæc cum *Abdyo*, *Creitzius*, nulla ab oppugnatione cessatio fuit. Epulis postea adhibitum adparatissimis, tam blande humaniterque habuit *Creitzium*, ut non hostem crederes, sed contubernalem: tandem, iunctis dextris, dimissum, per *Vsennensem* portam exire iussit, ut longior esset per plateas urbis processio; has enim, honoris testificandi causa; reuera autem, ut ostentaret superstitem militem; *Ianitscharii*, utroque latere, densatis ordinibus stipauerant. Ut ad Ducem retulit *Creitzius*, quas tradenda urbis condiciones dedisset *Abdy-Achman*, mira res, & infantiæ similis visa est omnibus, qui in senatum fuerunt adhibiti. Proinde, nuntiatum postridie, homini præsidenti; nihil consilii salutis obfessis superesse, nisi in dedenda urbe: id, ni festinarint exsequi, daturus pernicitatis tarditatis poenas. Nimirum, addebat animum *Abdyo*, *Vezerii*, cum exercitu aduentus: idem vero, simul vrgebat nostros,*

mittit in castra obsides, Creitzio, in urbem ablegato:

quid illi actum:

redit Creitzius laboribus victo:

stros, vt in opus, omni virium contentione, incumberent. Proinde, explendæ, de qua diximus, fossie, subruendisq; muris, labor, diu noctuque impensus, id pretium fecit operæ, vt hostes, quibus statio fuerat in fossa, substructo cuniculo depellerentur. Hunc, cum fodiebant operæ, pestilenti quodam halitu adstabantur, concidebantque, multa demum confocillatione, in vitam quasi reuocandæ. Neque id mirabuntur, quibus *Buda* situs, & soli ingenium cognitum est; montanus ille quidem, sed e petris ita compositus, vt passim rimas habeat, varic dehiscentes: quæ demum, collectos, ex calidarum, quæ subtus vbertim scaturiunt, vapore, sulphureos halitus, si qua detur exitus, ad eum modum eructant, qui fodinis esse solet familiaris.

§. XC VII.

ITa erant res, cum *Electo* *Bauarus*, siue *Cesarianorum* virtutem æmulaturus, siue sui daturus documentum, nouam castelli oppugnationem decernit; obtentu vsus, haud sane friuolo. Frequentes, nimirum, adferebant nuncii, adfuturum propediem, cum ingenti exercitu, *Vezerium*; sibi ergo, ita videri, aiebat, retentandum, omni ope aduultum, vt capta vrbe, obuiam procedi hosti, atque muralis hæc victoria, campestri alia, possit cumulari. Spem, præterea cuniculatores, haud dubiam fecerant heroi, subruos cuniculis muros, ruinam, si succendantur, minari, nulli, tota obsidione, secundam. Ergo, ter mille suorum adparat, vt, si cuniculus destinationem, edita murorum strage, adiuuerit, procurreretur fortiter. Sed, cuniculus quidem, morem tenuit, & ne contemperato quidem muro, humum tantum resoluit. Putasses, delititurum ceptis *Bauarum*; perseverauit tamen in sententia, & misso, ad *Lotharingum* nuncio, impense rogauit; vt, cum ipse castellum suscipit oppugnandum, *Cesariani*, & sociorum reliqui, facta, improviso adgressione, distinerent & ipsi hostem. Præcipiebat animo Dux, male rem casuram: ne tamen contraire videretur, excelso *Bauari* animo, cohortes aliquot, *Bischoffshausenio*, & *Herbersteinio* ductantibus, auxilio mittit, & vna adire iubet. Procurritur, ad editum signum, acriter, reuelluntur, qua manu, qua bipennibus, valli, neque omittitur quidquam, quod primo illo ardore, fieri oportuit. Stabant, promti in moenibus, præsidarii, quin, in ruinarum vsque tumulos, se demisere, cominus cum hoste pugnaturi, si res casusque posceret. Interim, commota quasi tempellate, tantam sphaerarum ignitarum, globorum, ollarumque, sulphureo puluere fartarum, lapidum item, & missilium telorum vim, in eluctantes effundunt, vt vix vlla, enitendi vltra, spes superaret. Fato, an consilio, accidit, sub acerrima dimicatione, vt, siue præfectorum, siue gregariorum aliquis, ouabundo similis, alta lataque voce conclamaret: *Captum a Bauaris castellum teneri!* Quæ voces,

construatur oppugnatione.

Bauarus, nouam, castelli oppugnationem decernit.

quibus de causis:

Cesarianorum supplicia, ab insano Lotharingio missa: incurfus ratio:

tantum potuere, apud *Cæsareum* militem, suæ, quam alienæ gloriæ amiciorem, vt *tametsi* res esset desperata, conmitterentur tamen superare vallos, scandere ruinas, & loco etiam iniquissimo, nihil non præclari facinoris edere. Semel, atque iterum reiectos, subeuntesque denuo, cum pessime accipi Dux intellexisset, receptui, *Cesarianis*, at multo, quam e re fuisset, tardius, cani iubet. *Retrahi ab dimicatione, tam ordinate non potuere, quin permulti, vt in recessu, telis hostium confugerentur. Fortes viri, ducentis haud pauciores, totidem e Bauaris, cecidere. Præter duos, quos nominari, duces (Bischoffshaulenium & Herbersteinium) centuriones tres, Caunitzius comes, subtribunus sauciatus. E Brandeburgicis, nam & hi exemplum male secuti fuerant, vnde viginti præfecti, centum quinquaginta gregarii casu. Tanti stetit præcepit, ac male digestum consilium, inquit WAGNERVS. Non poterat exoptatius quidquam hosti euenisse, Bauarorum hac intempestiua, an temeraria adgressione. In spem nimirum erigebantur, fore, vt commutata oppugnationis fortuna, deiicerent, e primi muri stationibus, Germanos; dum interim, ingruente extus *Vezerio*, aut conligendum erat hostibus, aut ingloriis discedendum ab obsidione. Adfirmauerat eam confidentiam, *Brandeburgicorum*, e turri, quam occupasse eos diximus, infelix, sub aduultu, depullio, & obtritæ illic numerosiores operæ. Enim vero, vt palam facerent, quam sint a deditiois consiliiis alieni, quamque bene de se, & aduentantibus auxiliis sperent, *Turca*, publicos, per urbem plausus, edunt, atque tympanorum tibarumque læto concentu, vt audiri a nostris possent, viderique in moenibus, ouantibus similes, exultant: instruant nouum suggestum, ex quo *Suenorum* stationem impeterent, remque tam strenue gerunt, vt nunc demum propugnationis laborem exorsos credidisses. Ac parum omnino aberat, quin hostium hæc ferocia, *Lotharingo* perniciosior fieret. Non procul forte aberat, cum illapsus, in puluereum doliolum, globus, edito vehementi fragore, disceptisque machinatoribus, ipsum pene ducem corripere. Proinde, ne impune ferociret hostis, redintegrata, quin geminata etiam displensione, obruendam igne missili urbem, exarmanda tormentis moenia, & nullo non oppugnationis genere, quasi nunc iniret obsidio, diu noctuque vrgendum hostem, duces statuunt. Neque minori adliduitate, fossa, a militibus operisque explebatur; tametsi lentiore, quam sperasses, successu; quod ingesta toties sarmenta, studiose exurebantur a præsidariis. quæ res, vt ex se remorabatur opus; ita, noxia fuit militi, ob fumi malignam indolem; nullus tamen ideo locus cessationi datus est.*

§. XC VIII.

Fiebat his rebus, vt eneruarentur in dies magis magisque præsidarii, daturi, iamiam victas manus, nisi novos, ex adpropinquatione *Vezerii*, spiritus fumissent; nostris autem, noua iterum

profus irrita:

clades accepta:

crepant inde animi obijci:

vulsumur vltor congemmatat.

Vezerii adpropinquatio:

iterum iniecta fuisset sollicitudo laborque. Restaurato, ad *Eszekinum* ponte, cum nonaginta millibus, *Drauum* superauerat *Vezius*, totis viribus elaboraturus, uti depellere ab obsidione posset *Casarianos*. Dum illic stativa habet, *Sejtanum* purpuratum, cum quindecim millibus, selectissimorum equitum, praecedere, & hostium vires destinationesque, speculari iubet, infestareque pro castris excubantes. Simul, rumor hic percrebuit, adfirmatusque est ab exploratoribus, difficillimis rebus, tempellive consulturus *Lotharingus*, senatum militarem cogit. Sententiam duces iussi dicere, vix reperiebant, quid statuerent. Nam alii quidem, & obsidionem urgendam, & prodeundum hosti obviam, magnis animis consulcbant. Minus se probabant, consilii rationes his, qui suorum paucitatem existimabant. Plerisque, contrahi in vnum locum, oppugnationis robur, placuit. Dum sic disputatur mutuo, *Dux* ipse, quid sentiret, exprimit. Reuocandum esse, ante omnia, ex sparsis hic & illic stationibus, equitatum; valhum, castris circumducendum quam validissimum, quo se contineret exercitus; oppugnationem vero, tametsi decem admodum millium superaret peditatus, pari numero viribusque, prosequendam; subruendos cuniculis muros, neque vlla re prodendum metum; curandum praeterea, quam sollicitissime, ne quid damni, ab erumpente hoste, accipiatur. Si interim ingrueret *Vezius*, instructa acie, inter aggeres expectandum: cumque prout sit existimare, vasti ambitus castra, haud, eadem impressione adorturum *Vezius*; sed, hac illacue, tentaturum pertrumpere; ita ordinandam esse aciem, ut si *Bauaris* incumberet vis hostium, *Casariani*, in latus pugnantium inueherentur; iterumque *Bauari* idem facerent, si urgerentur *Casariani*. Eadem mandata, *Brandenburgici Suenique*, accepere. Simul, Ducis haec sententia, adprobata in senatu fuit, designati circum castra aggeres, summo studio educuntur, castella ponuntur passim per collinos situs, adducuntur in suggestus tormenta, neque omittitur quidquam, quod amolendo discrimini, videbatur idoneum. Et, ab oriente quidem, ducto, inde a Danubio, aggerum capite, pone *Gerhardinum* montem, *Bauari*, vsque ad montem aquilae, castra praemuniere. Hinc *Brandenburgi*; post hos *Sueni*, ad cum vsque montem, qui vallem *S. Pauli*, a veteris *Budae* planitie, discriminat, opus faciebant: reliquum, *Casariani* consummauerunt. Plurimum, *Brandenburgorum*, *Suenorum*que stationi metuebatur: quam ob rem, *Heisteri*, atque *Ladronii* legionibus, cohortibus item duabus, edito loco metantibus, confirmari eam oportuit. *Hungari*, & *Croatae* equites, ad *Veterem Budam*, ad *Pestum Bauari*, excubabant: celeribus nunciis, iam ante, ad *Carassam*, *Heisterum*, & *Transiluanicas Scherffenbergii* copias, dimissis, uti festinatit itineribus, quam primum in castris adessent.

acutis no-
strorum
providen-
tiam:

Lotharin-
gi senten-
tia:

adprobatur
a senatu
militari,
suscipitur-
que eius
consequatio,

§. XCIX.

DUM castra, ad hunc modum, extus communiuntur, non tantum non cessatum est, ab oppugnatione; sed ostentata simul virtute, plus edebatur motuum, quam rebus, nondum in hanc trepidationem coniectis. Opera omnia, quae contra urbem obuersa fuere, noua fossa, & vallis defixis communita, praecingebantur. Bis mille viri, in accessibus, mille, ad suggestus, dies noctesque perdurare iussi, cauebant perpetuo, ne hostium incurfiones fierent, adtenuato militi noxix. *Paulus Eszterházius*, Regni Palatinus, flumentaneum oppidum, porro insidendum sibi sumit, seque aduersus barbarorum incursum, palis defixis, obuallauit. Neque Danubius, a custodia immunis mansit. Naues, ad classis speciem concatenatae, & ferratis trabibus, per proras commissa, amnem pracludebant, ne forte aduerso flumine hostis eniteretur. Infra, qua exitus *Gerhardini* montis pes, profluenti imminet, pons incubabat, ita instructus, ut vltro citroque tuto commeare possent, subsidiariae copiae. Reliquum alueum, celoces duodecim, cum nauiculariis, perpetuo in nauigabant, ne hostis, siue ex insulis emergeret, siue amne aperto, insidias posset instruere. Dum haec fiunt, fama subito increbuit, quindecim illa, quae diximus, hostium millia, *Albenfi* itinere aduentare. Iniecit rumor, suspicionem Ducis, per montanam regionem impressionem hostes meditari. Ergo, emissis speculatoribus, quid esset rei, cognoscit, montanam regionem omnem, quae castris offundebatur, per rerum peritos, explorare iubet; ipse, in *Suenorum* monte, alti patentisque prospectus, tentorium ponit; collinos accessus, stationibus praemunit, datisque, ad legiones mandatis, totum se, ad resistendum hosti, comparat. Euanuit tamen, breui post, rumor, posteaquam tria fere millia, *Bauarorum* stationes adtentare ausa, nullo negotio, repellerentur. Habuit, hostium ea cunctatio, id commodi, ut, robore eo maiore, instrui possent castrorum munitiones. Nullus erat collis, quin castellum haberet, a milite, & machinatoribus, infestum. Qua se valles deprimebant profundius, sarmentis, vimineis corbibus, & nulla non materia alia, exaggerabantur, ne paterent hosti irrupturo. Opus, ea providentia, in primis fuit, in valle *S. Pauli*, qua in veteris *Budae* campos desinit. Locus erat, ad pertrumpendum in primis facilis, quem ideo, stellato munimento, ita obmuniari necessum fuit, ut quaqua se infunderet hostis, destinatis tormentorum iactibus, reprimi tantisper posset, dum structis ordinibus, occurreretur ab equitatu. Mirum dictu! trium, non amplius dierum spatio, opus immensum, circumquaque consummatum est, fuitque, ad decimum Augusti, quaedam quasi feriatio militum, eo maioribus animis, hostem expectantium, quo insignior, ex gemina victoria, campestri hac, murali illa, gloria expectabatur. Iniere mox velitationes, cum hostibus, non plane quidem imbelles, sed vix vilius euentus. Plurima,

Oppugna-
tio eodem
tempore con-
tinuatur:

ducum sol-
licitudo in
anerum-
candis peri-
culis:

Vezius in
adpropin-
quando
cunctatio,
nostris uti-
lia:

munitionum
circum
castra,
rationes:

velitatio-
nes contra
hostes.

Baua-

Bauaris, & Hungaris, cum iis conflictatio fuit. Litteras hi reperere, apud occisum exspoliatumque Turcam, quibus de Vezirii consiliis, Abdys edocebatur; simul admonitus, vt quo essent Christianorum castra habitu, quo robore exercitus, mature, auxiliaturos condoceret.

S. C.

Venit in conspectum nostrorum Vezirius;

pugnandi apud nostros ardor;

Bauari in eam rem sententia;

Lotharingi consilium, prorsus alie- num a consilio.

Sic erant nostrorum adparatus, & circumductæ castris munitio- nes, cum *Vezirius*, sexaginta millium exercitu stipatus, in conspectum prodit, eodem loco metaturus, quem biennio ante, clade sua, hostes nobilitauerant. Dicit nequit, quantus pugnandi ardor, militem nostrum inuaserit, cum explicatam Turcarum aciem cer- neret. Gregarii, suos quique præfectos, hi duces, isti *Lotharingum*, orabant, pugnandi sibi daretur facultas; prona ad victoriam videri omnia; tantum in paucitate animorum esse, ardoris tantum, quem ad profligandum hostem, non tam sperent suffecturum, quam confi- dant. *Bauarus* in primis, pondus addebat, æquissimæ ducum, vti rebatur, & profectæ a virtute militari, petitioni. *Videret* *LOTHARINGVS* (aciebat ille) *ne lentis consiliis, animorum remissionem, militi, au- de pugnam deposcenti, inducat, reique bene gerenda occasionem, fere cum dedecore, dimittat. Se, suosque, si ita iusserit Dux, primos in hostem ituros. Delectatus, militari hoc calore, Lotharingus, senatum bellicum cogit, ducum sententias, ac Bauari potissimum, pro more suo, placide disputari iubet. Plerisque omnibus, Electori accedentibus, tandem Lotharingus intercessit, grauique oratione do- cuit, quid esset, cur in contrarias consilii rationes, abire cogere- tur. Durum esse, & ancipitis plenum periculi, desertis validis adeo munitio- nibus, vagum hostem adoriri, & conseltari retrocedentem. Vsu doctum, fere compertum habere, Vezirium, ostentata pugna facultate, nusquam constiturum; sed, eo usque prolektaturum Germanum, dum flexo, huc aut illuc, ex improviso, impetu, per munitiones perrumpat. Certum esse praterea, non cessaturos obsessos, quin, sub idem tempus, negotium fa- cessant oppugnatoribus. Quocirca, stare sibi sententiam; oppertendum in- tra munitiones, hostem. quas, si adoriretur, tormentis primum, & nul- lo non ignium genere, rem agendam; atque, vbi ad manus ventum fuerit, eo fortius propugnandos aggeres, quo proclius est suspitari, vim omnem hostium, vni alicui lateri incubituram: nam, vt pluribus simul locis adgressionem adtentet, vastitate munitio- num partim, partim nostro- rum vigilantia, deterritum iri. Res, intra vallum, ita esse compara- tas, vt, quidquid occipituri essent barbari, in irritum id omne casurum, animo præcipiat. Adfuturas interim Scherfenbergii copias, quarum ac- cessione, aucto exercitu, deliberandi, & tunc fore locum, quo vincen- di genere vtendum esset. Vt hæc dixit Lotharingus, nemo erat, qui contraire auderet: quinimmo, sumtis, ex Ducis hac adlocutione, animis, hilares, pleni- que bonæ spei, ad suas quisque stationes, abiere.*

S. Cl.

S. C I.

Pergebat interim hostia, non tam, vt prælum adpeteret, quam, vt ostentata suorum multitudine, & nostros territaret, & ob- sinaret obsessos, huc & illuc commigrare, & tunc in aciem explicare, nunc cogere exercitum. Qua re, adtentiores facti duces, id, quod in perficiendis operibus erat residuum, festinatis ope- ris, consummant, atque, sic denuo partiuntur legionum stationes, vt mutuo sibi possent opitulari, si res ita posceret. Atque *Heistero* qui- dem, collis *S. Pauli*, cum sedecim turmis, custodiendus adtribuitur: *Dux* ipse, turri aquatica, geminatis excubiis comunita, pro *Baua- rorum* castris, extra vallos, cum *Casariano*, & sociorum equite, ita metatus est, vt tribus quibusque equitum turmis, vnâ peditum co- hortem, interfereret: annonarios, comitatum, per stationes singu- las deferre iussit, ne miles, eius adportandi causa, ordines cogere- tur deserere. Iam circumquaque instruebantur, a nostris ordines, cum *Turca*, in geminam, & ipsi, diuisi aciem, a *Danubio*, versus iugum, *Bauaricis* castris aditum, mouere se, & procurfare incipiunt, tanto feruore, vt pugnam, haud euitari posse, duces exillimarent. Eo vi- so, crumpunt obsessi quoque, hinc *Bauarica*, illinc *Casarea* opera de- rasuri; sed qui a stationariis masculis accepti, cum vix protidissent pedem, referre iterum cogebantur, plumbea grandine, propemodum oppressi. Ita dies ille, quem magni euentus futurum autumabant omnes, equestri admodum, eoque leui congressu, terminatus est. Illud opportune accidit, quod *Gallus* transfuga, homo, vti adparuit, ingenuus, *Lotharingum*, de hostium destinationibus, edocuerit; non- dum in castris, *SERASKIERO* ductante, ultra quadraginta millia, adesse; aduentare tamen, cum maiore multo exercitu *Vezirium*; nunc in manda- tis habere præfectos, vti sequenturo die, *Bauaricas* stationes adoriantur; dum- que hic manus conseri ceperint, perrumpant per *Casarianorum* excubias; in eam destinationem, fortissimos quosque *Ianitscharorum* delectos, quin- que numos, aureos, singulos accepisse, ad rei fortiter gerende auctora- mentum; præter fistulas, tres cuique sphaeras igniuomas, ligonemque esse; præmia infinita proposita, si se in urbem iniecerint. Eo valuit indicium, vt peruigilem noctem, pro vallo extraheret equitatus. Postero die, decimus nonus ante *Calendas Septembres* fuit; destina- tum facinus, vti *Gallus* edixerat, exsequuturi, magna, toto hostium exercitu, inquit, inde a diluculo, obseruata est. Iam enim huc, iam illuc irrupturi, nunc lentis, nunc citatis passibus, varie intorquebant aciem; dum *Heisterus*, qui, vti diximus, in colle *D. Pauli* excuba- bat, *Lotharingo* nunciat: ingentem hostium manum, haud procul a proxima valle abesse; minati impressionem; mitteret quam celerrime auxilia. Nec mora, dantur *Pálffy* mandata, vt *Caprae*, *Tassii*, *Neo- burgi*, & *Fürstenbergii*, equestres legiones, coadunaret, excitoque si- mul *Dünwaldis*, laboraturis, suppetias mature ferret. Dum hi in

Tom. III.

G g g

col-

quomodo
modum ac-
cepti hostes:

contincen-
tur in fu-
gam:

Hungaro-
rum, in
insultando,
feruor:

caesorum
nummum &
prada:

reliqui ex-
ercitus, ad
deprehan-
dam, ar-
dor, a Du-
ce sedatur:

Bauari
procurso
institui:

Dünewal-
di uirent:

& accipit
periculum:

receptui ca-
nit, caesum
Vezirius.

collem, hostem speculaturi enituntur, noui ab *Heistero* adsunt nuntii, maturarent adesse; cum primoribus stationibus, iam manus conseri; atque octo propemodum *Ianitscharorum*, & *Spahiorum* millia, Albenfi itinere, in munitiones incubitura, metui. Ergo, excusso speculandi otio, *Pálffyus*, *Croatas* & *Hungaros*, velitando hostem distingere iubet; *Schultzianam* & *Sauerianam* legionem interim euocat. Quæ, dum fiunt, admonetur a *Caprara*, *Pálffyus*, adesset quam ocissime, feruere, in sinistra ala, pugnam; hostem præterea, quam pro opinione, numerosiore, in vallem se immittere. Erat res, plena periculi, quod *Croatæ*, quibus confugendi necessitas, primo omnium incubuit, loco moti, in fugam effundi cœperant, *Ladronio* simul, tribuno suo, cum reprehenderet, a turpi fuga equitum, proculcato. Obiecere se *Dünewaldus*, & *Mercius*, irruentium agmini, cum *Schultziana*, *Saueriana*, *Mercianaque*, legionibus, eo successu, ut lentius quidem instaret hostis, neque tamen pugna excederet. At, simul *Pálffyus*, & *Taffius*, cum iis turmis, quas auxilio adduxerant, structa acie, manus conferre cœperunt, amisso, primi impetus aculeo, torpere hostes, mox in apertam fugam effundi. Sparos, nemo, *Hungaris*, insequutus est, seu tenacius, seu clade edita maiore: eo quod, primo congressu, ex quo diffugisse *Croatas* dixeramus, pluribus suorum amissis, diutius hostium impetum cogebantur sustinere. *Ianitscharorum* certe, ad tria millia confecere, quinquaginta militaria signa capta, breuiora tormenta octo, ex ea insectatione, relata sunt. Ferunt, ad quindecim aureorum nummum millia, e caesorum oculis excussa fuisse: quippe, auctoramento militi data, ut rem porro fortiter administraret. Opportunissima victoriae nuntio, ad Ducem, ministerio *Commercii*, perlato, tantus, reliquum exercitum, pugnandi ardor inuasit, ut ruituri in hostem metuerentur, præter, quam in mandatis erat; nisi calorem intempesium, Ducis prouidentia, restinxisset. *Bauarus* tamen contineri haud potuit, quin classicum suis caneret, insequereturque, exiguo operæ pretio, pone Danubium, fugientes *Turcas*. *Vezirius* interim, ne cornu alterius clade, fractus animo putaretur, per sinistrae alæ regionem, tentata non vno loco, perumpendi opportunitate, fatigabat aliquantisper nostros: dum *Dünewaldus*, a Duce, in vallem descendere iussus, cum fortuita fere, mille quingentorum Germanorum equitum manu, in latus hostium inuectus, nondum displotis fistulis, totum illud agmen, in fugam coniecit, atque fugientium tergis ita immergitur, ut iam circumcingi ab hoste inciperet, vix, ac ne vix quidem eluctaturus, nisi *Mercius*, periculo aduerso, cum secundaria acie, circumfuso opportune succurrisset. Tunc vero, quod exercitum vniuersum, contra se moueri cerneret *Vezirius*, receptui suis canit, & festinato, ad fugæ modam, itinere, tribus infra *Badam* milliaribus, ad *Ertfinum*, castra metatur: quinque suorum millibus, ea vnica adgressione, desideratis.

§. CII.

A Cerbe, non tam iacturam, quam perturbatam consiliorum ferriem, *Vezirius* tulisse fertur. Adfirmatum a transfugis est, exspulisse in *Seraskierii* faciem, iratum hominem, quod rem, suo in cornu, infeliciter administrarit. Rediere nostri in castra, non iam ouantes, sed triumphabundi. Nam, & minora maioraque tormenta, circumquaque displotunt, & hic, demissa *Turcarum* capita, signa alibi militaria, operibus præfigunt, quæ admonerent obsessos, quo loco, quamque inexplicabili, versarentur. Immissi in urbem captiui, ut iussi erant, cladem confirmabant. Rusticus, a gubernatore, cum litteris ad *Vezirium* missus, interceptusque, palo induebatur, in moenium obtutu depactus, alter, ad confitendum facilius, ad malam crucem, abire iussus est. Vterque nuntium ferebat, tum quo essent habitu res obsessorum, tum, qua castrorum parte, *Christianorum* exercitus esset adoriendus. Pronum erat existimare, fractum iri, hac suorum fortuna, præliarios. Illi tamen, ex cladibus, sumere animos, remque, non minus ferociter, quam prouide administrare. Enim vero, subrutis hic per cuniculos operibus, apertis alibi eruptionibus, damna inferebant; non tam quidem sibi vtilia, quam noxia oppugnantibus. Illata, hac obsessorum inquiete, *Brandenburgicis* clades qualiscunque, adtentiores fecit adgressiones reliquas. Peruadit interim castra, rumor, superato *Tibisco*, immensam *Tartarorum* colluuiem, aduersa regione, obsessis, imminere, a qua, ne noxæ quidpiam fieret, saltem pabulatoribus, pars equitatus *Hungarici*, cum *Carassa* legione cataphractorum, in *Pesti* vicinia, excubare iussa est. Comparata, ad eum modum, securitate, in oppugnationem incumbendum rati duces, nulli parcebant, seu labori, seu viro- rum impendio. Cuniculi, fere omnes, infelices habebant successus; vnus, eo etiam memorabilis, quod subterraneam pugnam, fortuita operarum congressione, prouocarat: pulsus nostris, multorum dierum labor, corruptus ab hoste est. Melius, aperta oppugnatio succedebat, cum erat quietis nonnihil, ab exteri hostis incurfibus. Nam, & muri late procumbebant, & vallos, mira assiduitate ruinis ab hoste prætextos, monachus *Gabriel*, (quem *Hungari Turces-Gábor*, id est: *Ignitum Gabrielem*, adpellabant) summa arte celeritateque exurebat. Tametsi vero, difficiliora obsessis in dies cuncta fiebant, non tamen remifere quidquam, a propugnandi diligentia. Quæ res, audum, tribus *Turcarum*, sex *Valachorum* millibus, *Vezirium*, in eas iterum consilii destinationes induxit, ut castra inuaderet denuo. Id, ne clancularie facere videretur, decimo quarto Calendas Septembris, structa acie, cum vniuerso, quem habebat, exercitu, in conspectum nostrorum se dedit: exploraturus, satine haberent animorum viriumque, ad se adoriendum. Pluribus horis, in acie perstitit, cumque nemo se castris cœceret, *Ertfinum*, vnde venerat, secessit.

Eias, contra-
pta hinc in-
dignatio:

nostrorum
in castra
reductus,
vriantibus
similis:

præliarios-
rum obsi-
natio:

inanis de
aduentu
Tartaro-
rum ru-
mor:

oppugnandi
latior:

Vezirii
tentamine:

Res erat prona ad suspicionem, ne hac ostentatione, facinus occultaret *Vezirius*, damnosum futurum nostris. Igitur, dimissa speculatrix turmæ, valles circumscitas montesque scrutantur, ne quid insidiarum lateret. qua in re, præcipua *Heisteri* diligentia eluxit: subsessorum detectum nihil. Reuera enim, aperto Marte, rem gerendam statuerat, barbarus. Quod, sicuti erat, odorati duces, stationes obfirmant, disponunt idoneis locis, campestres excubatores, instrunt suggestus omni instrumento, quod profligando eminens hosti, erat necessarium. Hac duces providentia distinebantur, cum crebri adferrent nuncii, hostium equitatum, subditis calcaribus, non tam inuehi, quam conuolare, in *D. Pauli* vallem, locum videlicet, adgressioni vnice idoneum. Mox, acceptis, in medium *Ianitscharis*, cum se ad perumpendum suffecturos credunt, agminatim designatas aggerum regiones inuadunt, superant, reluctantes obterunt. Tunc vero, ad arma, totis castris, conclamatur. Occurrunt, proximi *Brandenburgicorum* stationarii, atque, edita licet strage, nec quidquam reluctantur. Fulminis instar, peruadebat conglobatus ferocissimorum hominum cuneus, ferebaturque per medium *Lodroniana* legionis agmen, tam celer atque intrepidus, vt tametsi repellerentur multi, conciderentur plurimi, reliqui, glande plumbea fere obruerentur, superaret tamen cuneus, qui cursu citatissimo, versus urbem, eniteretur. *Iam per montis latera, subire coeperant alacres, cum furiarum hoc agmen, Caprara* excipit. Caduntur ergo plerique, in fugam coniciuntur non plane nulli, euadunt tamen, ex quingentis forte centeni; sed hi quoque, aut perniciosabiliter sauci, aut, ex tanta fatigatione, inutiles ad propugnandum futuri. Speculabantur e longinquo, colluctantium sociorum virtutem fortunamque, *Turca*, cumque cernerent, plerosque omnes concisos, paucos in urbem peruallisse, fugientibus similes, collibus, quos occuparant, decedere, & retro ferri coeperunt. Qualicumque hoc successu, lati prædiiarii, displois circumquaque tormentis, editaque tibiarum & tympanorum, per loricas mœnium, symphonia, nostris visi sunt insultare. Audacem hostium manipulum, eodem duce, qui ante biennium, furtiuas suppetias, in urbem intulerat, magnis auctoramentis *Vezirium*, ad peruadendum induxisse, captiuorum postea indicio cognitum est. Ipse interim *Vezirius*, nunc hac, nunc illa castrorum regione, quasi in pugnam exciturus *Germanum*, sese ostentare, mox retrocedere, redireque iterum; vt suspensos teneret nostros: dum intellecta suorum clade, profus euanesceret.

§. CIII.

Commodum id *Casarianis* cuenit. Nam, & a perpetuis, quibus distinebantur hucusque, procurationibus, respiratum aliquantisper fuit; & eo plus in oppugnationem virium collatum, quo

nostrorum
vigilantia:hostium in
aggeres in-
gressus:perump-
pant per
mediam
stationem
stationes:saque, sed
pauciores,
intra mœ-
nia, inui-
cuntur:prædiiario-
rum ex eo
successu,
læticia:Vezirii,
frustranea
molitiones,
& abitus
inglorius.Casaria-
norum in-
gressi con-
moda:

quo tutiora, ab extero insultu, castra videbantur. Ergo, geminato militum numero, in accessus immisso, atque ter mille *Hajdonibus*, fossam, de qua dictum est toties, exaggerare iussis, commodiora, in horas singulas, ad adsiliendum fiebant singula. Neque deerant in ducibus, qui omni ratione persuaderent *Lotharigo*, vt, nec expectatis *Scherffenbergii* suppetiis, quæ vix vnus interuallo mensis adfuturæ essent, vniuersalem adgressionem, susciperet. Spondebant simul de victoria, leniore nunc, quam accidit hucusque, sanguinis impendio, reportanda: maxime, si relicta castelli oppugnatione, in vnum eundemque locum, totis viribus incumberetur. Nihil, optimis consiliis, Dux obuertit, præter *Bauari* ingenium. de quo constabat apud omnes, haud deserturum, castri adgressionem, tanto suorum cruore adhuc madentem. Neque id frustra *Lotharigum* egisse, euentus docuit. Incesserat, *Electoris* animus, multo, quam hucusque, pertinacior ardor, tentandæ, per adsilium, maioris turris. Haud reluctatus Dux, cohortes nonnullas, vna procurere iubet. Fit adgressio, enituntur *Casariani* hinc, illinc *Bauari*, eximia vsi fortitudine; exturbant, post longam colluctationem, e primis munitionibus, hostem; denique turri, sed maximo suo malo, potiuntur. Hostes enim, interius reiecti, cum de corona murorum, nequirent, perforatis, festinato opere, mœnibus, hos, qui intra turrim, immuniti adhuc, infederant, perpetuis glandium ictibus, eo adgere, vt partam, tanto labore, stationem, non absimiles fugientibus, desererent. *Casarianorum* centum, quadringenti e *Bauaris*, desiderati sunt: in quibus *Rumelius*, exercitus structor, præcipua virtutis dux, recensebatur. Cum ad hunc modum, in oppugnationem incumbant obsessores; adest iterum, ex more, *Vezirius*, vltimo tentaturus *Germanum*, si posset, aut aperta vi, aut strategemate, euincere, saltem ita distingere, vt se auxiliares *Ianitscharorum* cohortes, denuo intra urbem posent iniicere. Ad eam destinationem, suapte insinatum, presentissimum *Bude* periculum facile inducebat. Neque enim cessabat *Abdylus*, per occultos nuncios, *Vezirium* orare, vt periclitanti sibi, quam celerrime, succurreret; diminutum prædiiariorum numerum; sauciorum agrorumque multitudinem; deiectos late muros, difficiliorem in dies propugnationem facere. Quas eius preces, ex interceptis, cum tabellario litteris, duces cognouerant, cepereque inde argumentum, haud defuturum partibus suis *Vezirium*; maxime, quod monebat simul vrbis præfectus, nullam, ad immittenda subsidia expeditiorem viam fore, quam per oppidum flumentaneum; quod, & custodiat segnius, & breuius ad enitendum iter habeat. Ergo, noua iterum providentia opus erat, ne quid infelicis casus, siue ab obsessis, siue ab inuasuris castra hostibus, accideret. Atque oppido quidem, mille ducenti Germani, præsidio dati sunt; *Suenorum* montem, *Mercii*, & *Saurauii* legiones; castellum, valli *D. Pauli* imminens, trecenti *Hajdones*, opportune infedere; quodque erat in communiendis aggeribus, seu

ducum, ad
adsilien-
dum, ar-
dor:Lothari-
gi senten-
tia:Bauaro-
rum da-
mnositas
adsilium:non Vez-
irium, az-
necius ab-
sessorum,
soulamina:ex interce-
ptis litta-
ris, cogni-
ta:ducum su-
teriam ac-
condunt:

residuum, seu noue instruendum, summa ope consummatum est: carorum item, & impedimentorum, varic sibi ipsi innexa series, a *Suenorum* monte, vsque ad extimos aggeres, pertexebatur. Neque cessatum est extus, quin a stationario emissarioque milite, valles, & idonea occultandi hosti loca, explorarentur: eo quod edixerant transfugæ, inductos ingentibus promissis, ter mille selectissimos *Ianitscharos*, postredie tentaturos perumpere. Inter hos adparatus, dies infumtus fuerat, cum sub crepusculum vespertinum, nubes puluerum, ea regione, qua erant hostium castra, in altum sublata, indicio fuit nostris, mouisse barbaros. Atque ita omnino res habebat. Quare, crebris compositis ignibus, noctem totam perugilem duxit exercitus. Ut dies illuxit, hostis, late porrecta acie, in nostrorum conspectum venit. Struxere & ipsi, designatos iam ante ordines, vt, si depugnare vellet, aut facta impressione, vallum adtentare, expediti essent, ad rem fortiter gerendam. Continuit se tamen *Vezirius*, cumque toto fere die, in *Casarianorum* obtutu, perstitisset, suo more, ingruente nocte, *Ertsum* in castra rediit, biduo post iterum adfuturus.

hostiam, in
nostrorum
conspicuum,
adtentus, &
abitus.

§. CIV.

Accidit ea res, nostris extra modum opportuna: quod interim, & *Schorffenbergiana* copix adpropinquabant; & explendæ fossæ, vacare poterant operæ. Publicæ hic depangebantur, ita, decussatis trabibus contiguatæ, vt si esset opus, pontibus insterni, vsuique esse possent, in decretoria adgressione. Nam, eo tandem, & *Lotbaringi*, & ducum reliquorum destinationes spectabant, vt, difficillimis laboribus, supremam manum, auxiliante numine, imponerent. Longum foret, minutos adparatus omnes, qui prouidentia adcuratoneque maxima, in rem fiebant, recognouisse. Illud, maturissimis consiliis tunc intercessit, quod qui biduo ante, receptui cecinerat, *Vezirius*, *vigesimo nono Augusti* die, tot suorum cladibus factus prudentior, vltima quæque tentaturus, redierit. Non possum non, verba *WAGNERI*, de re accipiti, & in vtramque fortunam prona, isthic adscribere: *Spahiorum* agmen, secundum Danubii oram, ab veteri *Buda* profectum, pars in *Paulinam* vallem, pars in vallem colli huic ac veteris *Budæ* campo, interiectum, pars ex aduerso *Suenorum* montis, velut tribus simul locis inuasuri, se diuisere. Ter mille *Ianitschari*, ad superi montis caput pro cursu delati, in *Isabelle Insulam* traiectum parabant; tormentis abacti, ad inferius oppidum conuolant, obrutisque celeritate mirabili, stationibus aliis, elusis aliis, reuullis lacertorum robore vallis, repagulis rescissis, in Danubium se coniciunt, eo circuitu intra muros penetraturi. *Asius Baro*, vir longe impigerrimus, postquam eos intra teli iactum habuit, dato sclopeteriis signo, multos interficit, cæteros, reperiata iaculatione, & armatis *Saichis* ita percellit, vt ex aquis eluctati, secundum oppidi mu-

rum

Nova inde
Cæsarianis,
rei parro forti-
ter gerenda
operatunitas:

adest ite-
ratus ite-
runtque
Vezirius:

prælio an-
cipiti veloci-
tar.

rum, aditum quærent, spreta pilarum grandine, vndique e lorica depluente: pauculi per lignorum struem in murum haud citius enisi, quam certis glandibus prosternebantur. Neque quas attulerant scalæ, muri vestigium æquabant. Ergo, desperato successu, ad suorum equitum subsidia se recipiunt, alibi ingressum retentaturi. Fugientibus, pone excubans *Mercius* opportunè se obiecit. Veterem *Budam* fuga enasere permulti, ferociores cæteri, ira animos stimulante, disiecto carrorum, ericiorum, impedimentorum sepimento, intra vallum se induere. Hic ab *Mercia*, *Saurania*, *Heisteriana* dimacharum legionibus circumuenti, certamen, quale cum desperatis solet, peractè edidere. Turca quispiam, e duobus vulneribus moriendum sibi præsentens, ne inultus caderet, in medios Christianos impetu euectus, *Mercium*, quem e vestium splendore, pro Duce æstimabat, impetito in cranium acinace, ingenti vulnere sternit, præcipua *Cæsaris* iactura, virum amittentis, cuius sagacitatem, nullæ insidiæ, nulla pericula virtutem frangerent; summus idem dux & miles, qui & sapientissime consulere, & fortius etiam consulta exequeretur. Ad *Mercii* pedes, eius pro-tribunus, & præfecti permulti, cecidere. Tenitque sanguinarium certamen, dum *Palfians* pro-tribunus, turmas aliquot, suppetias adduceret. Fugientibus, *Brandenburgicæ* copix viam occupauerunt. Ergo, in orbem collecti, supremo virium consensu, vndique nempe conclusi, magnam stragem edunt. Dux ipse, in graui discrimine fuit, *Mota*, stabuli præfecto, ad eius latus occiso. Numero denique ac virtute fracti, atque e multiplicis prælii labore, vix iam equorum fræna regentes, a calonibus ac ducentis laxis interfecti alii, aut capti, e ter mille *Ianitscharis* duobus millibus ac ducentis plures cecidere. Intro nemo penetravit, signa quinquaginta capta. Qui in vicinis tumulis colliterat, equitatus, sociorum clade turbatus, effuse ad suum, quem in acie interim tenuerat *Vezirius*, exercitum refugit. Neque deinceps, ad oppugnationis finem, præter velitationes, quidquam est tentatum. Ita *WAGNERVS*.

§. CV.

Reiecto *Vezirio*, clade, an ignominia maiore, *Schorffenbergianum* agmen, in castra, eodem receptum die, ouationem, multo quam futura erat, & liberaliorem fecit, & plenioris spei optinæ. Rem ita adornauerant duces, vt laxatis, quam speciosissime ordinibus, maiorem, quam pro numero, exercitum referrent, in castra subituri *Schorffenbergiani*. Ac, spectauere omnino, de moenibus, recentes has suppetias, obfelli, eo tristiore obtutu, quo magis aduertebant, perniciosam sibi fore, hanc tantam Christianorum accessionem. Enim vero, duodecim mille capitibus, agmen vniuersum censebatur. Fuere vero legiones pedestres: *Schorffenbergia*, *Spinola* &

Veni in
castra
Schorffenbergianum
agmen:

Se-

insequendi
Vezirii
consilia, re-
probat Lo-
tharingus:

Serenia; equestres, Saxo-Lauenburgica, Veterania, Picolominea; dimacharum, Tottuini, & Magni; Hungarorum denique, Csakiana, leuioris armaturæ legio. Validis adeo suppetiis, lati duces, insequendum Vezirium putauere, vt gemina victoria, mutali hinc, compellri illinc, tam diuturnos, & sanguinarios labores, coronarent. Atque, non erat sane improbandum consilium, si tota circum castra, accessus item, & opera reliqua, contra urbem, pari vbique militum robore, obfirmari potuissent; sed, cum lectissima exercitus pars, in aciem educenda fuisset, atque plenissimam; praesidiarii vero, vltima quæque tentaturi, per nostrorum absentiam, haud sine ratione, existimarentur: facile ab eo inlilito, auctoritate Lotharingi, abduci se passi sunt, qui consuluerant: maxime, quod viderent, maiore successu, ad supremam oppugnationem, vltimos adparatus inlilitui posse, quam foris hostes inquiri, cum ne sic quidem deessent, cum quibus pugnandum fuerit. Ergo, datum id machinatoribus negotii est, vt geminarent ictus, farcirentque tormenta, catenatis globis, & peste quacumque alia. Operæ, partim vimineos aggeres, per designata loca, educere, partim reuellere vallos, iussæ sunt: cunicularii, ad grandem semilunam, opportune egesta humo, ne illinc nocere posset hostis, continenti assiduitate, effecerunt. Feruebat, vniuersim, per castra, opus, tanta alacritate, vt miles, non iam de cruenta oppugnatione, sed adparatissimo quodam, & augustali epulo, quod sibi dandum esset, cogitare visus sit. Duces, ipsi, ac minores praefecti, cum vulgaribus operis, militeque gregario, hi faeces componere, ligare illi, alii scalas compingere, praefigere decempedes harpagines, & nihil non moliri, quod erat vsui futurum, in decretoria adgressione.

vltimi, ad
parandum
adlilitui
viam, in-
bures:

militis ab-
eritas: &
in compa-
randis ad-
paratibus,
ardor.

§. CVI.

Designatur
dies, ad-
gressioni
decretoria:

HAc animorum, iuxta & virium contentione, elaborabatur; cum e militaris senatus consulto, Calenda Septembres, destinantur, quibus vltimus fieret adlilitus. qui, vt eo esset expeditior, immissi sunt in ruinas, e ducibus, periti rimatores, qui pertentarent murorum quassaturas, notarentque loca, ad enitendum maxime procliuia. Vt compertum est, quomodo se haberent omnia, Lotharingus, has, cum senatu, adgressione leges, ordinemque, pertulit. Primo, simulandam, latere sinistro, adgressione, reuera autem, dextro illo adlilitandum, omni ope ac contentione: quadragenum hominum ordo; deni siclites, in recentes ruinas; quindenii, e receptaculo grandis semilunæ, totidem per aggerem, haud procul a turri, in fossa exstructum, inuaderent. Deinde, vt ad duo millia quingentos, qui alioquin in accessibus essent, sex millia adiungerentur. Horum, terna millia, partim equitum, partim peditum, pone ruinas, in subsidiis starent; quingenti, variorum ordinum praefecti,

cuius ordo
legesque:

tribuni tres, totidem subtribuni, septem legionum structores, quadrageni centuriones, octingenti subcenturiones, Susam, ac Dippenthalium sequerentur. Denique, adlilitus ordo talis foret: vt Oetingius comes, tribunorum vetustissimus, cum Maloviczio protribuno, ac sexcentorum peditum cohorte a latere, meridiem versus; latere altero, occidentem solem respiciente, Spinola, cum mille bellatoribus, rem gererent; Althius Baro, e grandi receptaculo prorumperet; manus alia, fossæ extremum, hinc vicinum tumulo; sexcenti praeterea milites, reliquos hostium receptus, quo latius distraherentur, inuaderent: quibus, e lorica primi muri, in fossam secundi eundem erat, scalas, ac pyroclastra, ad emouendas, quæ supererant, sudes: pedites, idonea arma, pyrobolos, bipennes, lauceas; equites, praeter manuaris, e cingulo, fistulas, maiores sclopos secum adferrent; desultores, post dispositas fistulas, gladiolis, sclopis praefixis, vterentur; reliqui, suis quique locis, vt iussi erant; partim pugnaturis, arma & necessaria bello instrumenta, ministrarent; partim seducerent e conflictu sauciatos. Promulgato, adgressione hoc ordine, miles, curare corpus, polire arma, & sub diluculum, per stationes, mandata ducum, opperiri iussus est. Nemini erat dubium, quin orta luce, destinatum opus, exsequendum esset. Atque, ita omnino inter duces conuenerat; nisi Bauarus intercessisset, diem sibi vnicum dari rogans, quem abstergendæ ruinarum asperitati, perpetua verberatione, impenderet. Consensit, non grauate, Lotharingus. Eadem luce, Sueco-Bremenses copiae, delecto milite constantes, ad castra accessere. Aderat, sub idem tempus, Stratzmannus quoque, Can-cellarius, a Caesare missus. Varium, de eius aduentu, cum inter duces, tum inter milites, murmur oritur; alii, aliam obtendentibus causam. Ferociiores, noua adlilitæ mandata ferebant, de Vezirio, aperto Marte adoriundo; alii, plane adfirmabant, Bauarum, hortatu Caesaris, a castelli oppugnatione abducere velle; neque deerant, qui gliscentes, inter duces belli, similtates, oppressum venisse, existimarent. Nullum horum fuit: accendendorum ducum, & inspiciendi operis causa, accesserat, vt testari posset apud Caesarem, quo loco res obsidionis essent. Sed, parum aberat, quin in offensam a nonnullis, togati hominis speculatio, verteretur. Bauarus interim Calendas Septembres, ita in rem suam vertit, vt tantillo temporis spatio, eximium operæ pretium, in detergendis ruinis, fecisse visus sit. Ergo, monentur, sub serum diei duces, vt, prompti sint cum suis, expeditique in crastinum; adoriendam urbem fore, certo certius, antequam profus illucesceret. Fecere singuli mandata, stetitque, sub auroram, paratus miles, summo silentio, adgressione signum praestolaturus. Verum, quod Vezirii molitiones ignorabantur adhuc, & iustus suberat metus, ne maleficio proditorum, destinationes Caesarianorum, sagacissimo Abdyo, iam tum innotuerint; dilata, in tempus post meridianum, fuit oppugnatione. Itaque, receptui canere iussi aenea-

dis in illi
A. 1000
dis in illi
A. 1000

differtur
ad Bauari
preces
promulgat
tas adlilit
tus:

Stratzman-
ni Can-
cellarii, in
castra ad-
uentus:

non ab o-
mnibus a-
que acco-
pius:

vltimo, de
adlilitu,
mandatum

tores, cum in suas stationes discederet miles, fidem fecit obsessis, nihil eo die, adtentatum iri amplius: dum interim, duces, obire cohortes, rogare, monere, hortari, & ad praclaros ausus accendere.

§. CVII.

Fit, ad editum signum, decretoria adgressio:

TVRMAE, leuiorum equitum, exploratum missæ, ubi esset, quidque ocepturus putaretur *Vezius*, reduces, tuta circumquaque nunciant omnia. Proinde, nihil cunctandum ratus *Lotharingus*, aciem instruit, datoque, sex machinarum fragore, quas in *Suenorum* monte, displodi iusserat, adfultus indicio, rem, inuocato numine, adoritur. Multi, variisque linguis, adfultus historiam, eleganter, non minus, quam copiose, in litteras retulere; sed *WAGNERO* profecto, nemo, seu elegantius, seu copiosius: cuius ideo, scitissime factam hypotyposin, eo adscribemus libentius, quo paucioribus datum est, tot conferta pericula, capta ex arcua consilia, datas, acceptasque momento clades, commutatam subito fortunam, & conlequutos, breuissimo tempore, tristes letosque euentus, quasi in tabella, sine molellia lectorum, suauis comtaque oratione, posse depingere. In vtrumque ruinarum latus, inquit, (d.) incursum, est ardore, & praesentissimæ necis contentu incredibili. Subeunti *Spinola*, discriminis ac laboris summa incumbit. Intra hiantis muri ruinas, se gubernator ipse, cum praesidii superstitis flore, iniicit, solitis vlulatibus, cum caelestia Mahometis auxilia inuocat, tum suorum animos exauiit; destinatis ictibus primos, aduersus tendentium ordines, sternit. Cadit inter primos, *Baro Albitus*, cum volonum praecipuis; non inde terretur *Germanus*; per sociorum cadauera, per plumbeum imbrem enititur, confertis ordinibus; cadibus ardor crescit; repugnant acerrime *Turca*, vt adeo, velut æquata virtute, diu æqua esset, & suspensa partium fortuna. Interim, parte altera *Oettingius* superata, cum lateris eius decliuitate, tum fortissime repugnantium *Turcarum* pertinaci iaculatione, ruinis potitus, simul *Spinola* respirandi copiam fecit, simul, ad viciniore muris domos, perripit. Arcem *Ianitsarorum* globi oppleuerant, & affuebat, velut ad supremam necessitatem, quidquid arma ferret; illi, pro salute, hi pro victoria virium irarumque contentione vltima, depugnant. Qui *Spinolam* stiterant hæctenus, huc, velut ad propius periculum, accurrunt. Itaque, se cum *Oettingio* coniungit ille, confertisque velut manibus, ordinibus densatis, ac pedetentim progredi iussis, repetitur impressio; in cadentium locum, recentes incunt; nusquam remittitur iaculatio. Tantam vim, non ferentibus *Turcis*, iamque praesentis exitii imagine perturbatis, & palam cedentibus, crescent animis nostri, proratisque vallis, ericiis, receptibus omnibus, in princeps compitum irrumpunt, insequuntur subsidia, omnibus partibus miles infunditur. *Turca*, sero nimirum, sublati candidis vexillis, pars in obuias

eius factes, verbis Wagneri describitur.

„ ædes,

„ ædes, in oppidum inferum, in arcis aream, plerique confugiunt;
 „ pauci cædem euadunt, cadunt promiscue armati, inermes, miles iræ
 „ nullum modum ponit; sanguine barbarico plateæ diffluunt, misera-
 „ bili strage, vrbs florentissima deformatur. Speculatus isthæc e turri
 „ anguli *Lotharingus*, extemplo *Commercium* principem, lætissimarum
 „ rerum nuncium, ad Cæsarem ablegat. *Suse* iubet: retineret ab
 „ cæde ac direptione militem, & intra urbem in aciem strueret; *Croyus*
 „ forum, ac præcipuas stationes occuparet. Mandatis vix dum, per-
 „ latis, fortissimorum *Ianitsarorum* agmen, in platea ab Iudæis dicta, se
 „ in orbem colligit, ipso gubernatore animos faciente, pugna exori-
 „ tur, vt cum morituris, difficilior, quam diuturnior; telis namque
 „ laucis que confixi, ne ab tergo circumuenirentur, in arcem se fu-
 „ ga coniciunt; vnus gubernator, exprobrata suis infamia, persiluit in
 „ statione, multis vulneribus, fortissimi ducis officio immortalis. Dis-
 „ sipato hoc globo, per impeditas, fossis, vallis, cadaueribus, plateas,
 „ progressus victor, nouum discrimen adit: adeo per partes emorien-
 „ dum fuit *Buda*. Diffracta *Albensis* porta, ingressa calonum turba,
 „ incomposita discurrere ad prædam coeperat. Erupere e castello *Tur-*
 „ *ca*, cæsisque pauculis, fugatis cæteris, ipsos militum ordines im-
 „ pellunt, praefectorum incuria, qui laxatis ordinibus fugientibus spa-
 „ tium facere debuerant. Fuit hic supremus interuentium conatus.
 „ Interim, muris iam omnibus, munimentis, compitis captis, *Croyus*
 „ *Dux*, *Turcarum* terga, castellum fortiter tutantium inuadit, *Baua-*
 „ *risque* cum difficillima oppugnatione adhucdum luctantibus, pronio-
 „ ra omnia facit. Assilierant hi aliquanto serius, quam Cæsarei, pri-
 „ maque statim impressione, centum quinquaginta desideratis, abslite-
 „ rant tantisper; dein instaurata pugna, perruptis obstaculis innume-
 „ ris, hostem, ad hortorum angulum compulerant, nec ante pugnan-
 „ di finis est factus, quam conspecto *Croyo*, vrbsque iam captæ in-
 „ cendiis, vniuersi se in arcem, duplici muro cinctam, conferrent,
 „ abiectis armis vitam deprecari. *Electo*, quid barbaris fieri vellet,
 „ Ducem rogat. *Dux*, *Electoris* arbitrio rem permisit. Effecit *Strat-*
 „ *emannus*, vt in deditionem reciperentur, indecoram aiens fore
 „ Christianis scuitiam in eos, qui bonorum militum partes omnes,
 „ tanta ad extremum fortitudine, adimplessent. *Severus*, deditionis le-
 „ ges conscripsit. Quatuor *Cæsarea* cohortes, ac *Brandenburgica* non-
 „ nullæ, vrbi, *Saurauia* legio, ruinis imposita, validæ ad portas, ac cir-
 „ cum urbem custodiæ, ne qua effugium pateret, dispositæ. eadem di-
 „ ligentia callello prouisum. Victoriæ testis ipse *Vezius* fuit, addu-
 „ ctus in superiora loca, pro more, exercitu, haustaque oculis tanta
 „ calamitate, celestime regressus. Rebus ita procuratis, *Dux* vterque,
 „ glorioso puluere sordidus, in castra rediere. Tota nocte, cæ-
 „ dibus, ac direptioni vacuum; quamquam, coorta multis locis in-
 „ cendia, magnam prædæ partem, militum auaritia subtraxere. En tra-
 „ gœdiam, *Turcis*, longe omnium tristissimam.

H h h 2

§. CVIII.

§. CVIII.

*Capta urbis
fama, gaudia
perfundit orbem
Christia-
num:*

*Ducum
Budam
subventi-
um, pietas,
& prou-
dentia:*

*Capta urbis
miseranda
facies:*

Iste, validissimæ, & late imperitantis urbis, luctuosissimus *Turcico* imperio, faustus contra, & tot laboribus votisque expetitus, orbi *Christiano*, exitus fuit. Didita (e.) victoriæ fama, nulla sub sole Europæo, gens, religio nulla fuit, quin captam urbem, non tam in LEOPOLDI, quam suis ipsius lucris, deputeret. Ergo, decretæ passim, supplicationes, ludi, & id genus festivæ congratulationes, munera in populum sparsa. (f.) Ceterum, duces, postero die, urbem, ad triumphi modum, ingressi, repurgato, a barbarica impietate, S. Stephani templo, *Ambrosianum* hymnum decantant, editaque pietatis, in DEVM, victoriæ auctorem, non vna significatione, armamentarium, tempestiva expugnationum cura, ab incendio defensum, recenseri iubent. Inerant ducenta, varii moduli, tormenta; instrumenti bellici vis ingens, atque, per annonarias apothecas, suffecturus, in plures menses, commeatus. Quo minus diutius immorarentur duces, cadauerum partim, partim fumantium adhuc ædium, tabo foetoreque, prohibiti sunt. Ergo, *Thingenius*, cum quatuor millibus, temporario præsidio, urbi impositus est: dedititii, cælorum cadauera humare iussi, operæ, faciendis quomodocunque munitionibus, admotæ sunt. Miseranda extra modum, & ultra quam rerum possis, foeda, captæ urbis facies exstitit. Plura cadauerum millia, per compita sparsa, iacere, eo tristiore obtutu, quod non virorum modo, sed feminarum etiam, & tenellæ ætatis, multis faucibus vulneribus, corpuscula interiacebant; ne ipsis quidem interfectores, sine miseratione adspicienda. Domus superabat nulla, nisi pertusa, conuulsa, ambusta. In primis, arci indolere, qui eius pristinum habitum, vel viderant aliquando, vel nouerant ex historia. Nihil, ex splendidissima, & facta ad ostentationem maiestatis, regum hac sede, erat super, quam perforatæ, & procliuës in ruinam, parietinæ, conquassatæ fornicum apsidēs, palatia, bulceteria, coenacula, foede extusa, derasæ turres, perfracta ambulacra, cellæque hiantes, ex quarum profundo, nihil non pestilens exhalabat. Arca, non ea quidem laxa, sed quæ tamen, multum regis magnificentiæ olim referebat, hic ruinarum tumulis, illic, insipientium cadauerum congerie, propemodum inaccessa fuit: reliquum, ne adtentari quidem, nisi post dies aliquot, potuit; non tam metu doli mali, ad quem toti facti sunt barbari; quam ob madentes cruore, & cælorum tabo,

(e.) Libro IX. p. 724.

(f.) BRISTIVS auctor est, ad annum MDC LXXXVI. INNOCENTIVM XI. Pontificem summum, ipso expugnationis die, XXVII. Cardinales, haud sine numine, creauisse, quasi diem honestaturus, quo BVDA, e barbarorum manibus elisa est. Peculiare est, quod Senatus Budensis, perscripserit, cum lucubrationes has, nuper ad nos remississet: *Diem*, inquit, *urbis occupata,*

aquila, Budensibus hilarum faciunt. Nam cum, festum S. STEPHANI regis, INNOCENTII XI. indultu, secundo celebrant, atque solemniter religio, quo processione, ad locum gloriosa expugnationis quotannis veniant, sub ipsa concione sacra, subinde quatuor aduolant, factoque supra populum gyro, auferunt se iterum, neque postea comparant amplius. Hæc Senatus, tacenda noluit: quippe, prodigii similia.

tabo, ruinas: quæ, vti horribilo erant adpectu, ita, nihil non contagionis minabantur scrutaturis penitius. Illud mireris, ea fuisse captiuos ferocia, vt tametsi lenius, quam pro sorte sua, haberentur, mortem tamen potius, quam vitam optarent magis; damnarentque fortunam, quæ, se, cum delicio suo Buda, haud suerit occumbere. In his, inedia alii, lacrimis, & cum eiulare non auderent, singultibus se confectos volebant; dum inter victores diuisi, ad se redirent, mitescerentque. Felicior multo, ex hac calamitate, progubernator, *Cronkabegus*, Ianitiorum Aga, euasit. De eo WAGNERVS: *Honesto vir adpectu, morum probitate, quod minime agebat, Christianus esse meruit; sacris aquis ablutus, LEOPOLDI nomen assumpsit ab susceptore Cesare, censu equestri donatus, inaudito hucusque exemplo, Vngarorum Tribunus, ad rhenum militauit; eiusque filius, hodieque superstes, in genitoris vestigia strenue ingreditur. Confirmavit is, de quo sermo, Cronkabegus, præsidarios decem millia Ianitiorum fuisse; præter equitatum, & copias alias, fere sex millium numero, qui se sub oppugnationis initia interceperant: ex his, supremo assultu, quaterna millia superfuisse. ARDYO, contra, viro, ipsa Christianorum ducum confessione, vndiquaque fortissimo, manes sui, nostra bona venia, occinant licet, quod apud Tragicum (g.), feminarum chorus Priamo:*

Felix Priamus!

*Dicimus omnes: secum excedens
Sua regna tulit: nunc Elysi
Nemoris tutis, errat in umbris,
Interque piæ, felix animas!
Hæciora querit felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum, consumpta videt.*

§. CIX.

Post urbem interceptam, quantum luctus apud Turcas editum sit, vix cogitatione, nedum orationis copia, adsequare. Admauerant extra modum, perpetua, ultra sesqui seculum, urbis hospitia, non late minus dominantis; (pars enim Hungariæ potior, hinc mandata accipiebat) quam, & situ amoenæ, & opportunitatibus, ad vitam, cum deliciis degendam, extra modum instructæ. Patentissimus in longe lateque diffusam planitiem, prospectus, mira aeris salubritas, opportunitas thermarum, Turcis vnice cara, Danubii item præterlabentis, inter urbem, & Pestum, claustra; ita erant comparata, vt non potuerint non, summorum imorumque pectus dolore effodere, quoties animum inducebant, de perdita *Buda* cogitare. Ergo, ne latius sæuiret tempestas, supplicationes passim institutæ, quibus *Mahomedis* animus, ad misericordiam emolliretur, erga gentem, iniquissi-

Hhh 3

mo

(g.) SENECA, Troade, versu 152.

*captiuo-
rum ferro-
cia:*

*Cronka-
bégi felici-
tas:*

*Abdii ca-
casin, Pri-
amo confi-
mitis.*

*Turcarum
luctus, ex
perdita ur-
be, conce-
pit:*

*edita sup-
plicationes
superstitio-
sa:*

mo suo fato, miseram. In primis præcones barbari, populi crimina exaggerabant, quibus expiandis, hanc Deus calamitatem, florētissimo nuper imperio, inflixerit. Ergo, mutandos in melius mores, voce, lacrymis, planctu, quin & ululatu, sollicitissime inculcabant: hortabantur, ad stipem, opis alienæ indigis, tametsi Christiani, Iudæiue essent, liberaliter erogandam: hac pietate, exoratum *Mahomedi* numen, flexurum in vota, gentis adliētissimæ, vnicum summumque Deum. Neque hæc, promiscuæ multitudinis tantum resipiscentia fuit. *Sultanus* ipse, non tam seu fortunam, seu *Vezirii* ignauiam, quam sua ipsius, & populorum, quibus imperabat, crimina arguebat: siue id demum, reuera sentiret; siue, vti *Vezirio*, de vita metuenti, simulato consilio, pauorem adimeret. Nam is quidem, insigni vltus commento, centum sexaginta Christianorum millia, sibi oblinatis animis contraiuisse, quo minus potuerit *Buda* opitulari, *Sultano*, per cursores nunciauerat. quod mendacium, vti adfirmarent, missi *Constantinopolim* captiui, iurcūrando obstricti fuerant. Hæc, apud Turcas gesta sunt. *Casariani*, senatu militari, cui *Stratmannum* adhibuere, coacto, quid porro, superante adhuc auctumno, territisque hostibus, occipiendum esset, sollicitè dispiciunt. Erant in ducibus, qui parcendum, redacto ad paucitatem, fractoque, tot laboribus militi, existimarent. Neque id, alienum a *Lotharingi* sententia fuisset consilium, nisi, futuri anni expeditionem animo versanti, percussos metu hostes, quam longissime, a *Buda* confiniis, reiciendos, coarctandas vicinas arces, & quæ possent, sub potestatem, seu vi, seu deditioe, mittendas, salutaris existimauisset. Igitur, sex millibus, duce *Beckio*, *Buda* impositis, *Scherffenbergio*, Slauonicis copiis præfecto, exercitus vniuersus, *Ertsinum*, sublatis castris, & exæquatis aggeribus, profectus est. Lento hinc itinere, ob pabuli & lignationis inopiam, *Pentelinum* vicum, dextro Danubii lateri imminentem, ventum est: vbi, cognito *Vezirii* Belgradum abitu, *Badensi* & *Scherffenbergio*, in mandatis datum est, vti festinata cum adtributis copiis, (præter agmen *Scherffenbergianum*, tredecim legiones fuere) profectioe, *Quinqueecclesias* oppugnarent. *Caraffa*, superato Danubio, *Szegedinum* tentare, posteaque, per superiorem Hungariam, hiberna quærere iussus, copiarum reliquum, secum abduxit. Quæ hinc auctumni, vel sola *Buda* expugnatione, æternis dignæ fastis, seu laureæ fuerint, seu conuersiones alix, non est huius loci edisserere. *Lotharingus* interim, ad *Colocsam*, & hostium conatus, & suorum fortunam speculaturus, aliquantisper subsisterat, Danubium, ponte, vt auxiliari sibi mutuo posset diuisus exercitus, constravit, tandemque, adulto iam Octobri, *Viennam*, victor concessit. Atque hæc, *Barbarica* illa vrbs *Periodus* fuit. Nunc *Austriacam* expendamus.

Sultani
pietas:

Casaria-
norum, de
bello, eodem
hoc auctu-
mo profectio,
consilia:

infecta Ba-
da, diuisi-
tur exerci-
tus.



PERIODVS VRBIS TERTIA,
A V S T R I A C A.

S I V E,

De Fatis Budæ, sub Regibus Austriacis.

S Y N O P S I S.

Leopoldi M. de perpurganda,
& munienda urbe, sollicitudo:
Finkii, de prodenda
Turcis Budæ, malefcentissimum
institutum, quomodo
propalatum: aduersus perditissimum
hominem, cognitio:
supplicium, facinoris atrocitate,
mitius. §. I.

Beckii præfecti vigilantia: conuenarum
ad urbem confluxus: coloniarum
difficultas: eius cause: Hungarorum,
in capessendis ciuitatis iuribus,
paucitas. §. II.

Munienda urbis impedimenta:
que inde consilia Turcæ captarint?
parta urbi, Mohátsiana victoria,
securitas: ad eam muniendam
verti non potest: periculum inde
enatum: declinatur Vezirii culpa.
§. III.

Urbis hinc orta damna: cladium,
tam repentinorum, cause: noua
communiende Budæ impedimenta:
urbis, seditione Rákócziana, fata:
CAROLVS III. Regalis Comiti,
muniendam mandat: operum,
que excitauit ratio: occasus
Regalis: & bellum

Siculum, operas interrupt.
§. IV.

Priuatarum adium habitus: calamitates,
quibus earum exa-dificatio
prohibebatur: Anni 1723. atrox
incendium: urbem propemodum
funditus delet: eius hypotyposis
luctuosissima. §. V.

Urbis, accepta hinc damna:
pulueris nitrati apotheca
maior, seruat intemerata:
instauratio adium, lenta quidem,
sed elegantioris, quam antea,
solidiorisque habitus. §. VI.

Situs Budæ: mania: porta:
Viennensis: habet Toldiani
roboris monumenta: quid de
Töldio sentiendum? porta
Albana: Viennensis:
Aquatica. §. VII.

Urbis, ab arce, discrimen:
eius vici maiores: minores:
aqueductus: silanus: antlie
puteales. §. VIII.

Aedium sacrarum princeps, Adsumta
ad calos B. V. Mariæ: an eius
conditor dici possit S. Stephanus:
auctoris coniectura: mansit
templi moles,

les, inter obsidionum pericula inconcussa: sacella ad coadificata: epitaphium Löffelholzianum: atrium templi, opus Nicolai Pálffy, postea R. H. Palatini: turris habitus: refert Matthiae Coruini memoriam: adhaerunt templo, Societatis Jesu Collegium, & Seminarium Cleri. §. IX.

Rudus templi ordinis S. Domini: item S. Magdalena: Praepositura S. Sigismundi: est opus regis cognominis: eius rei occasio: Praepositura dos. §. X.

PP. Carmelitanorum templum: est D. Iosepho sacrum: S. Clarae sororum canobium, & sacra ades: PP. Franciscanorum. §. XI.

Vrbici pratorii Sacellum, & in eo Ecclesiae thesaurus: eius Pisonium deportatio: reducitur inde postliminio: huius descriptio: reliquia: crux Christi particula: pes S. Iohannis Eleemosynarii: vasa, & vestes pretiosa. §. XII.

Publica Budae aedificia: Curia: militares apotheca: prisca ades incognita: domus Esterháziána. §. XIII.

Suburbia: Hydropolis, sive urbs aquatica: eius situs: vici: fora duo: domus: ades sacra: Templi Dominicanorum vestigium, domus annonaria insedit. §. XIV.

Rascianopolis, suburbiorum alterum: eius aedificia: incole: templa: vltimum suburbiorum Neapolis: eius origines: ades sacra: incole: amantitas. §. XV.

Thermae Budenses: earum numerus & habitus: calida S. Gerhardi. §. XVI.

Thermae civicae: §. XVII.

Rascianorum. §. XVIII.

Xenodochiales. §. XIX.

Thermae Caesareae. §. XX.

De singulis, alias fusus: piscina mirabilis natura. §. XXI.

De Thermarum veteribus aedificiis, Wernheri locus: lauantium leges. §. XXII.

Oppurtunitates circumstitae, in his Danubius: agri ingenium: montium situs, & nomina: vinea, quae sint optima: villa, ad urbem proxima. §. XXIII.

Vini Budensis commendatio: Matthias Coruinus, vitem Burgundicam collibus Budensibus fertur insensisse. §. XXIV.

Vrbis administratio: Consul electio, & munia. §. XXV.

Prætoris vrbici, quae sint officia. §. XXVI.

Senatus: Syndicus: scribarum

mi-

ministeria: Dicastrum vrbicum. §. XXVII.

Viginti quatuor viri: civium occupatio triplex: vineatica: mechanica: mercatoria: mores civium: administratio Cameralis: militare praesidium. §. XXVIII.

Vrbis privilegia vetera deperdita: Bela IV. primus diplomate donavit Budam: recognovit idem Iohannes: Ferdinandus I. Leopoldi Tabula: designata bis, nova vrbis insignia: Epilogus, cum voto auctoris coniunctus. §. XXIX.

§. I.

BUDA, IVgo rVrCarVM eXsoLVta, operam dandam voluit LEOPOLDVS, vi, repurgata vrbe, moenia instaurarentur, subtractionibus eo validioribus, quo pluris constitit, Pergami huius expugnatio. Et vrbem quidem, a fecditate omni, congestis item per compita, rudrum tumulis, diligenter Beckius, eius praefectus, exoneravit; in sarcientis autem moenibus, vix fecisse potuit aliud, quam quod hiatus, valis defixis, & adgeslo rudere, obturavit. Quae dum procurat, vir solertissimus, parum abfuit, quin Budam perderet, vnius maleficio homuncionis. *Conradus* quidam *Finckius* fuit, *Finckensteinii* dominus, idemque *Salmiae* legionis procenturio, gente *Borullus*, & Germani nominis (a.) aeternum probrum. Pressum aliquantisper facinus, in hunc modum propalatum est. *Schultzianus* dimacha, captiuo cum Turca permutatus, cum *Albaregali*, e captiuitate, *Iaurinum* reuertitur, patrono suo *Piffeszki* significat: adolescentem Christianum, *Albaregali* Bassae percarum, ac tum, pro interprete adhiberi solitum, discedenti sibi, in aurem insufurrasse: commodum hero suo, per hominem rusticum, a centurione; nescio quo Budensi, litteras esse redditas, queis ille perfectis, gaudio amens, exsilerit; multoque auro remuneratus rusticum, conuocato mox consilio, varia, ad vicinorum praefectos locorum, mandata ediderit: videri rem magnam esse. Eum porro centurionem, captiuas habere duas, nobiles Turcas virgines; quarum redimendarum causa, diu iam cum *Albensis*, per litteras, & internuncios, actitavit. *Piffeszkius*, quod officii erat, *Viennam* perferibit, indicem, secum *Budam*, ad *Beckium* gubernatorem, citatis equis, abripit. Compertum est, in *Finckii* domo, duas eiusmodi feruas agere. Vocatus in quaestionem, inficiari, quod rei solent, superiores inferosque, innocentiae testes, vocare. Vinculis oneratus, suam nemeli, & propositis cruciatuum instrumentis, exterritus, crimen, quo texerat ordine, confitetur. Certo, quo vigiliarum vices ad ipsum redissent, die, stationarios, praebito largius mero, in crapulam & somnium fuisse daturum; queis temere per mutum iacentibus, Tur-

Tom. III.

Iii

carum

a.) Ita, maleficientissimum hominem vocat WAGNERVS, Historiae LEOPOLDI M. Lib. X. p. 3, sine.

Leopoldi M. de perpuranda, & annuenda vrbe, sollicitudo:

Finckii, de prudenda Turcis Budae, maleficientissimum instauratum, quomodo propalatum:

aduersus perditissimum hominem, cognitio:

carum centuriæ aliquot, vicina in valle, ad insidias abditæ, obtruncata prima statione, in grandem semilunam, vallo obuersam, nequedum e rudibus reparatam, irumperent, tenerentque locum, dum maioribus, in propinquo latitantibus suppetiis aucti, præsidium vniuersum, conficere possent. Tantæ operæ pretium, homo amentissimus, duo millia, non amplius, aureorum nummum deposcit. His consentanea rusticus, Alba forte redux, ipsaque Basse, ad Finckium epistola, edixere: ea fuit huius sententiæ: *Militem se, & pecunias in parato habere. At, quo maturiora, & tutiora fierent omnia, alteras se insuper litteras opperiri, quibus receptis, fidum hominem, cum auro adiuncturum se rustico, qui cetera peragat. Spem sibi esse, dextras breui inter se, amice hilariterque iungendi, copiam fore.* His conuictus, fractusque litteris, miser, versat se in omnem partem: ait, adsumtam a se de industria, simulationem, quo pecuniola aliqua emungeret *Albensis*; simul, admonito gubernatore, insidiatores, insidiis suis captos, male mulctaret. Rogatus, ecquid autem, quis esset urbis locus maxime infirmus, indicasset? ad preces conuersus, & lamenta incondita; scire se, inquit, eam stultitiam, pro capitali prodicione accipi posse. Quid autem reipubl. consultum, si adolescentis, quatuor & viginti annos nati, sanguis, non ignobilis, spargeretur a carnifice? Ad vltimum, cum sacrilegi facinoris immanitas, nullis suppliciis satis expiari posset, caput a ceruice resectum, corpus quadrifariam fissum, quibus Turca venturi erant, viis, frustatim pependit. Rusticus, ducentis primum plagis adfectus, de epistolarum, quas hac illac pertulisset, argumento, ignarum se plane fuisse, pertinaciter deicrauit. Per medium, nihilo minus, corpus, adacto palo præacuto, acerbis poenas persoluit. Certe, si quanti steterit Buda, quantique prope vendita fuerit, æstimare velis, merito dubites, an auaritiæ, ac perfidiæ turpioris, hominem priuatum, secula nostra dederint. (b.)

*Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! (c.)*

§. II.

Periculo, cum vrbe, defunctus Beckius, ne quid porro, siue Turcæ possent moliri, siue domesticæ harpyiæ, diligentissimam curam adhibuit. Portas certe, subire licuit nemini, nisi penitissime excusso; sed neque exire foras, sine examine rigidiore. Vt anno MDCLXXXVII. ver coepit adolescere, mirum dictu, quam frequentes conuolarint, qui urbem viserent, ponendarum sedium causâ. Plerique homines fuere, tenues ii quidem, sed idonei tamen, vrbi instaurandæ; si mercatores excipias, quos illiuc, lucri faciendi cupido, exciuerat. Qui primi adueniebant, domos occupabant, ab Administratore

b.) Hæc, de iniquissima molitione, WAGNERUS, | c.) VIRGILIUS, Aeneid. III. versu 56. RVS, Lib. X. p. 3. seq.

supplicium,
facinoris
atrocitate,
mitium.

Beckii,
praesidi
vigilantia:

conuolu-
rum, ad vr-
bem con-
fluxum:

tore Camerali, postea, Administratione ipsa, fere gratis, neque alia lege adtributas, quam, vt, tectas sartasque redderent, colerent rus admensum, vineasque. Accessit, triennii, a censu immunitas, Caesaris indulgentia, horum gratia promulgata, qui heic insidere voluerint. Quibus rebus, factum fuit, vt non vrbs modo ipsa, conualesceret incolis, sed insiderentur suburbia quoque. Ergo, institui sensim magistratus oportuit, qui moderante præfecto, coloniarum, ex vario hominum genere, coadunata, adtenderent. Difficiliter adsuescebant conuenæ, cum aeri Hungarico, tum agricolationi etiam, aliter heic, quam in Germania, administrandæ. Plures, vna eademque domus, heros, vnius plerumque lustri spatio, anisit, vel morte senili enectos, vel demigrantes aliorum, vitæ opportunioris confidentia: vt anni MDC-LXXXIX. pestilentiam, quæ ciues innumeros abstulit, sileamus. Fuerunt vero, non pauci, ex Suenis potissimum, atque Bauaris, qui opinarentur, vt, cum alibi, Diu laboribus vendant omnia, apud Hungaros, atque Buda potissimum, molle agentes otium, posse, & ditescere, & vitam degere adfluenter. Huic, proinde errori, tribuendum putant, quod, aut nulli, aut pauci, incolæ superent hodie, ex iis, qui primi in urbem immigrauerant. Postea, cum longius propellerentur hostes, iamque, non modo tuta essent omnia; sed etiam, extra modum opportuna: ciues Buda, ex Austriacis, Bauaris, Franconibus Suenisque, accepit, quorum industria, egregie breui profectura credebatur. Hoc prodigii simile habitum fuit, quod, cum alienigenæ certatim concurrerent, ad iura ciuitatis, in hac regni metropoli, capesenda; pauciores fuerint ex Hungaris, qui voluissent urbem recolare: siue id, fallidio loci factum, cuius occasus, gentem vniuersam, dirum in modum adflixit; siue, quod tutius alibi fructuosiusque, rem procurare familiarem potuerint: maxime, Belgrado, vel periclitante, vel iam amisso. Ergo, factum est, vt, ex Metropoli Hungaria, iam fere ignara Hungarorum, vrbs, ciuitatis vndiquaque Germanicæ, euaserit.

§. III.

Ad hæserat, instaurandorum moenium, consilium, tum aris penuria, tum belli in primis, quod erat continuandum, difficultate. Tametsi enim, lapidem omnem mouerit Lotharingus, vt urbem, ad omnes belli casus, sic satis præmuniret; recidebant tamen in irritum, conatus, saltem, nunc Turcarum, nihil non hostile molientum, tumultuatione, nunc susceptis, vicinarum arcium obsidionibus, sufflaminabantur. De incunte, anni MDCLXXXVII. Iunio, WAGNERUS (d.): *Ne frustra, inquit, laboretur, expectandi mora, (in castris, ad Strigonium, cum sedecim millibus, hærebat) ad rescicenda BVDÆ munimenta adiecerat animum, manusque; cum pluribus nunciis admonitus, Turcarum triginta millia, partim Petrova-*

l i i 2

radi-

d.) Ibidem p. 6.

coloniarum
difficultas:

eius caus-
sa:

Hungarorum,
in
capesenda
ciuitatis
iuribus,
paucitas.

Mentione
vrbi impo-
nitur:

radani Danubio, partim Savo pontes instruere; nihil iam sibi morandum constituit, ratus, semel in nostras oras enisō hoste, de capiendō Eszekino conclamatum; at, trans Danubium abeunte illo, se a Bauarico exercitu interclusum iri. Hæ, istiusmodi perturbationes, pluribus inde annis, opus, non iam retardabant, sed penitus e manibus ducum elidebant.

quæ inde
consilia
Turcæ cap-
tarint?

Neque Turca ignorauere, immunitam Budam, a Christianis teneri. Itaque, famosa, anni, cuius meminimus, MDCLXXXVII expeditione, ad se adtinere putabat Vezirius, non modo, vt Szigetbo, & Albaregali, lenta obsidione, & quam hæc induxit, esurie prope confectis, spiritum, animumque redderet; sed Budam ipsam adtentaret: quippe, si quæcunque demas præsidium, nondum, ad tolerandam obsidionem, instauratam. Atque, vsurus videbatur opportunitate Turca, nisi acerrimo, ad Mohatsthum prælio, tempestiue fuisset deuictus.

parta urbi,
Mohatst-
hæ victoria,
securitas:

Ea certe victoria, plurium annorum securitatem Buda peperit: quando Eszekinum hinc, Albaregali, atque Szigetbhum; illinc Agria, scuti loco futurae urbi, in nostrorum veniunt potestatem. Sed, & orta Constantinopoli seditio, exauctoratus item Mehmetes IV. & quæ hinc sequuta sunt, conuersiones aliæ, tempus, locumque, ad respirandum, Buda fecerunt. Verum, ne ea quidem felicitas, Belgrado, & Canisa interceptis, bello autem, ad Nissam vsque propagato, verti, ad urbem communiendam potuit: vt commutata belli fortuna, metuendum fuerit, ne in tyranni potestatem recidat, vrbs suis adhuc ruinis, propemodum sepulta.

ad eam
munitio-
nem versi
non potest

Triplici cum exercitu, Turci, late prorogatos Christianorum fines, anno MDCXC. inuadebant; cum Buda, nullæ adhuc munitio- nes, saltem extra modum essent tenues. Diserte Badensis, per litte- ras, ad Cæsarem: Inspectans transeunte se, Buda & Eszekini munitio- nes, miserrime comparatas, & impari munitas esse præsidio: Belgradum vim haud diu laturum; annonæ quidem, pro prædiariis satis, pro exer- citu parum habere. Reipublicæ interesse, vt copia undecunque, & auxi- lia cogantur: in præsentia, vnam Anbaltinam cohortem, quæ nuper Bu- dam venerit, in mentem sibi venisse. Rescriptum est Badenli: Anbal- tinam, Buda deduci haud oportere, temporibus adeo difficilibus, atque cis Danubiana Hungaria tota feue, præsidii militariibus vacua. Ille tunc Buda (e.) habitus fuit. Nempe, ea temporum indoles, post captam Budam, inualerat, vt de expugnandis urbibus egregie solliciti fuerint duces, de muniendis non item: quod, quantam rebus Cæsarianis cladem adtulerit, non est huius loci memorare. Certe, Belgrado, a Tur- cis recepto, in procliu erat, Budam quoque, in potestatem hostium relabi. Id vnum saluti fuit, quod in tanta rerum Christianarum clade, se ipsum destituerit, purpuratus Cuproglus. Res enim compertissima est, & a Beckio gubernatore, ad bellicum senatum, Viennam per- scripta, si fortuna sua, vti Cuproglus nouisset, aut non potius, regno- rum arbiter Deus, hominis mentem confudisset, similem Belgrado, Buda (f.) casum futurum fuisse: eo quod, præsidio tenui, ac prope nul-

periculum
inde qua-
sum?

declinatur
Veziri
culpa.

a.) WAGNERVS, Lib. XI. p. 137. seq.

f.) Idem p. 147. finc.

nullo, patentibus passim mœnibus, ciuibus terrore dilapsis, parata, ad perdendam urbem, fuerint omnia. Quin, & seruatam a Starenbergio Eszekinum, securitati Budensium velificauisse, certum est: quippe quod, si periisset, simul cum Draui navigatione, ager, amplissimæ pabulationis ademptus, Buda autem, ad omnem casum fuisset exposita.

§. IV.

His, tam propinquis, tamque atrocibus periculis, multum re- moræ, Budensium incrementis positum fuisse, hinc potest argui, quod opimi quique ciuium, reculis conuafatis, quas nuper sarcire coeperant, domos, vacuas post se relinquebant. Pauciores enim, quam putasses, reparata etiam in melius fortuna, postliminio rediere: adfueti scilicet in Germania, enimus, Hungariae pericula, adspectare, nihil eorum sentientes. Quid t̄ quod anni superioris, MDCXCIX. pestilentia, eo maiorem incolarum stragem ediderit, quo procliuus erat, serpere in plures, diffundique virus, in ea, qua tunc erant, ciuium tenuitate. Alioquin, stupuit Christianus orbis, arces tot partes laboribus, ad vnus tempestatis calamitatem, perdi a Cæsarianis potuisse. Causas, WAGNERVS, more suo, profus expromsit. Quid, inquit, aliud expectares, ab exercitu tenui, suisque sine nervis flaccido? arario, per voracissimas Augusta solennitates, in eam penuriam redacto, vt nec Strasserianus ille hiatus expleri, nec tempestiuus supplementis, refici le- giones, neque Buda, Eszekinum, Belgradum, paulum communi possent. Sed, nos hæc iam non rimamur. Ista Buda, ad pacem vsque Carlouit- zensem, facies erat, subinde, Cæsarianarum celebritate expeditio- num, nobilitata. Propagatis, longe lateque, Hungaria finibus, & re- gione, e tot bellorum malis eliberata, spes erat, fore, vt totis viribus, ad communicandas, quæ in potestatem venerant, arces, animum ad- iuciat Cæsar. Eam spem, id quoque sustentabat, quod Georgius Szé- tsenius, Strigoniensis Archiepiscopus, insignem pecuniæ vim, his vti- bus adtribuerat. At enim, bellum Hispano Gallicum, atrox, ac diurtum, seditio item Rákócziana, paruis profecta initiis, sed breui in im- mensum propagata; muniendarum arcium curam, aliorum auerte- runt. Satis fuit, nudas haud reliquisse. Id vero, quam male cesserit Hungaria, captæ partim, partim deditæ vrbes, atque inermia muni- menta, condocuerunt. Buda, in ea rerum perturbatione, ita licuit esse felici, vt ne tentaretur quidem, a Rákóczianis: forte, quod non tam muros, quam, pristinam urbis maiestatem, reformidarent Hun- gari. Agrum interim, frequenter incurfabant, vt fatigarent velita- tionibus prædiarios, ciuesque. Vineaticis certe operis, atque agri- colationi, in primis vero, submissis com meatibus, auxiliisque, insidiari nouerant, data nunc, nunc iterum accepta clade, subito vanescentes, re- deuntesque iterum ad maleficium. Non raro, ita circum, regionem omnem, reddebant infestam, vt ne epistolis quidem, quantumuis per

Urbs, hinc
orta da-
mata:

cladium
tunc repen-
tinarum
causa:

mona, com-
munienda
Budæ in-
dimota:

urbis, se-
ditione Rá-
kócziana,
facta:

tabellarios, cautos & gnaros itinerum, mitterentur, huc illucue, pateret transitus. Toto lustro, iniquis ea duravit, dum, *Trentschimienfi* praelio adtritum *Rakoczius*, segnius postea, *Casarianis* arcibus, insultaret. Posteaquam ea tempestas, partim suapte defecuit, partim *Comitis Iohannis Pálffy* prouidentia, anno MDCCXI. *Szatmarini*, consopita est; iamque *IOSEPHO*, rebus humanis exempto, frater *CAROLVS III. (g.)* sceptrum teneret; dandam voluit operam, regum solertissimus, ut tandem, *Buda*, validis incingenda munitionibus, manus admoueretur. Id, ut fieret, *Regalius Comes*, vir, non minus bellica laude, quam architectonices militaris scientia, clarus, atque *Cæsari*, non vno experimento cognitus, praesidio, vrbique praeficitur. Ergo, vti, quod in mandatis acceperat, exsequeretur, deiicere primum, quae ab obsidione superabant, parietinas, amoliri ruinarum cumulos, & totam eam regionem, qua vetus arx infederat, prorsus exaequare, designare munitiones, nihilque non occipere, maturando operi necessarium. Iactis tandem, anno MDCCXV. fundamentis, validissimam, ex recentioris artis praescripto, molem circum eduxit, ita substructam, ut frons quidem munitionum, *S. Gerhardi* montem, latus sinistrum, Danubium, dextrum, vallem aduersam, infestare possint, frenareque, si trepidi quidpiam ingruat. Duos propugnaculorum ordines, sibi inuicem respondententes, monti inaedificatos vidimus. Inferior alter est, fossa, & pro huius marginibus, vallis, atque reductibus aliis, praecinctus: alter superior, coecis subtus fornicibus, cum depressiori illo, connexus, & subductus ad eam altitudinem, quae loriceis rite praetensis, arcem arcis tutari queat. Vtrique, sui sunt suggellus, grandioribus tormentis infelli; ut, mutuo se iuuare queant propugnatores, si alterutrum propugnaculorum ordinem, laborare contingat. Intra hos succinctus, propemodum inexsuperabiles, praetorium coepit conlitiui, eximia id quidem laxitatis, sed vix Regi suffecturae, cum aulae familiaribus, accipiendo. Huc, *Regalius* opus perduxerat, cum anno MDCCXVI. bellum Turcicum, exardescit, perniciosabile futurum Hungariae, nisi id, gemina victoria, prosligatum ante fuisset, quam se poterat penitus insinuare. Haud id quidem *Budam* contemnerat; sed interpolauit tamen, tantae molitionis operas: quando *Regalius* quidem, anno MDCCXVII. in obsidione *Alba Graecae*, hostilis tormenti pila contusus, vitam, triduo post, cum morte commutauit; bellum autem *Siculum*, praepostere, a *Philippo V.* Hispaniarum rege, commotum, etiam *Turcis*, pace ad *Passarouitziuum* data, omnem communiendae *Buda* destinationem, interuertit.

Carolus III. Regalius Comiti. munitionem demansat:

operum, qua excitauit, ratio:

oculus Regali:

& bellum Siculum operas interuertit.

(g.) Ita est Regum Hungariae series; ut, post *CAROLVM I.* principem felicissimum, *CAROLVM* praeterea paruum,

sancti exitus regem, nunc *CAROLO III.* inter *Cæsares VI.* Hungariae gloriatur.

§. V.

§. V.

Ita se, belli pacisque temporibus, munitiones *Buda* habuerunt. Urbicae interim aedes, tametsi, lentis & haec profectibus, instaurabantur, eductae tamen sunt passim, per fora & compita, non plane nullae, ad *Viennensium* imitationem. Illud plerique, inter praesagia referebant, felicitum, quae urbem exceptura essent, temporum; quod, cum profanae priuataeque aedes, diutius, ruinis foedatae iacuerint; templa, atque coenobia, mirando successu celeritateque, vel funditus substruerentur, vel repararentur a situ, & barbarico squalore. qua de re inferius. Ciues profecto, quominus potuerint festinanter domos exaedificare, publica partim, partim domestica mala, impediuerunt. De *Turcicis* turbamentis, & hostili *Rakoczianorum* licentia, supra diximus. Adhuc tumultuabantur, sequaces *Rakoczii*, cum anno MDCCIX. pestilentia, clandestinis, quod sit, initis coorta, urbem peruasit. Atrox ex se malum, diuturnitas exacerbauit: triennio quippe, grassata, ingentem edidit cladem, & in milite praesidiario, & in ciuibus. Exillimari hinc potest, iniectam remoram fuisse, cum vniuersum, accessioni ciuium, tum in primis, instaurandis aedificiis. Nondum vero ab ea calamitate, tria lustra abierant, cum annus MDCCXXIII. *Budam* fere omnem, deleuit, ac propemodum conuulsit funditus. Incendium fortuitum, an dolo instructum, quinto *Calendas Aprilis*, horis postmeridianis, subito cooriebatur. Dies erat, *vigilia* resurrectionis *Dominicae*, insignis: cuius recolendae causa, urbica, summorum imorumque, multitudo, sacerdotum item collegia, solemnibus processione, in montem, cui a *caluaria* nomen, egressa fuerat. Hinc, dum ritu solito, sacris operati, redeunt, vnica admodum urbis superioris, prope ad portam *Viennensem*, domus, igne concepto, ardere coepit, diffuditque momento, tam late, incendium, ut integer aedium ordo, ante corripere, quam ad reslinguendum poterat concurrari. Accidit autem, maximo urbis damno, ut, sub ipsa feralis incendii iniria, aquilo flare coeperit, longe vehementissimus. Ergo, raptabat hinc inde, inflammatae tectorum materiam, quae passim delapsa, noua excitabat incendia: ut, cum ad vnus domus, reslinguendas flammam, adcurrebat a trepidis incolis, vicinae aliae, iterumque aliae, locis diuersissimis, succenderentur. Hac, venti non minus, quam ignium, per aera volitantium, rapiditate, factum est, ut, cum haud longe a *Viennensi* porta coepisset incendium, ad *Albensem* usque, continuo urbis latere, propagaretur. Inerant, prope ad portam, in grandiore quodam propugnaculo, quadringenti quinquaginta circiter, sulphurati pulueris *centenarii*. Hunc, vbi ignis contingit, tanto fragore, munimentum, & adfines ei muros, in aera elisit, ut non *Buda* modo, pluribus momentis, tamquam ex validissimo terrae motu, quallaretur; sed *Pestum* etiam concuteretur, ad eum modum, ut vix

Frinatarum aedium habitas:

calamitates, quibus earum exaedificatio prohibebatur:

Anni 1723 atrox incendium:

urbem propemodum funditus delet:

eius hypotyposis laetissima.

villus

villus fornax, vitreae item fenestrarum valvae, impetum, sine ruina, potuerint sustinere: quin immo, totus, circum, ager, vicique, ad horribilem cum ictum, non secus contremuere, quam si ruiturum caelum, terrae, iamiam esset permiscendum: cum interim, egesta, ex imis fundamentis, saxa, murorumque fragmenta, magna, cum hominum, tum aedium strage, sparsim depluerent. Incubuit momento vrbi, spissa adeo fumi nubes, vt Aegyptiacas tenebras, æmulari videretur, nisi flammaram, iuxta & ventorum, vis immodica, mature caliginem discussisset. Discursabant ergo ciues, inopes consilii, & flammaram impulsu, feruoreque, nunc huc, nunc illuc, acti, nec quidquam enitebantur, in restinguendo incendio. Adhuc fulgurabat, puluis ille pyrius, cum fornix alter, in arcis promptuario, aquensi latere posito, pilis igniuomis, ignariis item ollis, & nullo non eius generis instrumento, ferramentis item offertus, admissa, per qualemcunque rimam, flamma, consimili propemodum fragore, rumpi coepit. Magna iam tum fuit vrbs clades, sed quam fornix ille, multis modis reddidit perniciosiorem: cumque, speciem ardentis Troiae retulisset hucusque; iam, simulacrum esse coepit extremi diti, quo, igne liquatum iri elementa, & huius vniuersi compagem, sacra pagina condocet. Nimirum, plures globorum pestilentissimorum centuriae, nunc vna tollebantur in aera, decidebantque sparsim; nunc alternis quasi cuiibrabantur, tanquam ad scopum collimatae. Nusquam, tota vrbe, sed nec in suburbis, aduersus ignitam hanc tempestatem, tutum restabat perfugium, nisi cellis profundioribus; a quarum tamen aditu, fumo, qui oppleuerat omnia, arcebantur incolae. Crepabat interim, ad modum tonitru, ignarius ille adparatus, defœuiente etiam incendio. Nam, cum id quidem bihorii spatio, ducentas viginti quatuor domos consumserit; infelix hæc testudo, mira vicissitudine, nunc cessabat ignes vomere, nunc iterum, congeminitis bombis, nouum edebat fragorem. Abiit funesta nox, neque tamen desit, triste hoc antrum, fulgura edere: quod eo plus habebat periculi, quia, neque eminus, neque cominus, pestilens hiatus, restingui potuit. Ergo, *Aethnam, Vesuuiumque*, montes igniuomos, isthuc translatos credidisses.

§. VI.

*Vrbs, uocata
pea hinc
damna:*

Difficile dictu est, quantopere, nocentissimo hoc incendio, vrbs, lentis accessionibus efflorescens, pessundata fuerit. Iacuere in cineribus, sacrae, publicae, privataeque aedes, neque erat platea, quam non deustum rudus, fecisset imperuiam. Accepimus, vrbs, post incendium subeuntes, non potuisse lacrimis temperare, cum viderent ciuium hos, quasi Vulcani editos officina, restinguendis titionibus, parietibus luxatis fulciendis illos, alios submouendis, ab aedium aditu, cinerum carbonumque cumulis, exsanguis, ac pene semimortuos, occupari. Fumabat postea, diebus pluribus, infelix *Buda,*

Buda, eratque magna circumspectione opus, ne qua scintilla, quod fit, nouum daret incendium. Peculiare, diuinae prouidentiae munus, in eo cognitum est, quod apotheca pulueris pyri maior, passius plus minus triginta, ab incendio, haud conceperit ignem. Certe, id si accidisset, vrbs totam, funditus oportuisset conuelli: repositi enim heic fuere, XII. M. centenarii, pulueris *nitralis*. Ac profecto, parum aberat, quin inflammaretur tantus adparatus. Namque, concalfacti, immo feruentes, ex propinquitate flammaram, parietes apothecae, iamiam minabantur exitium; nisi emisso, e syphonibus imbre, egregia videlicet *Daunii* praefecti prouidentia, refrigerati fuissent perpetuo. Huic, tam inopinæ, tamque atroci vrbs cladi, nemo non bonus indoluit; *Cæsar* maxime: quippe, qui nihil cupiebat impensius, quam captam a patre *LEOPOLDO M. Budam*, maxime florentem efficere. Ciues interim, simul dies festos, quos mala isthuc funestauerant, inter gemitus extrahere, repurgare aedes quisque suas, peruia facere compita, & de reaedificandis tectis, cogitationem curamque suscipere. Fuere, quibus in promptu erat, vnde sarcirent damnum; sed fuere etiam, quibus res angusta domi, difficilem extra modum, faciebat instaurandarum aedium diligentiam. Iraque, domus aliae, aliis adsurgebant lentius; singulae autem, elegantiore multo opere, quam ante fuerunt instructae. Nimirum, *urbicorum* non minus, quam *militarium* magistratum prouidentia, cautum fuit, vt, aedes quidem solido opere substruerentur, imbrice vestirentur tecta; ne, si scandulis iterum contegerentur, idoneam alendis incendiis, materiam, quae Deus auerruncet! sicuti iam euenisse cognouerant, subministrarent. quam curam, vtinam suam facerent, reliquae Hungariae vrbs; pauciora sane, neque noxia adeo incendia, pateremur. Alioquin, surrexit ex his cineribus, *Buda*, non augustior modo, sed commodior etiam ad habitandum. Sane, qui ante ferale istud incendium, vrbs viderant, instauratam, vix recognouerunt; ita decoram effecere, cum uona aedium facies, tum instructa passim, opportunitates aliae.

*pulueri nitrali
trati apotheca
maior seruat
intemera-*

*instauratio
aedium, len-
ta quidem,
sed elegan-
tioris, quam
antea, soli-
dioraque
habetur.*

§. VII.

Res iam poscit, vt partes vrbs, plateasque, & quibus aditur, *Sine Buda:* portas singulas, designemus. De situ montano, dictum est toties. Quemadmodum vero mons, ab oriente, versus occidentem aellium fertur, ita, summitatem eius, longam circiter tercentas orgyias, latam centum fere hic, centum quinquaginta alibi, vrbs, perpetuo, inde ab arce, tractu, insedit. Totam eam intercapedinem, *moenia:* moenia incingunt, facta partim, partim hiulca, nusquam tamen ita detrita, quin possint enitentes remorari. Qua in occidentem molles sunt accessus, validissimae exsurgunt munitiones, rotundis atque pentagonis commissa propugnaculis, muros geminos, geminata fossa, praecingente: vt extrema opera, retardando hosti inuenta, sileamus.

porta:

Viennensis:

habet Töldianum robora monumenta:

quid de Töldio sciendum:

porta Albana:

Aditur vrbs, portis tribus, quibus situum ratio, nomen impertiuit. Quæ viam prospicit Viennensem, recentiore vocabulo, ac forte sub FERDINANDI I. initia enato, *Viennensis* adpellatur. Olim *Iudaicam* vocitabant, a *Iudorum* vico, & suburbio. *ISTVÁNYFVS (h.)*, *Sabbathinam* nominavit: *Sabbathinam*, inquit, portam, penes *Iudorum plateam*, qua ad veterem *Budam* itur, *instæ magnitudinis propugnaculum muniebat*. Credo, ea denominationis ratione, quod a *Iudæis* accolebatur, *Sabbatha* concelebrantibus. *Iohanneam* quoque dictam reperio, a vico cognomine, qui in portam hanc exit, atque a *S. Iohannis* æde, sic nuncupatur. Ex huius apside, suspensas spectauimus, *Nicolai Töldii*, prodigiosi roboris viri, armorum reliquias. In his, *umbo* est, e ferro, aut chalybe, crassitie inusitata, fabrefactus, ponderis tanti, cui ferendo, vir haud elumbis, vix, ac ne vix quidem suffecerit hodie. *Lancea* demum visitur, longurione ferrato constans, eius propemodum molis, quali gigantes fuisse vsos, augurari possis. Pendet *globus* quoque lapideus, catenæ hærescens, quem *Töldium*, de baltheo suspensum, in præliis gestasse, memorant: ultra humanum caput, grandis est, ideoque, ne ambabus quidem manibus, ad ictum facile vibrandus. *Loricæ*, e circulis ferreis, reticulato opere contextæ, fragmentum, ita comparatum est, vt multum, ab hodierno vsu, abhorreat. Tam sunt enim spissa omnia, vt si integrum esset indumentum, haud sane repereris virum, ei diutius ferendo parem. Sed, & equina *solea*, atque calcar, molis sunt insolentis. Aiunt, rogatum, vt roboris, quo valeret, experimentum daret, lancea, vomerem nondum detritum vsu, vno ictu pertudisse: qui & ipse vomer, infixio lanceæ ferramento, in *Töldianis* hisce monumentis, conspicitur. Hæc ita vulgo perhibentur; sed, an ex vero, non ausim, siue inficiari, siue adfirmare. Enim vero, si carmina vernacula, quibus prodigiosi actus *Töldii* decantantur, excipias, vix quidquam de eo in historia repereris. Adfirmatum tamen est nobis, a viro, rerum patriæ gnarissimo (*), ætate *Coruinorum*, floruisse hominem, *Neogradensi* prouincia editum; cuius insignia facinorosa, vulgus, sicuti adfolet, in maius extulerit. Altera vrbs porta, vt ad propositum redeamus, *Albana*, seu *Albaregalensis* vocatur, quod oram *Albensis*, *Budæ* meridionalem, prospiciat, eodemque iter adaperiat. Contemnerat eam, anni MDCCXXIII. de quo fufe diximus, incendium. Igitur, instaurandam, & validis præcingendam munitionibus, *Cæsar* voluit. qua in re, *Comes Henricus Iosephus Daun*, vrbs præfectus, præclare sane elaborauit. Refert, magnifici operis memoriam, marmor, quinque circiter pedes longum, duos & medium latum, idemque apside exteriori, decore inædificatum. Aquilam, nimirum, bicipitem ostentat, Hungariæ insignia, pectore complexam. Sub ea, tituli leguntur, æneis, ac prominentibus litteris, vt tenacius perduret memoria, lapidi inserti. qui istiusmodi sunt:

CARO-

h.) Lib. XIV. p. 232, 50.

*) Fuit is, PAVELVS RADAY.

CAROLO VI.

ROM. IMP. SEM. AVG. GER. HISP. HVN. BOH. REGE,
PORTA

HÆC ALBAREGALENSIS E FVNDAMENTIS SVRREXIT,

PASCHALIBVS NVPER FERIIS,

VINTRATI PVLVERIS IN AVRAS EIECTA.

PASCHALI IN BVSTO RVRSVM SPLENDORE RESVRGIT

LAETA, NOVO MELIVS VENIT AB IGNE DECVS.

HENRICO IOSEPHO E S. R. I. COM. DE DAUN,

SVPREMO ARMORVM PRAEFECTO.

Neque minori cura, triennio post, *Viennensis* porta instaurata est. Præterquam enim, quod validissimis operibus præcingendam voluere, munitionum arbitri; ipsam portæ concamerationem, pylasque, none, & ad insigne robur, instruxerunt. Super apside, caput excisum e lapide, conspicias, humani modum excedens, ore distorto, lingua eiccta longius, totoque vultu ad irrisionem, terrendumue, composito; nam, manu quidem dextra, in pugnum collecta, solo pollice, ad fusc speciem, infra digitum indicem, porrecto, hosti videtur illudere; sicuti contra, prudentiam defensandæ arcis notare, indice sinistra, fronti admoto. Tum regia insignia, qualia nunc vidimus, & infra hæc, incisa lapidi, augustales litteræ, obseruantur:

C. VI. S. A. D. G. G. H. H. B. D. C. R.

puta, *Carolus VI. semper Augustus, Dei Gratia, Germania, Hispania, Hungaria, Dalmatia, Croatia, &c. Regem*, posteritati indicaturæ. Contra *Albanam* portam, tertia, obliquo, in aquilonari vrbs latere, situ, adaperitur. *Aquaticam*, seu *flumentaneam* nominant, eo quod, in *hydropolim* deducat. Asper ad eam est accessus, ex suburbio ascendentibus, idemque, aduersus aquilonem, humili muro præmunitus. *Byzantinam* quoque dictam legas. Eadem moenium regione, sed in aquilonem altius, angustior est portula, pedestri commectioni, eique diurnæ non minus, quam nocturnæ, si vsus ferat, destinata. Frequentes hinc eruptiones faciebant *Turca*, obsidionum quas supra memorauimus, temporibus.

S. VIII.

HOC moenium ambitu, his portis, continetur *Buda*. Rescinditur ab arce, ultra *Albensis*, atque *Aquaticam* portam, muro simplici, & alta fossa, intersertis item armamentariis, iuxta & militaribus hospitiis. Eadem ista regione, duobus tantum ædium ordinibus, vtroque latere instructa, arca diffunditur, quam *Martianam* possis dicere, quod miles hic lustratur, ad excubiæ vigiliarumque stationes, dimittendus. Geminus hinc, pari longitudine, vicus, versus *Viennensem* portam propagatur. qui, vbi passus, plus minus ducentos, præcesserunt, arca intersecantur, quam *curialem*,

Kkk 2

feti

Viennensis:

Aquaticæ:

Vrbis, ab arce, distinctio:

eius viciniores:

seu *pratoriam*, recte adpellaueris; quod isthic vrbicum insedit pratorium. Positu est commodo, tametsi laxo minus, ob situs angustiam. Colossus hic adsurgit, solidi non minus, quam elaboratissimi operis. Ob urbem peste liberatum, senatus populusque Budensis, anno MDCXC. SS. *Triadi*, eum vouerant. Sed, quæ sequuta est, temporum difficultas, destinationem, in annum vsque MDCCX. prorogauit. Tunc vero, iactis fundamentis, educi moles coepit, continuis, totius pinguennii operis; dum anno MDCCXV. vigilia eius diei, qui memoriae SS. *Triadi*, festus est, dedicari potuerat. Surrogitur LII. pedum altitudine; eadem fere mole fundamentorum subnixus. Quod ultra hanc est aream, in vicos quatuor expanditur. Qui in occasum vergit, *herilis (i.)* ab incolis dicitur: credo, quod primorum aedes heic olim erant positæ. In septentrionem, *Iudaorum* platea exporrigitur, sub Hungaris regibus, non minus, quam sub barbaris, ab iniquissimo hoc genere, culta. Profecto enim, frequentes *Buda* habitabant, non minus noxii *Christianis*, quam *Turca* ipsi, quoties ingruit obsidio: cuius malevolentia, cum alias sæpius, tum in suprema oppugnatione, nocentissima dedere documenta. Superesse aiunt hodieque domum, ritu *Iudaorum* exædificatam, cuius cellarium balnea ostendat, *Iudaicis* lauationibus destinata. Pone, vicus *Pistorum* est, ab hoc opificum genere, sicuti adparet, vocitatus. Inter hunc, & *herilem illum*, platea decurrit *Lanionum*, ex re ipsa sic dicta. Singulas, vicus *Iohannens*, transuersim, haud procul a *Viennensi* porta, interfecat. Nomen huic, ab æde *S. Iohannis*, qua insidetur, communicatum esse, non est opus iterum monere. Hæc, de platearum vrbis habitu. Olim, siticulosam fuisse *Budam*, accepimus; neque, nisi puteis, quos per profunda cellaria, depressos habebat, & importata, e Danubio, aqua, victitasse: nam, scatent omnino passim cellaria, dulci non minus, quam nitroso latic. Iam, & huic penuriae obuiauit senatus prouidentia: quando, instituto aquæ ductu, perennem fontem, in urbem deriuauit. Diu, in sumtuosissimo opere, conatu frustraneo, elaboratum fuit, in primis, dum res vrbis, *Camera* administraret. Fuere, nimirum, qui se, lucri faciendi gratia, *hydragogias* peritos, mentirentur; donec, anno MDCCXVIII. *Conradus Korschensfeiner*, S. I. frater, tem feliciter conficeret. Fons est, bihorii itinere, si ductuum ambages metiaris, ab vrbe disiunctus. Hunc, corruatis etiam scaturiginibus aliis, longo circuitu, quem magistratus ipsi designauerunt, ductibus immixtum subterraneis, ad MCCCLXIX. pedes, plumbeis; ligneis inde, ad DCC-LVII. orgyias, fistulis, singulari artificio defossis, coagmentatisque, vrbi immisere; silano, in ciuici pratorii obtutu, instructo. Quod aquæ, vigilia *S. Ignatii*, primo omnium salire cœperunt, eius simulacrum, fonti impositum est, vt ad posteros propagaretur memoria

1.) HERRN-GASSE, recentius forte nomen & a ciuibus Germanis, imitatione *Viennensium*, impositum. Nisi credas,

hanc olim plateam, Regum, & aule familiares, coluillæ, dictamque inde fuisse, Hungaris, URI-UTZA.

tanti beneficii. Alioquin, haud iam defunt priuati, publicique, per anella patescentes.

Curta laboratas antlia tollit aquas.

In his censendus merito is est, qui, prope ad rudus ædis *Magdaleneæ*, aquas Danubiales habet, centum sexaginta orgyiarum; pedum quatuor spatio, isthuc educas. Nam, & id genus fontium, post tentamina, sumtuosa non minus, quam diutina, instructum *Buda* videas. Ex turri nempe aquatica, duorum equorum ministerio, centum quinquaginta orgyiarum intervallo, affatim (k.) aquarum, in urbem prolicitur.

S. I X.

AD sacras ædes, quod adinet, plures earum numerauimus. *Aedem sacratissimam principis* Princeps est, quam *Adsumpta* ad caelos B. V. MARIAE, prisci illi conditores, dedicauerunt. Rei memoriam, ara templi, *Adsumpta ad caelos* icona celestissimæ VIRGINIS, latere autem dextro, *S. Stephani*, sinistro, *S. Ladislai* statuam referens, ad hunc modum loquitur:

AVGVSTISSIMAE CAELORVM TERRAEQVE IMPERATRICI, DEIPARAE IN CAELOS ASSVMPTAE, BASILICAM HANC S. STEPHANVS, PRIMVS REX HUNGARIAE CHRISTIANVS, AEDIFICAVIT, ANNO MXV. QVAM MATTHIAS CORVINVS, REX HUNGARIAE, AMPLIAVIT MCDLXXV. EX POST VERO, BVDA A TVRCIS CAPTA, ANNO MDXXX. DIV POSSESSAM, LEOPOLDVS ROM. IMP. HVNG. BOHEM. REX, DEO AVSPICE, CHRISTIANITATI RESTITVIT, ANNO MDCLXXXVI. AC DEMVM, PAVLLVS ESTORAS, S. R. I. PRINCEPS, ET REGNI HUNGARIAE PALATINVS, D. VIRGINI, ARAM HANC, EX VOTO POSVIT, ANNO MDCXC.

Nescio, an S. STEPHANVS ædis conditor dici queat; si veræ sunt, sicuti sunt *an eius conditor dici possit S. Stephanus?* omnino, *Nouæ Buda* origines, quas supra, ad *Belam IV.* retulimus. *Veteri Buda*, templa inædificarat, rex optimus, non item nouæ huic, quæ exstabat nondum. Mihi, similior vero, eorum est sententia, qui molis natalis, pictati LVDOVICI I. & post eum, SIGISMVNDI, in excolenda vrbe, *audoris conditura:* assiduitati, adtribuunt; vt, quod ille exorsus sit opus, iste consummarit; auxerit demum MATTHIAS CORVINVS. Quidquid eius sit, frequentabatur, dum hic colerent, a regibus Hungariae, non secus, quam id, ad S. STEPHANVM, Vienna, a Caesaribus fieri videas. Hoc, *manus templi molis, inter obsidionum pericula, inconcussa:* iure, inter ædis prodigia, retuleris, quod, tametsi contaminata fuerit impio Turcarum ritu, perdurarit tamen iconerussa, estque hodie, vnicum, prioris illius, & Hungaricæ *Buda*, superstes monumentum. Pulchra intus sunt, & luculenta omnia; licet, ex priscae illius æta-

Kkk 3

(k) Instruxit machinam, IACOVS CASPAR, gente *Bauro*, longa peregrinatione, quid sibi vellent molitiones istiusmodi hydraulice, edoctus: dum

positis, hic & alibi, aquarum artificiosis ductibus, Budensem hunc, feliciter non minus, quam adcurare, conderet.

tis ingenio facta. Mirati sumus, columnarum, quibus subnixa est concameratio, formam diuersissimam, neque, sicuti oporteret, ex symmetrias legibus, sibi inuicem respondentem. Arcani quid portendi volunt, haud plane nulli; ego, operarum fellatione, quodque non vno loco caesi fuerint lapides, omne id euenisse existimari. Crebris, ex more, aris instructa est, quas diuorum simulacra, & nullum non genus ornamentorum, decoras reddunt spectabilesque. Geminum aedi facellum coedificatum videas; *mortis* alterum, intrantibus a sinistra; alterum a dextris, *Lauretanum*. In huius aditu, marmor emortuale versitur, LÖFFELHOLTZIANAE memoriae, ad hunc modum, inscriptum:

facella aedi
coedificata:

Episcopium
Löffelhol-
tzianum:

HIC SITVS EST, ILLVSTRISSIMVS ET EXCELLENTISSIMVS DOMINVS GUILIELMVS LÖFFELHOLTZ A KOLBERG, L. B. GENERALIS, ET PEDESTRIS LEGIONIS COLONELLVS, NEC NON METR. BVD. COMMENDANS A. MDCCXIX. X. OCTOBR.

E. PROTESTANTE CATHOLICVS, E PATRICIO NORIMBERGENSI, LIBER BARO, E PEDITE, PEDITATVS MAGISTER. SVO AERE, CONSLIO, MANV, SERVAVIT ARADINVM (L.) ET NI SERVASSET, PERIERAT VÁRADINVM AC TRANSILYANIA. PETROVARADINI LIMITES AVXIT MVNEMENTIS, AVCTVRVS ITEM REGNI METROPOLIM, NI MORS, DE REGE ET REGNO, BENE MERERI PROHIBVISSET. LAVDATISSIMI VIRI, SYMMÁ AETERNAQVE LAVS EST, QVOD NON MINVS BONVS CHRISTIANVS VVRIT, QVAM DVX ET BELLATOR FORTIS.

atrium
templi
Nicolai
Pálffy, po-
stea R. H.
Palatini:

Atrium templi, quod ianuam eius ambit, COMES NICOLAUS PÁLFFY, postea Regni Hungariae Palatinus, coedificandum curavit, quod versiculus chronologus indicat.

HANC FRONTIEM E SAXIS LAXAVIT VIRGINIS AEDI.
D. COMES ET GENERALIS NICOLAUS PÁLFFY.

turris habi-
tam:

referz Mat-
thiae Corui-
ni monum-
entum:

Olim, plumbo intecta fuit aedes. iam, eo, ex incendiis colliquato, imbrice inuestitur. Dextro templi latere, turris, solido non minus, quam sublimi opere, prominet: eo memorabilis, quod insignia MATTHIAE CORUINI, coniuncta cum Hungariae lemmatibus, profus intemperata, anno 1475. adsculpto, ostendit. Ergo, aut eius fuerit opus, aut certe impensa Coruiniana, instauratum. Illud vult, LADISLAVS THYROTZIVS: (m.) *Est in vrbe regia Basilica, VIRGINI Matri exstructa, verius a Matthia Coruino, potentissimo illo maximoque rege; auitum enim gentis Coruina insigne, turris praesert, cum anno MCCCCLXXV. quod sane nunquam heros gloriosissimus praefixisset, nisi opus vniuersum, beneficio illius scaret: quippe, haud regium esse puto, de alieno laudem*

(h) Tumultuantibus nimirum *Rákóczianis*: tunc enim, cum imperio, loco illi praesent: cum soluendis stipendiis, us Caesarum deesset, data suppellecti- li argentea sua, in pignus Temesvari-

ni praefecto Turca, militem, ad sedi- tionem prouum, pecunia, ex pigno- re illo parata, delinquit.

(m.) Hungaria, in Compendio data, p. 40.

emendicare, praesertim, cum abunde habeas, unde emas de tuo. Ita ille arguit. Templi latus, vtrumque, hinc academicum Societatis IESV collegium, a Szétsenio, Strigoniensi praesule, fundatum; illinc, *Seminarium Cleri*, & patriae iuuentutis, eiusdem munificentia pontificis, excitatum, praecingunt. Illius aetatem, versus loquitur, quem refert ianua exterior:

reLIX! qVanta DoMVs foCilis sVrreXit IesV?

Ingens omnino domus, & cui supparem, vix tota Hungaria, sodales infederunt. Situ est amoenus, & quia moenibus imposita, prospectus, in campos *Pesti*, montes item *Neogradenses*, & *Heuesiensis*, longe patentissimi.

§. X.

SUPRA Collegium Societatis, passibus plus minus sexaginta, ruinae superant templi, Ordinis S. Dominici. Vetustum opus, atque vrbi ipsi coaetuum fuisse, SIGISMVNDVS FERRARIVS (n.) nos docuit: *Budensis*, inquit, propter regiam, & generale studium, celebris huius prouinciae Conuentus fuit: in quo etiam comitia totius Ordinis, anno MCC-LIV. sub Vmberto de Romanis, V. Gen. Magistro, tunc electo, celebrata sunt. Ecclesia olim, S. Nicolai nomine, in equorum stabulum, ab impiissimis Turcis versa; adhuc visitur, ut ab iis, qui in ea vrbe fuerunt, accepi. Haec ille, anno MDCXXXVII. vt colligi inde possit, de antiquitate aedis; pro qua, & alibi pugnat FERRARIVS. (o.) Est, & in *Martiali*, quam diximus, area, vastum rudus, templi atque coenobii, olim S. Magdalene sacri; sed, an ab Ordine S. Pauli Eremita, habitati, vix crediderim: cum eorum conuentum, S. Pauli nomine, dedicatum fuisse, exploratum habeam. De eo, annales Eremitico-Coenobitici: (p.) *Vertente anno (MCCCLXXXII.) LVDOVICVS Rex, fratribus nostris, magnificum, intra Budenses muros, domicilium, cum ecclesia, indito illi nomine S. Pauli concessit; ea quidem intentione, vt si quandoque martialibus disturbis, a S. Laurentii Coenobio, longius inde disscio, exulare cogerebantur, eo securitatis causa velut ad asylum, vacanda pietati commigrarent.* Crederes, superiore in vrbe fuisse, cum aede sacra coenobium, quod intra *Budenses* muros, stetisse ait; suburbio tamen inaedificatum fuisse, FERRARIVS nos docuit, eo loco, vbi sepulturam B. Iohannis Dominici, memorat: *Deportatum est, inquit, venerabile corpus eius, ad templum S. PAULLI, primi Eremita, qua domus, in suburbano erat, ciuitatis Budensis.* Ergo, non est *Magdalenaum* rudus isthoc, *Paulinis* adscribendum: quippe quod, & nomine ab eo differebat, & situ. Neque silenda est, S. SIGISMVNDI Praepositura, opimis olim redditibus praedita, sed, quos Turcica bella, & quas haec dederunt, conuersiones,

adhaerent
templi,
Societatis
Iesu colle-
gium, &
Seminarium
cleri.

Rudus rem-
pli Ordinis
S. Dominici:
ci:

item, S.
Magdale-
nae:

Praepositura
S. Sigis-
mundi
iam

n.) De Rebus Hungariae Prouinc. Ordin. | o.) Parte II. Lib. I. Cap. XLIV. p. 204.
Praedic. P. IV. Cap. II. p. 511. seq. | p.) Lib. II. Cap. XV. p. 170.

iam dudum interuenterunt. Opus, atque institutum fuit SIGISMUNDI regis. Diserte BONFINIUS (q.) quando opera eius recenset: *Ante ar- cem*, inquit, *facellum erexit, quod D. SIGISMUNDO dicauit: cuius quippe numini, se peculiari religione, fecerat obnoxium; idque amplissimo sacerdotum collegio donauit.* Nempe, eius diui beneficio, natum se credebat, multisque postea, & ancipitibus periculis, exemptum. Ac de natiuitate quidem, plane id adfirmat; BOHVS LAVS BALBINVS (r.): *Anno MCCCCLXVIII. ex Elisabetha, quarta Caroli coniuge, SIGISMUNDVS, (Rex postea & Imperator) nascitur. Impetratum esse infantem, a S. Martyre, vetusti codices adfirmant, idque Casar probauit muneribus. Nam confestim, S. Sigismundi sepulchrum, auro & argento, contextit; & dum sacris aquis tingeretur puer, mille aureos, ornando facibus, aliisque modis, tumulo; Canonicis vero, decem argenti marcas, donauit.* Ergo, paternam emulaturus liberalitatem, hanc, patrono suo, cum *Prepositura*, & sacerdotum collegio, *Buda*, adem posuit *Sigismundus*, egregie dotatam. In eius ditioe, *Eszekum* fuisse olim, *ISTVÁNFFYVS (s.)* auctor est; *Eszekum, ad confluentes, Danubii & Draui situm, ac muro cinctum oppidum, collegioque sacerdotum, quod Buda Sigismundi adpellatur, olim attributum.* Alioquin, quod priscis Romanis, aedes *Concordis* fuit, vt, boni omnis causa, in eius cella, rebus ad seditionem promis, senatus haberetur; id Hungaris, templum S. SIGISMUNDI fuisse, inde arguas, quia, mutantibus subinde procerum studiis, isthic (t.) in concilium coibant. Adhuc in ruderibus, sed & in expectatione est, fore, vt CAROLI VI. prouidentia, datis iam ei *Prepositis*, ad pristinam dignitatem recolatur.

§. XI.

Ista, templorum fuere vestigia. Nunc, quae instaurata sunt, videamus. Splendidissime in his, PP. Carmelitarum adsurrexerunt, ea moenium regione, quae flumen despicit. Moles coenobii, alta non minus est, quam decora, quodque in obtutu habet *Pestum*, & campestre, quod ultra eam urbem est, aequor, positus extra modum iucundi. Templum D. Iosepho consecratum, multis, & aris instructum est, & elegantius aliis. Plures erant, quorum patrocinio aedes excitata fuit; sed, *Comite Stephano Koháry*, Iudice Curiae Regiae, munificentior nemo. Est, & sororibus S. Clara, suum, in *herili platea*, cum adstructo templo, coenobium B. Margerita, filiae Bela IV. honori sacrum. Angustior, quam pro more, aedes est; sed referta tamen sacris reliquiis. in quibus, caput S. Elisabetha, & altare B. Margerita, eius olim precibus frequentatum, praecipuo loco habentur. Deducta huc virginum colonia est, *Pisonio*, anno MDCCXIV. tenuitque

q.) Decadis III. Lib. IV. p. 408, 6.
r.) Epitome Rerum Bohemicarum, Lib. III. Cap. XXI. p. 375.
s.) Lib. XII. initio, p. 208, 30.

t.) Ad BONFINIUM, Decade IV. Lib. IX. p. 655, 57. ubi, ter quaterque, hic conuentum, ait, a proceribus, diuersa, in eligendo rege, studia, conuentibus.

se intra priuatas aedes, integro fere lustro, dum, iussu Caesaris Augusti, locus eis, a senatu, designaretur, cui coenobium inaedificarent. Neque PP. Franciscanorum templum, claustro haerescens, silendum est. Infedit eodem loco, ubi olim S. Iohannis Euangelista aedes stetit, ab imis fundamentis, opere e ductum, solido non tantum, sed vetusto etiam. Nihil, cuius vero, ex vetusta mole, praeter turrim, sed eam quoque, tormentorum ictibus perforatam, residui habuit. Quia enim, suprema obsidione, *Iudeus* quidam apella, turrim hanc, vt excelsam, ita patentis late prospectus, in suggestum tormentarium verterat, deditque damni plurimum in oppugnationibus, destinatis eam ictibus nostri impetiuere, deiecturi penitus, nisi intercepta vrbe, in viros potius, quam muros, fuisset desuutum. Iam, Patrum non minus, perpetua cura ac sollicitudine, quam liberalitate summorum imorumque, & templum exaedificatum est penitus, & turris ad eum modum falligata, vt, non coenobio tantum, sed vrbi etiam, eximum decus conciliet.

§. XII.

Est, & in praetorio vrbeico (u.) *Sacellum*, cum rebus aliis insigne, tum thesauro ecclesiastico, qui iam isthic adseruatur. Cum caso ad Mohácsium, LYDOLICO II. Maria cum gaza regia, *Iohanne Bornemisza*, & *Nicolao Olábo*, comitantibus, *Pisonium* euasisset, ea fuere prouidentia magistratus ciuici, vt & ipsi, thesaurum ecclesiae, tot regum munificentia cumulatum, educerent e periculo. Ergo, reginam sequuti, quidquid erat rerum pretiosarum, *Pisonium* deferunt; atque illic, in Basilica D. Martini, vrbeis eius senatu, & sacerdotum collegio, bene conscis, recondunt. Delituit illic, sacer adparatus, ad annum vsque MDCCXII. Tunc vero *Budenses*, id quod iure optimo ad se pertinuit, repetere; cumque res succederet difficilius, apud Regem, & Archiepiscopum; quin & Romae, apud Summum Pontificem, precibus agere, non ante desierunt, quam voti potirentur, reducerentque *Budam*, exulem tam diu thesaurum, tanta congratulantis senatus populique exultatione, vt caelo delapsus credi potuisset. Duum is generum est; constatque, praeter sacras reliquias, nulla non aureae argentaeque suppellectilis copia. In reliquiis, pretiosissima habetur, *Crucis*, de qua Seruator generis humani pependit, particula, ab *An-drea Hierosolymitano*, ex ea expeditione reduce, adlata. Hanc, aureae cruci, priscorum regum aliquis, vt maior esset veneratio, instruxit. Opus est bipedali maius, angustalem fabricam referens, multoque sapphyro, smaragdo, hyacintho, rubino, & id genus, pretiosis lapidibus, distinctum. Ferunt, *Matthiam Coruinum*, quoties in bellum proficisceretur, vrbe digredientem, solemnem cum sacerdotum processio-

Tom. III.

L. II

ne,

(u.) Anno MDCCXVI. die XX. Septemb. ab LUCE NATALI, indulto ordi-

nari, solenni ritu, consecratum.

Per S. Iohannis
Eleemosynarii:
vafa & ve-
ftes pretio-
se.

ne, eandem hanc crucem, ad leuæ spatium, præferri sibi curauisse, cepisseque inde, rerum feliciter gerendarum auspicia. *Reliquiarum* altera, pes est, S. IOHANNIS ELEEMOSYNARII, a CHRISTIANO AVGVSTO, Cardinali de Saxonia, & Archiepiscopo Strigonienfi, Budensibus reddita. Cetera, partim calices, inuitatæ, & magnitudinis, & pretii, cum supellectile alia fuerit, partim vestes sacræ, (*casulas & ornatus missaticos* vocant) omni genere vnionum, ad admirationem vsque, perculatæ, an onustæ potius: tota enim superficie, diuorum simulacra, e lapidum pretiosorum, margaritarumque congerie, summa arte facta, adparent. Eius artificii, plura illic vestimenta ostenduntur. *Primum* est, cum effigie *B. V. Mariæ*, infantem IESVM dextra tenentis, magnitudinis fere sesquipedalis. *Minor* in *altero*, sed *suppar* tamen icon visitur, eo intercedente discrimine, quod heic tenellum sinistra gerat, Virgo mater. *Tertium*, CHRISTVM cruci suffixum ostendit, opere, picturæ sculpturæque, quam simillimo, ex vnionibus itidem, & margaritis, scitissime coagmentato. In *quarto*, Crucis signum adparet, cum diuis ecclesiæ veteris doctoribus, *Gregorio*, *Ambrosio*, *Augustino*, *Hieronymo*, iusto ordine vtrinque subsistentibus. *Quintum*, stantes sub cruce, tres sanctæ virgines, *Barbara*, *Dorothea*, & *Margareta*, ornant, cum indicio, anni 1447. *Sextum*, gemina vnionum pictura decoratur: quarum anterior, CHRISTI nascentis historiam, refert, cum factis ex vnionibus literis: *Magnificus Dominus*, reliqua vetustas detruuit; posterior, Resurrectionis Christi icona exhibet, aditante Apostolorum, & mulierum corona, cum inscriptione anni 1450. Sub eadem icone, rex, flexis genibus preces fundit, cuius tamen verba acu picta, situs obliterauit. *Septimum*, IOHANNES EVANGELISTES, crucem manu comprehendens: *Octauum*, PETRVS & PAVLVS, sancti duum, viri, cum inscriptione, I.N.R.I. exornant. *Nonum*, B. V. Mariæ, cum Apostolis, concilium; *Decimum*, effusionem SPIRITVS SANCTI, admirabilem faciunt. *Ibidem*, & SS. Apostolorum congregatio, *Petrus* clauæ, *Paulus* gladio, instructi, *Stephanus* item protomartyr, cum insigni MATTHIÆ Coruini, & adscriptus annus 1581, visuntur. *Vndecimum*, adscensio CHRISTI insignit, additis verbis: HIC EST, QUI ASSUMTVS A NOBIS, SIC VENIET &c. *Duodecimum*, arborem malogranati, onustam fructibus, sistit. Singulorum operæ, ita sunt acu illuse, vt colorum loco, vniones sint. Est hic, & infula episcopalis, e serico, auro intexto, facta, & XXXIV. raræ magnitudinis, rubinis, smaragdis, hyacinthis & amethystis, dispuncta. Ille, sacri thesauri habitus est.

§. XIII.

publica
Budæ ad-
ficia:
Curia:

NVnc publica ædificia videamus. Atque heic quidem *Prætorium* vrbis, cuius supra meminimus, primas obtinet. *Domus* est, difficillimis, sicuti iam sunt, temporibus, ad eum modum ccepta ædificari, vt, si consummabitur profus, vix habitura sit,

fit, tota *Hungaria*, supparem. Nam, & senacula insunt laxa, scite que facta, & ea est substructionum mole, non minus, quam elegantia, quæ non potest non, metropolim honestare. Extus, aquilonari angulo, chronologon legas:

DOMVS VUTILITATI PVBLICÆ RESTAVRATA.

In graphiario autem, siue *Cancellaria*, CAROLVS M. adparet, equo infidens, scripturis artificiose pictis, adumbratus. Hic & tabula suspensa est, vrbis insignia, atque sub his, duos genios, aduersa facie, referens. quorum alter, a sinistris, dextroriam, tuba ori admotâ, istud buccinat:

SENATVI CONCORDIAM.

alter, a dextris, versus sinistram efflat:

PERENNANTI SENATORVM CONCORDIA.

Infra, *Pacis*, credo, simulacrum, porrecto ferto viridi, scuto inscripta verba habet:

PACEM BVDA TIBI REPOSCO.

Huius effigiei dextram, vites suspensæ occupant, cum inscriptione:

A FRVCTV VINI, MVLTIPlicATI SVNT
FIDELIS IN PACE.

Ad sinistram, segetes visuntur, habentque hunc titulum:

DOMINVS PASCIT FINES TVOS PACE,
ET ADIPE ERVMENTI SATIAT TE.

Horum omnium, verba sunt vniuersim:

METROPOLIS BVDA IN PACE FLOREAT.

Vt iam sileamus, totius imaginis ambitum, quam chronologis, circumscriptam accepimus. Post *Curiam*, in publicis ædibus censentur, ^{militares} ^{apothecæ} militares apothecæ, promptuaria, gubernatoris, iuxta & militum hospitia, *reliqua*. Nam, præscarum quidem ædium, quas incoluerunt, summi quique viri, vestigia tantum supersunt; sed hæc quoque, ^{præscaræ} ^{adæ} ^{incognitæ} incognita nostræ ætatis hominibus. Præcipuæ aliquando fuerunt *Omodiana*, *Gatiana*, *Országyana*, & *Bornemisziána*. Est hodieque, in *Lanionum* vico, rudus quoddam, domus, sicuti adparet, olim capax, & pro ingenio temporum, elegantis. Toti eius parietes, e secto sunt lapide educti, facile instaurandi, si essent vrbi, ad quam nunc pertinet, necessariæ impensæ. Rudus adtentius spectantibus, relatum est, *Tabularium Regni* fuisse olim, cum res Hungariæ, sub domesticis Regibus, florebat adhuc. Hodie, quod sciam, magnatū Hungaricorum nemo est, si *Esterházi* principem, *V. Capitulum*

tulum Strigoniense, & successores Battyarianos, excipias, qui isthic, domum colere, saltem possidere velit: quod vnde fiat, non est pro-num exillimare: nisi, aut regum absentiam esse credas, aut ciuico-tributorum necessitatem.

§. XIV.

Hucusque urbem, quam a situ superiorem vocant, spectauimus. Suburbia, ad perlustrandum superant. Tria horum sunt, ex positionis partim, partim ex incolarum habitu, denomi-nata. Præcipuum est, quod Hungaris, *Vizi-Város*, Germanis, *Wasser-Stadt* dicitur. nos *Hydropolim* adpellamus; latine, urbem aqua-ticam, siue flumentaneam, dixeris; eo quod a Danubio subluatur. Is enim, cum ad urbem accessit propius, laxius primo spatium, in-ter montis pedem, ripamque dextram, relinquit: mox, vbi proue-ctus est profundius, id in cuneum quasi arctat, vixque, ad arcis ra-dices, tantum relinquit intercapedinis, quantum duabus quadrigis, mutuo occurrentibus, sufficiat. Hæc ora, muro, a monte, ad flu-men vsque deducto, concluditur, qui haud longe a porta suburbii inferiore, in validum propugnaculum desinit. Fuit, & ab occasu, muro, iussu *Solymani*, opera autem *Arslanis* præfecti, ad modum mœnium, mutis præcinctum suburbium; sed quos, repetitæ toties obsidiones, partem maximam deraferunt. His ergo spatiis conclusa *Hy-dropolis* est, habetque plures hic, pauciores alibi, ædium ordines, vicis passim, at inæqualiter intermissis. Platearum illa præcipua est, quæ a superiore porta, ad inferiorem, tractu perpetuo, decurrit, & urbem, bipartito herciscitur. Duo huic fora, qua capacior est, insunt: quorum superius, *Claustro Dalmatino PP. Franciscanorum*, & domo *Parochiali*, nunc a *PP. Societatis IESV*, inhabitata, concluditur, patetque in Danubium, dum iterum cœrceatur ædibus ciuicis. Co-LOSSIUS heic cernitur, *Immaculatæ VIRGINI* positus, cum memorabili hac inscriptione:

TE SIGNANT ANGELI; PRAEFIGVRAVIT SCRIPTURA IN RVBO INCOM-
BYSTO; ESTHER; THRONO SALOMONIS; ARCA NOAE; ET NVBILA
ELIAE; CONCLVSERVNT APOSTOLI IN VITA B. V. TENENT SANCTI
PATRES, CVM ANSELMO; SVADET SANA RATIO, APVD S. THOMAM;
DOCENT SCHOLAE, CVM SCOTO; BYDA, SINGVLIS ANNIS IVRAT;
VIRGO EST IMMACVLATA.

Ingens præterea instrumenti bellici, machinarum puta & globorum, adparatus, isthic est, quem miles, perpetuis excubiis, obseruat. Hinc digressis, forum inferius se aperit, quod a *Danubio* quidem, macellarum series, lateribus reliquis, mercatoriae tabernæ partim, partim domus vulgares, circumcludunt. Id, in tota urbis structura desideraueris, quod ædes, sic satis solidæ, sed partem tamen maxi-

domus:

mam,

nam, humiles, non sint recto tramite, sed sparsim alibi, alibi vero laxatis quasi vicorum marginibus, inædificatæ. quod inde factum aiunt, quia, neque eodem tempore, sed neque ad regulam excitabantur, post urbem captam, domus; verum, furrigebantur, prouti quemque ruinarum opportunitas, inuitabat. Gemina urbi ædes sacra est; altera, *S. Francisci*, cui *PP. Franciscani*, Prouinciæ Dalmaticæ, quos *Turce* ipsi, huic admissos tolerauerunt, adsident: altera, *S. Elisabetha*, quam obtinent *PP. Capucini*. Vtraque, opus nouum est, & pro Ordinum ritu, excitatum: posterior maxime, quæ, *Georgii Szétséni*, Archiepiscopi Strigoniensis beneficio, a *PP. Iesuitis*, repræsen-tato ære, cocmta, surrexit. Inest & parochiali domui, cuius in su-periore foro meminimus, sacellum, in quo sacris operabantur *PP. So-cietatis IESV*, dum isthic degerent. Præcipua olim celebritas, templo *Dominicanorum* fuit, de quo supra, *FERRARIO* præcunte, diximus. Erat id *S. Nicolao* dedicatum, fœdeque habitum a *Turcis*, dum in rudus abiret: tametsi id in veteri *Buda*, meliori iure possis quærere. Nos certe, illic, & templi, & Ordinis habuimus (v.) mentionem. Iam, annonaria domus superior isthic sedet. Gemina ea est, quarum alte-ra, accliuatatem montis; altera, ripam Danubii tenet: æquali vtraque capacitate, atque eo positu, vt viam inter se regiam, per *Hydropolim* ducentem, transmittat. In urbis, & domuum harum diuortio, prope semitam, lapis Romanus, cum inscriptione exstat:

A. VETTIVS
A. L. CRESCENS
ANN. L. HIC. S. E.
VITTI A. A. L. NOME.
PATRONO ET
SVO.
T. N. P.

Neque silendum est, aquilonari, domus annonariæ inferioris, latere, ædiculam esse, in qua caput est ductuum, per quos, in urbem superio-rem, aquæ Danubiales protruduntur.

§. XV.

Suburbiorum alterum, infra arcem, & *Hydropolim* decurrit: loco, partim erecto & accliuo, partim depresso, pro interualli natu-
ra, quod hinc arx, illinc mons *S. Gerhards*, ad vallis modum, includunt. Vulgo, *Thaban* dicunt, *Raitzen-Stadt*, id est *Rasciano-polim*, Germani, quod ab ea gente primitus positum, cultumque fue-rit. Maximus ei pone *Danubium*, idemque præcipuus vicus est, antea lignis fere tabernis infestus, nunc iam cultior. Reliquum ædium, varie, per montis vtriusque latera, spargitur, capaciorè in annos singulos ambi-

LII 3

ru:

(v.) Supra, in Vetere Buda, §. XI. p. 179.

ædes sacra:

Templi
Domi-
canorum
vestigium,
domus an-
nonaria,
infecta.Rasciano-
polis, sub-
urbiorum
alterumvici adis-
cia:

tu; ea quoque parte, qua via est, inter *Danubium*, & *S. Gerhardi* rupem. Arctus est trames, & qui, impendentibus petris, horrescit; iam tamen longa serie casis inædificatus. Olim, *Rascianos* tantum alebat suburbium; nunc, augescente incolarum numero, *Slavos* quoque, & *Germanos* admittit. Templum ei geminum: *Catholicorum* alterum; *Rascianorum* alterum, qui adhuc, ritu Græco, sacris vacant. Multi horum mercatu; neque plane nulli, opificiis; agrario & vineatico cultu, rem faciunt plurimi. In primis, merces *Turcicas*, per fora circumuehunt, vestes item & lacernas, quo quidem genere mercaturæ, magnas non raro diuitias corradunt. Suburbiorum vltimum superest, illud nimirum, quod inter *Hydroopolim*, & *Budam veterem*, versus occidentem, ad viam regiam, interiacet. Noua est colonia, quam ideo Germani, *Neustift* vocant, nos forte *Neapolim* dixerimus. Rarioribus primum ædiculis, prope ad thermas *Caesarianas*, coepit excoli; dum crescente conuenarum numero, in duos vicos, capaci foro interfecto, propagaretur. Aedificant hi, sic satis culte, & pro fortunarum ratione, alii solidius aliis: plerique tamen e laterculo, ad solis æstum durato. Iam ad eum modum diffusum est suburbium, vix tercentis passibus, a vetere *Buda*, discriminetur. Occidentali fori angulo, templum magistratus *Budenses*, communibus studiis, atque impensa, instruxerunt, *B. V. Mariae Auxiliatrici*, dedicatum: quod ideo, *Maria Hülf*, vocant Germani. eius Parochiam *P. Augustiniani*, de larga manica, administrant. Eodem foro, columna *S. Trinitatis*, scito facta opere, adsurgit. Ad incolas, quod adinet, varii sunt generis; at *Germani* plurimi, quibus victus ratio omnis, aut re *russica* constat, aut opificiis. Neque defunt, qui tabernas mercatorias, tenues quidem, sed non plane inanes, aperiant. Situs loci, amoenus est, & hinc, ex montis *S. Iosephi*, vine-tis confiti; illinc, præterlabentis *Danubii*, *Insula* item *Leporum*, obtutu, eximie iucundus.

§. XVI.

THERMÆ superant, ingens naturæ, quod in *Budenses* profundit, beneficium. Passim eæ, in territorio *Budensi* (x.) scaturiunt; sed, quinque tantum locis, commoditate ad lauandum idonea, sunt instructæ; *Turcarum* fere opere, qui, quanti lauacra istiusmodi faciant, quamque habeant, pure ac reuerenter, superuacuum fuerit dicere. Thermas potius ipsas, eo recensamus ordine, quo eas descripsit *LAVRENTIUS STOCKER* (y.) *Budensium*, dum viueret, physicus, & doctus, & felix, nostrique perquam studiosus. Sequemur vero, cum laudato scriptore, situum rationem. *Lauacrum* primum, ad pedem australem montis *S. Gerhardi*, triginta circiter passibus, a latu-

Therma
Budenses:LAVRENTIUS
STOCKER
habitus:

(x.) Haud pridem, noua recepta scaturigo est, niter ciuicum, & *S. GERHARDI* lauacrum illud, ad montis cognomi-

nis pedem, feruens non minus, quam vher.

(y.) *Thermographia Budensi*, Cap. ix. p. 52.

miis, positum est: quod ideo, *Therma S. Gerhardi*, seu *Gerhardi-Bad*, vulgus, *Plocks-Bad*, adpellat. Hic ædes surgunt, quarum medio, labrum est commune, in quo promiscue lauatur, a tenuioris sortis hominibus. Ita vero factum est, vt toto circum ambitu, gradus habeat lapideos, pavementum item, egregie tessellatum. Inducuntur huc aquæ calidæ, canali saxeo, ab occidente, per terram pinguem & argillaceam, coloris ex fusco carulei, decurrentes. Pone canalem, vbi aquam stagnare contingit, *lanugines albae*, in aquæ medio innatantes, hiberno potissimum tempore, cernuntur. Illinc, ianua patet ad thermas, nuper inuentas, quarum aqua, ex rupe, ad basium caua, salit, deponitque ad ipsam scaturiginis caput, lutum nigrum, his in primis salubre, qui artuum dolore, atque viceribus adliguntur. Iucundum est fontis spectaculum, quando calidæ, crystallinarum bullarum instar, suauis susurro prorumpunt. Sunt caloris intensi satis. E regione, maioris lauacri, dextro intrautibus latere, aliud, annis superioribus solum constructum est, suis partim aquis, caloris, quam sunt ceteræ, remissioris, partim, dictæ nunc scaturiginis, exundans. Addita sunt lauantium commodo, apodyteria; quin & diuersoriam tabernam, haud procul a thermis, in meridiem recedentem, excitatam videas, qua lotum venientes accipiantur. Ad thermarum emissaria, fœces subsidunt, nigrae & copiosæ: quod forte occasionem dedit *Hungariis*, vt eas *Sáros-Fördö*, hoc est; *canesæ thermas*, vocitarent.

calida S.
Gerhardi

§. XVII.

Hinc, pone montis radicem, aduerso flumine, ad quingentos circiter passus, versus urbem, in aquilonem progressis, alia se offerunt *Thermae*, quas *Burger-Bad*, siue *ciuicas*, *Hungari*, *Rudas-Fördö*, adpellant. Habent eæ scaturiginem, triginta admodum passus, a balinei ædificio disiunctam, in capaci antro quodam, ad fornicis modum, in petra cauato. Duplici hinc, vbereque riuo, emanant calidæ. Qua segnius labuntur, crusta iis alba, bene densa, supernatat, *calcisformis* ea, sed insipida, neque odora; similis illi, quæ in *euaporatione lixiui calcis viuae*, in superficie concrelescere solet. Transitis dein aquæ ductibus, in labra influunt; quorum octo heic sunt; primum, prope cisternam, seu calcellum aquarum, quod *Rundl-Bad*, dicunt; secundum, *grande* vocant, ob laxitatem, quodque est commune lauantium multitudini; tertium *medium*, a situ nominant, habetque adstructum apodyterium. Ultra, quartum est labrum *nouum*, remissioris, quam sunt cetera, caloris, & quodam modo, blandientis cuticulæ; *Sprengerianum*, item, & ab exstructo, haud procul hospitali, *Xenodochiale*, reliqua. Magnum illud lauacrum, angusto est fornice, & ex illapsu aquarum, perquam sonoro. Videas, ita, non raro, oppleri a lauantibus, in primis diebus festis, vt, vix superet, ad subsistendum locus. anates, anseresque, innatare lacui dices.

Therma
ciuicas

§. XVIII.

§. XVIII.

Rasciano-
rum.

Altius, & versus arcem sinistrorsum, medio fere *Rascianorum* oppido, tertium balneum sedet, *Rascianum*, eam ob rem, nuncupatum. Scatent hæ quoque calidæ, ex montis *S. Gerhardi*, aquilonari pede, deriuanturque, pone imas eius radices, longa canalium serie, in aquaticum quoddam castellum, octo, plus minus, vinas profundum, & pro portione, latum. Hic, vbi collectæ sunt, pellicula alba, ad tactum molli, neque ea continenti, obducuntur. Nullus huic sapor notabilis. Asteribus instructis superne, mucus hærescit, niuis istar albus, sed insipidus, & expers odoris. Educuntur hinc thermæ, in sex labra: quorum duo, intranti ad sinistram, *Novæ*; atque pergenti porro, duo alia, dextro & sinistro latere posita, *Turcica*, adpellant. Inde labrum magnum, siue commune est, nulli non hominum generi, patens: atque vltra id, *Das letzte Bad*, siue balneum extremum. Sunt thermæ hæ, blandi caloris, & non nihil lapidescentes; vnde, circa labra, in materiam concresecunt thophaceam, quæ dein, sensim densatur, dum possit duritie lapidem æmulari. Vulgus, sed peperam, *Sarcosin*, siue, *Das wilde Fleisch*, tophum cum vocitat. Confer-tim, & has, frequentari videas, non a plebeia solum multitudine, sed ab his etiam, quibus cuticula in primis curæ est. vt sint omnino, quibus *Rascianorum* hæ calidæ, præ ceteris se adprobent.

§. XIX.

Xenodo-
chiales.

Est, & aquatica vrbi, suum balneum, a *Hassam Bassa*, Budæ olim præfecto, nitide instructum. Varia huic nomina. Nam, ab hydropoli quidem, *Balneum vrbi aquatica*, a possessore quodam, *Sprengerianum*; & ab adstructo hospitali, *Xenodochiale* dicitur. Thermæ ipsæ, e gemino fonte scatent: quorum propiorem, hortus *Rittersbaimbianus* habet; remotiorem, pes montis *S. Iosephi*, proxime ad molendinum Cæsareum. De harum ductibus, ad hunc modum laudatus *STOCKER (z.)*: *A Thermis Cæsareis, ad horti vsque prædicti terminum, vbi altera pars ex puteo affusa, per canales ligneos deuoluitur; hinc aqua ductum pedalis altitudinis & latitudinis, lapidibus constructum subeunt, per quem, ad tercentos, præter propter passus, ad locum balnei, calore sat intenso persistente, tempore præsertim æstiuo, defertur: vbi exantillato tandem itinere, in labrum emicat, & vndique rebus, parietibus & saxis, quæ in decursu lambere contigit, tophos lapideos, ad modum prioris, maiori tamen copia affigendo, petrificationis suæ præbet specimina. quæ materia lapidescens, ita fortiter, dictis locis, adhaeret, vt vi diuelli vix queat, nec vllibi concresecit aut accrescit, nisi aeri libero exposita. Antequam autem ad labra deuoluitur aqua, castellum aquarum, affabre factum subit, ex quo demum circumiacentia, optima bal-*

(z.) Loco cit. p. 55. §. 14.

balneantibus commoditate instructa labra, distrabitur. Ita se ductus habent. Fons ipse, profundo, fornicatoque puteo, similis, tantum edit aquarum, quantum, per omnia lauacra, perenne sufficit. Quatuor horum sunt; primum, magnum illud est, siue balneæ communes; alteram, huic dextrorsum adsedit, commoditatis eximiae, cum apodyterio. A tergo, magni illius folii, duo iterum sunt labra; ad dextram hinc, illinc ad sinistram. Et his quidem opportunitatibus, Xenodochiales balneæ constant.

§. XX.

CAESAREAS nunc videamus. Adstræ sunt, monti *S. Iosephi*, mirabili sane fonte scaturientes. *In via regia media, decem circiter passus, a parietibus adificii, cisterna est, terra cooperta, inquit STOCKERVS, vbi venam fontis quaesiturus, terram lapidesque effodere iusseram: quibus egestis, castellum amplum, aqua, vix non seruente, vt ouis coquendis par esse videretur, supra medietatem repletum, offendimus; lapidum vero, operimenti vices gerentium superficiem, basin versus, floribus sulphuris pulcherrimis, vt arte vix elegantiores sublimari viderim, hinc & crystallis pellucidis, figura irregularis, potissimum tamen cubica, & oblonga sexangularis, obductum, magna cum admiratione deprehendimus. Hæc ille, de aquarum cisterna. Educuntur hinc per meatus, e lapide lecto, affabre factos, in labra nouem, & quidem, in plebcium illud, siue commune, & octo minora. quorum quatuor, arcem intranti, ad sinistram se obiciunt; duæ, grandi illi præ-sident, totidemque post tergum sunt. In his sex, apodyteria habent instructa, lauantibus perquam commoda. Iam, & sacellum, S. IOHANNI NEPOMYCENO sacrum, inadificatam videas. Tria *STOCKERVS*, de his thermis obseruauit: quod tophus saxeus, maiori, quam reliquis, copia heic incresecat; illatum argentum, colore tingatur aureo; denique, quod ad emissaria aquarum, foccos nigra deponantur, quæ leuiscule commotæ, foctorem exhalent, obtulis etiam naribus, molestum & intolerabilem.*

§. XXI.

Hæc, præcunte *STOCKERO*, de *Thermis Budensibus*, non potui-mus non breuiter adtexere. Nam, vt pro rei, & copia, & necessitate, heic de iis edisseramus, non quadrat cum instituti, quam tenemus, ratione: quippe qui, eam diligentiam, ei loco seruatum volumus, vbi (a.) consulta opera, de *Hungaria Thermis* omnibus agetur. Dicendum interim est, de piscina, thermis con-fini; idque verbis *STOCKERI (b.)* nostri; vt eo magis sibi constet

TOM. III.

M m m

nar-

a.) Parte Operis Physica, destinata, ad Historiam Hungariae Naturalem explicandam.

b.) Eodem loco, p. 56. §. 17. seq. De eadem fonte piscina, GEORGIVS WERNHARTVS, loco mox citando, p. 596. fine 1

De singulis
alios sa-
sius?piscina mi-
rabili na-
tura.

narratio: Prope hoc adificium, scribit ille, est quadam piscina, aqua pariter minerali, sed ob stagnationem non nihil frigida repleta, aut accessu aquae dulcis, ex qua, ne aquae thermales calore suo excessivo balneantibus negotium facerent, per duplicatos ibi canales, pro contemperatione, ad labra derivatur. De hac piscina id notabile est, quod relaxatis aqua repagulis, seu aqua, ad siccitatem detracta, modo dictarum thermarum scaturigo sufflaminetur, ita, ut nec gutta quidem ad eas perveniat. quod idem, etiam cetera, quarum plures sunt inibi, hinc inde erumpentes scaturigines, experiuntur, ut § illa, in horto superius memorato; unde probabile est, omnes eiusdem esse originis: reimpleta autem, non multum ultra medietatem piscina, redeunt omnes scaturigines, pristinasque subeunt vices. Cuius mirabilis effectus rationem, diu, summa mentis prurigine desiderabam, nulla tamen rerum, locorum, circumstantiarum, meatuumque subterrancorum indagine, mihi eam adinvenire, possibile esse videbatur; usque dum tandem, in monte, prope piscinam obambulans, lapidum, terrarum, aliarumque rerum constitutionem pensitabam, ac antrum, per rupem profunde penetrans, inopinate offendissem: in quod lapidem proieceram, quem applicatis auribus, in aquam decidisse, distincto perceperam. Maiori itaque solertia inquirere coepi, ubi validem, funiculo appensam demiseram, ut profunditatem explorarem, extractum, deinde plumbum, funiculo alligatum, valde calidum, ac una cum fune, aquam profunde penetrasse observaram. quod ansam mihi dederat, sequentis coniectura: nimirum; magnam montis partem aquas minerales, utero suo claudere, ex quo per cavernam ad montis radicem, L. forsan vlnis profundam, detracta piscina sarcina, aqua profluentis impetum remorante, magno gurgite prorumpunt; unde, in montis cavitare collecta, ob liberum inde nactum profluuium, necessario subsident; ductus vero ad scaturigines hiantes, cum editiori loco siti sint, aqua depressa eo pertingere, ingemque suum, ad thermas, more solito, dare detubitum nequeunt. Hanc opinionem, confirmare videtur, scaturiginis revocatio, utpote, qua non nisi, multum ultra medietatem repleta piscina, succedere deprehensa est; non vano nimirum argumento aquarum, in antris petra contentarum, liberi exitus, ab accumbentibus in piscina aquis, preclusi, indeque in montis caverna stagnantium intumescencia, qua mediante, successive accrescentes, praedictos sublimiori loco positos, aqua ductus, ad thermas protensos assequuntur, hique denuo, per eosdem, ad praefixa labra, indefessos voluunt latices; quod, pauciori aqua in piscina restagnante, utpote, tantum irruentium aquarum impetum coercendi, impotente, fieri non potuisset. Neque scaturigines istas thermales, ex ipsa piscina ortum suum ducere, exinde constat, quod in ea congesta aqua, licet aquae minerales ab origine calidae, stagnatione tamen diuturna, aut

ac-
ne: In thermis, supra eos fontes, quibus ad lavacra usum est, sunt piscina calida, in quibus nascuntur & vivunt pisces, qui in frigidam translati, moriuntur. Aquae, insunt omnino hodie-

que pisces, saporis prohi, sed ea regione, qua aqua prorumpit frigidior. Adde Byszeckivm, Legar. Turcicar, Epistola t. p. m. 18. edit. Vechelanon.

accessu frigidarum infrigidata, contineantur, ita quidem, ut pro contemperatione superius memorata, per proprios, ad thermas deducantur canales: insuper, undique conclusa sunt muralibus, ut ad latera nullibi pateat meatus. Nolumus haec neglexisse: quia, & nobis res visa est mirabilis, cum piscinae naturam, ante haec tria lustra, rimaremur. Iam & GEORGIVM WERNHERVM (c.), audiamus oportet, quod quaedam habet, non adnotata a STOCCKERO; sed an etiam undique consentanea rebus? nescio. Calidarum, pro Hungariae portione, vix vlla regio plures aut salubriores habet. Unde vero potius ordiar, quam ab ipsa vrbe Buda, quam Hungariae reges, ob loci situm, opportunitatem & amoenitatem, merito pro regia habuerunt. Hic, propter ipsam Danubii ripam, calidae sunt multae, inter quas differentia maior est, quam pro loci discrimine. Quaedam enim, non modo tolerabili, sed ita iucundo sunt calore, ut ad hominum lavacra, naturae benignitate singulari, datae esse videantur. Huius generis sunt, infra arcem regiam aliae, regiae vocatae, vel propter vicinam regiam, vel, quia regio opere ornatae & conclusae, vel, quia in his reges lavare consueverunt: aliae communes, quibus saxum, ceu natiuus fornix impendet, quas Turca, post occupatam Budam, latius excavata rupe, ampliores reddiderunt, ceterisque praefere dicuntur. At, quae supra Budam sunt, quarum aliae, item regiae, aliae hospitales, a vicino prothodochio, dictae fuerunt, balneis sunt inutiles, nisi refrigerentur. Sic enim quaedam calent, vel feruent potius, ut in eas missum ovum, non minus cito, quam ad luculentum ignem, elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cuius ibi fons, calidis ita contiguus est, ut, qui haustum veniunt duabus vrinis, eodem in vestigio, altera calidam, altera frigidam haurire possint. Ibidem est sub dio, fons calidarum ceteris amplior, quem purgatorium vocauerunt, ea nimirum ratione, quod quemadmodum proditum est, in purgatorio, poenas nocentium, pro nozarum modo, alias acerbiores, alias mitiores esse, ita, quaedam insunt aquae hoc in fonte discrimina. Nam, qua in eum, a Danubii ripa, aditus est, subfrigida primum, mox tepida, & quo in eam penetraris altius, hoc magis calet. In recessu vero interiore, tam est calida, ut ferri non possit. Est autem is calor, haud dubie, aquae huius proprius. Nam alia, quae dixi, temperamenta, verisimile est a Danubio accedere, qui crepidinem huius fontis lambit, & cum vel modice excrescit, totum inundat, neque tamen ita resinguit, quin caeat. Quin intra ipsam ripam, qua Danubio perrennis cursus est, calidae ebulliunt, ubi qui altius mergi volunt, lavare consueverunt: reliqua.

M m m 2

§ XXII.

c.) De Admiranda Hungariae Aquae, post initia, p. m. 595, 13. in collectione Scri-

ptorum Rerum Hung. IACOBI BONCARSII, Galliae R. ad Germ. Princ. legati.

§. XXII.

De Ther-
marum ve-
teribus edi-
ficiis
Wernhe-
ri locus:

AD Thermarum denique ædificia, quod adinet, pleraque omnia, si recentiora quædam excipias, *Turcarum* sunt opus. Meminit eius barbarorum pietatis, idem WERNHERVS. *Vtrasque*, superiores, & inferiores thermas, *Turca*, quibus omnia, vastare libido est, non modo non corruerunt, sed etiam cultiores, ac per speciem religionis, quasi augustiores, reddiderunt. Nam Bassa Mahometh, quem tyrannus victor, Budæ capta, ac reliquis Hungariæ, a se debellata, partibus imposuit; apud *utrasque*, Deruisis domicilia, seu cænobia extrui curauit; sacello etiam apud superiores vicino, qui ante vitibus confitus fuit, posito, consecrauit locum, memoria cuiusdam eius ordinis: quem, dum viueret, ceu numen quoddam venerati sunt *Turca*, & nunc, mortuum, illoque loco conditum, religiose colunt. Describit postea *Deruisarum* impietatem, & qua sint *Turca*, erga aquas religione, cum vniuersim omnes tum calidas præcipue. Delectantur, in vniuersum lotionibus, pergit ille, & balneis *Turca*, eoque præcipuum apud ipsos pietatis opus est, instituere & condere balnea publica; nec id tantum viuentibus gloriosum esse, sed etiam vita sanctis salutare putant. Hac ratione is, qui nunc rerum potitur Solymanus, tum alibi, tum Budæ, in ædibus, qua quondam fuerunt Archiepiscopi Colocensis, amplissimum balneum, pro sua, suorumque salute fieri curauit: in quod e Danubio, (d.) per canales subterraneos, aqua, in multam altitudinem, ut est Budæ, ad Danubium fitus, ducitur. Ipsum balneum, intus incrustatum & stratum est monumentis marmoreis, qua antea in templis fuisse posita, imaginibus tamen, si qua insculpta fuerant, resectis, & toto opere perpolito. Eadem gloria, quaesita est ei, quem diximus, Bassa Mahometh, qui thermas Budenses, ex ædificatis illis *Deruisarum* cænobiis, conditorioque eius, quem diximus, illustriores reddere studuit. Hic vero videre est, mirabilem rerum commutationem. Nam, qua loca Hungaris, incolamur & florente Budæ, voluptatis domicilia fuerunt, ea religiose ornarunt *Turca*; flagitiose contra prophanantes, qua antea habita sunt pro sacrosanctis. Hactenus de *Thermis Budensibus*. Vltimum est, ut *Præcepta*, siue leges lauantium, versibus perscriptas vetustis, subnectamus; non ut faciamus medicinam: sed ut caueamus, ne, non monitum dimittamus lectorem:

Hic, quicumque cupis medico te fonte lauari,
Ut tibi proficiat, disticha parua lege.

I. Quo melius valeas, leges seruare medentum,
Non tibi purpurei desit arena Tagi (e.)

II. Ante

- d.) Ergo, ne *Turca* quidem, subterraneos aquæ ductus, machinis hydraulicis, impulsos, ignorabant, dum urbem colerent.
e.) Aureos namos vult, ex aurea, quam

vehit Tagus, Hispaniæ fluius, arena fieri solitos: ne scilicet, larga desint fostra, & impensa alia: habet enim vero, medendi vim aurum, si non agro, saltem medico.

- II. Ante tuum corpus præscripto tempore purges,
Quam Tu paonias ingrediaris aquas.
III. Nec primum veniens totis utere diebus
Omni sed fugiens hora sit aucta dies.
IV. Non nimium caleas, nec te mala frigora ledant,
Tempore membra laus, conueniente tibi.
V. Dumque salutifera feruens immergeris vnda,
Pertingant fauces nulla alimenta tuas.
VI. Inualidum certa corpus ratione gubernes,
Quia etiam morbi, maxima cura tui.
VII. Lotus ubi egrederis, calido velamine cinge,
Non frigus noceat, transeat aura poros.
VIII. Cinctus ubi exieris madeas sudore fluenti,
Et dormire queas, tegmina plura cape.
IX. Membra leuans, tenui sudorem abstergito tela,
Ire lubet: modice pocula sume, cibos.
X. Qua natura cibi, & quantum meminisse iuuat: qua
Thermarum vires impedisse solent.
XI. Nec prius ingrediare nisi hunc concoxeris ante,
Fercula sumta tibi, nulla pericla serant.
XII. Et Venus enervat corpus, mentisque vigorem
Opprimit: admonitus, plurima damna caue!

§. XXIII.

AGri nunc, & circumlitarum opportunitatum, habenda est ratio. In his, *Danubium* iure optimo censueris, qui vrbi adlatus, cum plures, supra eam, molitus fuisset insulas, in vastum coit alueum, quasi metropolcos veneraturus maiestatem; iterumque finditur, insulam *Csepel*, gemino latere, circumfundens. Non est opus, de commoditate amnis dicere: quippe, de qua apud omnes constat. Traicitur æstate, ponte volatili, qualem ad *Pisonium* vidimus, sed capaciore eo, & substructionis robustioris. Ita vero, de rudente suspensus, huc illucue com meat, ut *Pestum* committat *Budæ*. Nam, cum citeriore ripa soluit, aquarum propulsus mole, cum retentante reſte, secundo amne defluere nequeat, sine velis, remo admodum gemino gubernante, ante adpellitur *Pestum*, quam id reſte possis. Ergo, communes *Pestensibus*, cum *Budensi* vrbe, sunt ex nauto reditus. Alioquin, si rigidior bruma inciderit, coit gela, præstatque glaciale traiectionem. quod cum *Lusitania* regis filius, salutandi SIGISMUNDI regis cupiditate, *Budam* excitus, cerneret, ad patrem, tamquam rem prodigii similem, & multos *Hispaniæ* regulos, perſcripſiſſe, BONFINIVS (f.) memorat. Quantumuis autem, magna est *Budensibus* utilitati, *Danubius*, non tamen carent molestiis, quas exundans amnis, & crebras infert, &

M m m 3 damno-

f.) Decade III. Lib. III. p. 400, 32. Vide, Tomi huius p. 204.

Oppor-
tates cir-
cumſita, in
hu Danu-
bius:

damnosas. In primis, noxiæ fuerunt eluiones, annorum MDCIXCIV. & MDCCXII. atque proxime, anni MDCCXXXII. pridie Cal. Martii. &, qui nunc labitur, a. MDCCXXXVI. mense Iulio, quarum damna recensere superfedemus. Ager, vrbi admensus, montosior est, quam planior. Itaque, circumlidetur *Buda* non tam agrano rure, quam iugis, altioribus hic, decliuioribus alibi. quod, quantum ad vrbis amœnitatem adineat, non facile verbis expresseris. A meridie, mons est *S. Gerhardi*, Hungaris *Szent Gellÿer-Hegy*, Germanis, a munitione quadam, *Plocksberg* dictus. Illud ei nominis, *Gerhardi* Episcopi *Csanadiensis*, martyrium dedit, relati postea in duorum numero: qua de re diximus alibi (g.). *Gerhardinum*, alter contingit, cui, a cuspidato vertice, Germani, nomen *Spitzberg*, indiderunt. Vterque, hic illo humilior, vallem vrbis *Rasciana*, ab oriente, in occidentem reflexam, incuruo dorso, circumit. Ultra, spatiis intermissis, *Aquilarum*, & *Albanus* mons est: atque inter hos, iterum vallis, quam cuspidatus mons cœpit deprimere, in occasum porrecta, aliis denuo montibus succedit. Horum primus, *Suenicus* est, *Schwabenberg*, a Suenorum militari statione, sic dictus, & *Albano* illi adfinis. Hinc, *Iohanneus*, priori multo celsior, in it. latissimi is sane prospectus, & prisce alicuius munitionis rudibus, hodieque insignitus. Tum, celebris *S. Pauli*, vallis aperitur, ab *Iohanneo* monte, in septentrionem deprella. Variè his interseruntur *S. Urbani*, *S. Martini*, & *S. Petri* monticuli, dum reclinantibus, versus *Budam Veterem*, dorsis, *S. Matthie* ac proxime ad Danubium, mons *S. Iosephi*, & reducto, urbem versus situ, *S. Rochii*; circuitum claudant. Vitiferi hi sunt omnes, & qua vitis definit, siluosi partim, partim caluitie insignes. Quo vero sunt humiliores, eo benignius alunt, non *Bacchum* modo, sed *Cererem* quoque. Mons *Iosephi*, eo præcipue memorandus est, quod *Caluarie* vicem præstet, habeatque, ab vrbe, huc deducens iter, stationibus solitis, definitum: quarum singulæ, aliquam *Passionis Dominica* partem, positis simulacris, referunt. Propius ad urbem, villæ sunt, urbanae, fructuarie, rusticæ: connexa his viridaria & horti; atque passim, facella, aut llatuæ. Solum vbique, ex ingenio suo, fertile: pulchrum hic, rufum alibi, aut cinereum: iterumque, vel tenax, & glutinosum, vel molle, ac resolutum; vbique tamen, omnis generis feminum, egregie patiens.

§. XXIV.

Vinum Budense, quod montes hi gignunt, partem maximam, rubellum est, atque exoticorum æmulum. Præcipua ei gloria, quem mons *Matthie*, *Cuicus*, & *Aquilarum*, annis opportunioribus, effundunt. Quæ per decliua monti *S. Gerhardi*

agri ingenium:

montium situs & nominis:

vineæ, qua sine optima:

villæ, ad urbem proximæ:

Vini Budensis commendatio:

g.) In vita S. GERHARDI, dum catalogum Episcoporum *Csanadiensium* recensemus. Vide BONFINIUM, Dec. II.

Lib. II. p. 196. 2. atque supra, ad montis mentionem, Tomi huius, Partis Gea. Memb. I. §. II. p. 4. seq.

di nascuntur, præcocia sunt; tarda, quæ per vallis *S. Pauli*, latera educuntur. quod his quidem citæ, post meridiem umbræ; illis, aquæ subtus minerales, ac feruentes, conciliant. Gustus grati sunt singula, & ad ciendam cibi adpetentiam, maxime idonea; sed eo tamen infelicia, quod accolarum fraude, rubea sua vina, *Budensium* nomine venditantium, interpolentur. Imponunt illi peregrinis, amantibusque vini Budensis, non raro, dum pro vino, vappam obtrudunt suam, qualicumque vicinitatis contagio freti. Auerruncandæ fraudi, operam impenderunt magistratus, vt dolia impostorum, signo, vrbi, a rege, benignissime attributo, inurantur. quod quidem monitum, valiturum credimus, ad refellendam dolum, & vrbi noxium, & mercatoribus. Sed, albulum Budense, minus est probum, ob calcem vberius admixtam. Varia eius sunt indicia: nam, neque resinguit sitim, prandis coenisque concitatam, & cum forte profunditur, tantum calcis, vbi inaruit, generat, vt tenui sale, notata vestigia illa crederes. Haud tamen insoles hæc omnium est. Sequuntur vinctorum naturam, prout ea, calcinosa, sulphureaue sunt magis. Ergo, sunt, quibus albulum *Budense*, & gullu adridet, & probatur efficacitate, in primis, nobilioribus promontoriis collectum. A rerum peritis audiuimus, MATTHIAM COVINUM, vt vineta Budensia illustriora redderet, *Burgundica*, & id genus vite alia, conseruisse colles huiates, fuisseque eius ætate, vini *Budensis*, secundam, a *Sirmiensi*, gloriam. quam demum, soluta in luxum, & segnitiam, *Wladislai Dobze* temporibus, *Buda*, sua culpa detriuerit, perdidit, insueti vini *Turcæ*; iam vero, magno, & laboris, & sumtus impendio, reparant ciues. qua de re, loco magis opportuniore, id dicemus, quod erit satis.

§. XXV.

VRBE degressis, vrbs repetenda est iterum, vt, quemadmodum administraretur, paucis cognoscamus. Et de ciuibus quidem, dictum supra est. Magistratus, penes quos rei summa est, adhuc superant. In his, principem locum tenet CONSUL, qui bienniis singulis, aut e senatu deligitur, aut, si rem administravit cum laude, adfirmatur iterum. Delectus hi, siue instauratio magistratum, die *B. Georgii*, ex regis voluntate privilegioque fieri adsolet. Quem tunc elegere ciues, ritu solemnè, & facto, ad modum pompæ publicæ, in sacram ædem *B. V. MARIE*, deducunt; vbi, ad aram summam, ab ciuico antistite, qui est *S. IESV* Rector, verba syndico præcunte, in regis, & urbanae multitudinis fidem, sacramento adstringitur; reduciturque dein, honestissimo comitatu, ad ædes priuatas. Ad hunc modum inauguratus, rebus administrandis consilia admouet, manumque. Eius est, vrbi moderari; dirigere collegia mercatorum & opificum; adtendere œconomix, & non modo conseruare fortunas publicas, sed auertere etiam, modis, quam potest, honestissimis; cogere, statibus,

Matthias Covinus, vides Burgundicum, collit. Budensibus, fortis infuisse.

Vrbs administratio:

Consulis electio, & mania.

bus, senatum, proponere, ciuium, si quæ intercesserunt, lites; eas, æquo senatus suffragio, discutere; edicere, quæ aduenere, regis mandata; nihilque non facere, quod ad reipublicæ commoda, atque incrementa pertinere, siue ipse existimat, siue senatus. Nam, ut ex suo arbitrio, res omnes administret, alienum putatur, a publicæ utilitatis rationibus. Ergo, inconsulto senatu, & confessoribus, nihil, nisi quod est momentosum minus, facile suscipit.

§. XXVI.

*Prætoris
urbici, quæ
sunt officia.*

Alter a consule, PRÆTOR est urbicus: IUDICEM, leges patriæ vocant. Pari is solemnitate, quam de consule notauimus, sublegitur e viris ordinis senatorii, idemque iniurandum, in æde sacra, nupero, regis optimi iussu, dicit. Eius partium est: ius ciuibus dicere; excutere, suburbanorum controuersias; cauere mutuis iniuriis, & quæ sunt, ad conseruandum, veri ac recti, studium, necessaria. Quia enim, suburbanis singulis, *Hydropoli, Rasciano oppido, & Neapoli*, sui sunt iudices, attendendum ei est, ne quid ab iis fiat perperam. Tametsi vero, discutiant hi omnis generis lites, quin multant etiam fontes, pro re nata; haud tamen possunt grauiores controuersias disputare, nisi consilio, supremo urbis prætoris. Proinde, siquid rei difficultioris incidere, huc illi deferant, oportet. Is demum, quidquid ab his, vel aliis, siue de ære alieno, siue de iniuriis, minis, verberibus, cædibus, rapinis, furtis, adulteriis, fornicationibus, incestibus, & id genus facinoribus, perceperit; partim solus, ad quinquaginta vsque plagas, & certam æris summam; partim cum senatu reliquo, ad legum patriarum, & municipalium consuetudinem, præscriptumque, decernit. Quod vero arbitrata suo egit, deliberauitque, de eo, ad senatum & ipse refert, accipitque ab eo, exsequendorum negotiorum, rationes. Quin & id permissum litigantibus est, ut si grauatam causam suam putent, possint de ea referre ad senatum; sed procul omni litigandi cacoethie.


§. XXVII.

Senatus

Constat senatus, viris, vna cum Consule & Prætoris, duodecim, communi fere, liberarum regiarumque urbium instituto. Hos, ex ciuium, siue urbani sint, siue suburbani, primoribus, (b.) liberissimis, ciuicæ multitudinis, suffragiis, legere, in more positum est. Conueniunt, in curiam, stas, Luna, & Veneris, diebus; quin sæpius quoque, si quid accidat, dignum senatus consulto. Agunt vero, ex suo arbitrio, nihil, quam quod disputatu facile est, neque adti-

b.) Post urbem recuperatam, nec rogatis ciuibus, Senatores, a Magistratibus legebantur. Iam, lite com-

mota, delataque ad regem, res omnis, ab eius nunc arbitratu pendet.



adinet ad vniuersorum, vel reipublicæ totius, salutem: tunc enim, & populum oportet cogi. Adest senatui *Syndicus*, cum vicario nonnunquam & ipse senatorii vir ordinis. Non est opus eorum munia, nemini non cognita, percensere. Librorum publicorum, quæ *Protocolla* vocant, perscribendorum item, cum fide publica, senatus consultorum, quin & tabularii, seu archiui, cura eis præcipua est. Procurant litteraria, cum vicinis, commercia, & quidquid mittendum in litteras est, sollicitè exsequuntur. In eam rem, plurium scribarum, *Cancellis* vocant, adfunt ministeria. Terni sunt plerumque, nisi scriptiones confertæ, plures deponant. Præter hunc, de quo dicimus, Senatum, est Budensibus, peculiare quoddam *Dicasterium*; vulgo *Stadt-Gericht* adpellant. Sex eius sunt, ex ciuium optimatibus, consessores. Cocunt, singulis diebus, *Mercurii*, nisi is festus incidat, in peculiari vrbs senaculo, adfuntque pratori, vt, & auctoritas maior sit iudiciorum, & expeditio facilior. Inquiritur hic, in exstantiores accusationes, siue ex demum maioris, siue minoris causa criminis, instituantur. Re penitus cognita, anticipatur iudicium, in senatu demum recognoscendum adprobandumque. Est, & huic consessui, suus *Notarius*, eiusdem cum altero illo, dignitatis: quippe qui, simul cum adfessoribus reliquis, in partem suffragiorum venire solet, habetque eorum, quæ referuntur in litteras, sollicitam rationem.

*Syndicus**Scribarum ministeria**Dicasterium vrbs cam.*

§. XXVIII.

Sunt, & *Viginti quatuor viri*, qui senatum exteristem, vel quemadmodum leges patriæ, & regum diplomata vocant, *Communitatem selectam*, constituunt. Præcipua his, post magistratus reliquos, auctoritas est. Tametsi enim, non cocunt in senatum, præstitis, ex more, diebus; tamen, habent quod agant, quoties a magistratu, vbi consulendum in re graui est, conuocantur. Quin & hoc moris inualuit, vt ex opificum etiam tribubus, præcipui quique cogantur, si est quiddam, quod adtineat, ad salutem omnium. Reliqua, ad eundem fere modum sunt constituta, quem in vrbsibus reliquis, vidimus iam, & recognoscemus sæpius: vt non sit maximopere necessarium, in iis designandis elaborare. Occupatio ciuium triplex est: *vineatica*, *artium sellularium*, & *mercatura*. Quia enim, montosi circum situs, viti alendæ peropportuni sunt, vix vlla est ora, quam non consistam videas. Fit ea re, vt pauci sint, quibus non aliquis vinearum modus colatur, vberiore nunc, parciore iterum redditu. Tametsi enim est hoc in vinearum *Budensium* commendatione præcipuum, quod sint feraces vltra modum; accidit tamen non raro, partim brumæ, partim tempestatum iniuriis, vt fraudetur redditu colonus. Itaque, eadem hic, quas audiuitus sæpius, querelæ occinuntur: annos diuites minuere vino pretium, augere tenues; sed non semper esse, quibus redundant cellæ vinaria. Opificum res redditusque, tenuior li-

*Viginti quatuor viri**ciuium occupatio triplex**vineatica**mechanica*

mercato-
ria: cet sit, certior est tamen. Vix vllum genus desideraueris *Bude* amplius:
ita, artes etiam *mechanica* omnes, inualuerunt. Maxima foret, ad mer-
caturæ studia, *Budensibus*, opportunitas, nisi, & *Pestienfium* vicina, & *Ra-*
fciatorum irrequies, modum ei faceret. Interim, sunt & in his adfluentes.
Mores & victus rationes, difficile est designare, in tanta conuenarum
hominum varietate. Retinet quisque, regionis, qua editus est, indol-
lem; raroque duo tresue continenti serie, vicinos repereris, quibus
eadem viuendi essent instituta. Vestis, *Germanica* est plerisque omni-
bus, paucis *Hungarica*: quod & de lingua accipiendum. Hanc, qui
cupiunt addiscere, iis locis imbibunt, qui ab *Hungaris* incoluntur. Ita,
Buda, conditio præfens est. Ad vrbs dignitatem, *Administratio* quo-
que *Cameratis*, *Tricesima Regie*, & *publici censoris* stationes, referri
merentur: magno vrbs, & commodo, & ornamento, hic instituta.
Reliquum, quod deceret memorare, *Præsidium* esset *militare*, arci non
minus, quam vrbi, impositum; sed, cum eius rationes subinde, va-
rient, fiantque præterea omnia, ex legum *cafirensium* præscripto,
poterimus, iis recensendis, superfedere.

§. XXIX.

Vrbs, pri-
uilegia ve-
tera, deper-
dita: **R**estat, vt de priuilegijs vrbs, dicamus quidpiam. Et vetera qui-
dem illa, pridem interciderunt; siue id *Solymani* tyrannide
factum, post vrbs captam exultantque; siue *Zapolitanorum*
superuacua prouidentia, quos, demigrante *Isabella*, secum, pretio-
sissima hæc cimelia abstulisse, multi, haud sine ratione, adseuerant:
disperdita postea, cum res *Transiluanæ*, pessum iuere. Primum, qui
surgentem *Budam Nouam*, peculiari iure impertiuit, *BELAM IV.* fuisse
certum est: eius enim ætate, atque curis, condi coepisse vrbs, su-
pra diximus. Et superant omnino, aliarum *Liberarum Regiarumque*
Ciuitatum diplomata, quibus earum designantur priuilegia, ad *Buden-*
sium modum, ab eodem *BELA*, impertita. Quid? Quod *IOHANNES*
rex, eandem illam *BELAE*, erga *Budenses*, bonitatem, in tabulas suas
referre, nihil dubitavit: quæ, hodie dum exstant omnino, tametsi fru-
ctu vix alio, quam quod refricent, tristium illarum conuersionum,
memoriam. Maior eius diplomatis, & vis est, & vsus, quo vrbs
donauit *FERDINANDVS I.* Per scriptum est anno *MDXXVIII.* post *IOHANNEM*
æmulum, in *Poloniam* propulsatum. Id quoque, *BELAE IV.* tabulas,
& in his, præter fora quotidiana, simul ius *Stapule*, recognoscit.
Imierat postea, infelix vrbs periodus, selqui seculo duratura: dum ei
felicitas *LEOPOLDI M.* sinem faceret. Diximus, de eius, in vrbe repa-
randa, curis ac sollicitudine, superius. Ad hanc, in primis pertinere
existimauit, instaurandorum priuilegiorum benignitatem. Longius est
diploma, quam vt recitari possit. Noua id vrbs insignia sic describit:
Scutum est videlicet, summa quidem parte angulare, ab ima vero, in
forma luna, rotundum, violacei coloris, lacimis & lemniscis, hinc quidem
candi-

Bela IV.
primus di-
plomatæ do-
mauit Bu-
dam:

recognouit
idem Io-
hannes:

Ferdinan-
dus I.

Leopoldi
tabula:

designata
hi, noua
vrbs insi-
gnia:

candidarum, inde vero *rubrarum rosarum manipulis*, toga videlicet & sa-
go, fidelitatem ciuium, in regem & patriam, inuentibus, ab utroque
latere stipatum. Fundum eiusdem, solido, e quadratis lapidibus, muro
& propugnaculis, ex indeque eminentibus tribus turribus, portaque in bi-
fariam aperta & patente, cataraclisque, de more, intra ipsius porte introi-
tum, suspensis, & pendulis, occupantibus. Supra scutum porro, & præat-
tatas turres, aliud scutum rotundum, vera & gemina mentionati Regni nostri
Hungariæ insignia, præcipuos utpote quatuor stuuos, & ex viridi tricolle,
corona aurea, redimito, præminentem auream duplicem crucem conti-
nens, & caput, siue metropolim Regni, ipsam Ciuitatem *Budensem*, desi-
gnans: quemadmodum hæc omnia, in principio, siue capite, presentis di-
plomatis nostri benigni, pictoris edocta manu, & artificio, proprijs &
genuinis suis coloribus, clarius depicta, & ob oculos intuentium, luci-
dus posita esse conspiciuntur. De his hæctenus. Iuuat nunc, totam
hanc commentationem, ita finire, vt *BVDÆ*, tamquam rediituo *HVN-*
GARIAE ornamento, felicitatem comprecemur, coniunctam cum per-
petuitate.

Epilogus,
cum vobis
audire
conueniant.

SECTIO II.

DE

Arcibus Processus Pilisiensis.

PROOEMIUM.



BVDA digressis, ARCES iam
erunt adeundæ, quibus olim, cum
ad voluptarios secessus, tum ad re-
gionem defendendam, *Processus Pi-*
lisiensis, instructus fuit. *Budensis*
in his, post *LVDOVICI I.* fata, prin-
ceps habebatur: cuius, quia, & mo-
les connexa vrbi fuit, & fata per-
petuo eadem; non poteramus non, coniuncta opera,
vtraque descripsisse. Ergo, reliquas, quæ superant
partim, partim ruderibus fœdatæ iacent, designauis-
se iuuabit. quod, nostro more, ita faciemus, vt, a
primis singularum originibus exorsi, conuersiones, quas
subiere, ad præsentem vsque ætatem, recenseamus.

I. Arx Vissegrád.

S Y N O P S I S.

Nominis Vissegrádi: & arcis origo Slauiica: an possit ad Pannonos referri? cur Germanis Plendenburg dicatur, incertum. §. I.

Vocatur in diplomatis, Altum Castrum, quandoque Altus Lapis: istud, e litteris CAROLI I. docetur: earum verba & argumentum: quid inde ad historiam Caroli sarcindam, eruatur. §. II.

Prima Vissegrádi mentio, in rebus S. Ladislai: fit Salomonis regis carcer. §. III.

Celebritas loci, a Carolo I. accessenda: nuptiis eius honestatur oppidum: funestatur Feliciani parricidio. §. IV.

In rem eandem, diploma Caroli: facinoris descriptio: Iohannis liberatoris virtus: poena, Feliciano parricide, irrogata. §. V.

Premia, quibus ornatus est Iohannes, ex eodem diploma Caroli, recensentur: Praelatorum & Baronum, qui id adprobauerunt, nomina. §. VI.

Pergit Carolus, & post faustum cum, casum, fauere Vissegrádo: eius, ex quatuor regum, habito isthic concilio, celebritas, a Bonfinio de-

scripta: recognoscitur ex vita Caroli IV. §. VII.

Ingens Caroli I. apud reges exteros existimatio: Vissegrádum templum fit Concordiae: iteratus Casimiri, regis Poloniae, Vissegrádum aduentus: adoptat Ludouicum I. in filium: Caroli R. H. fatum, & ob id Thúróczli, lepida, cum morte expostulatio: tertius Casimiri Poloni, Vissegrádum, aduentus. §. VIII.

Luctum, urbis & arcis, ex obitu Caroli conceptum, solatur Ludouicus, & mater sua Elisabetha: accessiones, ad urbis & castris celebritatem, ex Ludouici felicitate. §. IX.

Res Vissegrádi sub Ludouico, vniuersim prospera: eo mortuo, conuersionem non vnam subiit: foedatur nece Caroli Parui: contemneratur eadem tempestate, sacrum diadema. §. X.

Exolescit, sub Sigismundo, celebritas Vissegrádi, cur? Elisabethæ vidua Alberti, detestandus S. Coronæ raptus: vocatur a Timone in dubium: credibilem facit Gerhardus de Roo: Philippi Callimachi, de eadem re, sententia: Bonfinii diuersa narratio. §. XI.

Faci-

Facinus Elisabethæ, multorum bellorum & calamitatum, causa: Ladislai Gárx, ob traditum diadema, poena: Vissegrádi, sub Matthia, instauratio: Galcoti Martii: Bonfinii item, ea de re, testimonium. §. XII.

Luculenta Vissegrádi, ex Nicolao Oláho, descriptio: de legato Turcarum, ad audientiam isthic, a Matthia admissio, lepida narratio: Coruini in accipiendis legatis, mos. §. XIII.

Vterior Vissegrádi, ex Oláho adumbratio: sacelli facies, palatii habitus: laudatio edificii: arcis Vissegradensis, singularis, ob conseruatorium S. Coronæ, prerogatiua. §. XIV.

Adfirmatur ea Vissegrádo, publico comitiarum decreto: eius, post Matthiæ fata, conuersiones: captiuum vna cum diademate, a Iohanne Coruino, detinetur: Statutum, eam ob rem: indignatio: Coruini infelicitas. §. XV.

Pergit Coruinus, arcem & diadema detinere, Vladislao iam electo: Ordinum sollicitudo, eius recuperandi causa: arcis obsidio; & facta a Blasio praefecto, vna cum Corona, deditio: diadema Budam inuectum. §. XVI.

Post Vladislao inauguratum, noua, de Corona conditorio Vissegradensi, lex perfer-

tur: fit thesauri regni receptaculum: custodes S. Coronæ, tunc qui? §. XVII.

Iuristurandi formula, qua obstringebantur, horum castellani: quid inde condiscatur? §. XVIII.

Altera, in eandem sententiam, formula, Iohannes de Zápolya, Corona custos. §. XIX.

Mortuo Vladislao, & post eandem Mohátsanam, quae castris, & diadematis fuerint fata: post Iohannem inauguratum, nunquam postea Vissegrádum reuisit: nimia urbis libertas, qua eam donauit Matthias, abrogatur ab Ordinibus: censebatur olim Vissegrádum, in bonis Corona. §. XX.

Arcis & oppidi res, in deterius precipitantur: frustra obsidetur a Turcis: ubi tunc diadema fuerit? commodatur a Perénio, inaugurationi Iohannis: mox & Ferdinandi: capitur Vissegrádum, a Solymanno: recipitur a Rogendorffio: recidit de nouo in potestatem Zápolitani. §. XXI.

Obsidetur a Ferdinandis: res gesta, verbis Istvánffii, recitatur: capitur turris aquaria: arx, in receptu Budensi. §. XXII.

Quid ea re profectum sit? obsidione cingitur a Turcis:

Nnn 3

capi-

capitur arx inferior: superioris oppugnatio laboriosa: obsessos suis premit: Petri Amadei, arcis praefecti, sollicitudo irrita: arx hosti deditur: contra fidem datam, caduntur a Turcis praesidiarii, egre seruato Amadeo. §. XXIII.

Obsidetur ductu Archiducis Matthiae: Turcarum ferocia: Nicolai Pálffy industria: hostes, metu percutsi, arcem, seque omnes, victorum arbitrio, permittunt: a nostris detinentur captiui, & sparguntur passim. §. XXIV.

Quid robur nostris, ex capto Wissegrádo, accesserit: recidit, decennio post, in Turcarum potestatem: domatur a Lotharingo: Anno 1684, quo labore, narratur ex Wagnero: premitur iterum a Turcis, capiturque: recuperatur ultimo a nostris, & reiecto longius hoste, desertum relinquitur: saeva eius vastitas: oppidum in

vicium abiit, Comitibus a Staremburg adscriptum: epilogus historiae Wissegrádi querulus: eius encomium. §. XXV.

II. Arx Sámábék.

Positus Sámábeki: habitus bo-diernus: fuit olim regum secessus: occupatur a Turcis, recuperatur a nostris: iterumque a barbaris: fata reliqua: pertinet hodie, ad Comites Zichyos, una cum oppido.

III. Rudera Arcium.

I. Solmár.

Solmár, venaticus Marthiae Coruini secessus: eius vineariam, muris incinctum: iam rudus informe est.

II. Török-Bálint.

Török-Bálint, seu Turbal, voluptarius conditoris secessus: amenitas positionis: vicus, & castelli rudera.

III. Tahy.

Tahy, fuit, gentis cognominis, amoenum diuerticulum: quo fuerit edificio, atque opportunitate?

§. I.

Nominis
Wissegrádi
di:



WISSEGRADI NOMEN, Slauiæ est originis, quod Altum Castrum (a.) significat. Erymi rationem, inde petitam credunt, quia gemina olim arce consisterit moles; superiore illa, & inferiore alia. Atque ita omnino, situs habitum, ISTVÁNFYVS (b.) descripsit: *Arx ea, inquit, duplex est; altera minor, ad Danubium sita; altera vero maior, in qua Corona Regia seruabatur, in editissimo, ac fere inaccesso montis cacumine eminet, nec una alterius ope, nisi, quum superiore in arce, milites siti premuntur, indi-*

(a.) Hrad. nimirum, & alta dialecto, Grad. | (b.) Lib. XVI. initio, p. 272.
arcem: Wisly, altiore, Slanis notat.

indigere videtur. Hic ergo molis positus, locum fecit denominationi. Ex qua simul condiscas, ad *Slavos*, gentem olim validissimam, arcis substructionem, referri oportere. Sed, quos quæso? priores illos, an posteriores? quos ultimo egressu, *Hungari*, eis & transdanubiana regione depulere. Equidem, illos crediderim: quippe, late tunc per *Pannonias* dominantes. Nempe, *Danubii*, arctiori intra montes aluco, praterlabentis traiectum, hac regione, tutum sibi, arce posita, praestare volebant. Hæc de Slauiis *Wissegrádi* originibus, ultra verosimilitudinem certa sunt. Altius, *LADISLAVS TÜRÖCZY*, (c.) eius incunabula reponit: *A Pannonibus, inquit, initio conditam, haud obscure ipsa denominatio ostendit: namque Hunnos, Slavum, nunquam arci sua nomen imposuisset.* Ambigo, an recte satis. Præterquam enim, quod res disputata nondum est, qua vsi lingua (d.) *Pannonæ* illi fuerint, quos sub iugum misere Romani; nullæ profecto *Pannoniis* vrbes fuisse; agros duntaxat & villas, per cognationes possidentibus: sicuti auctor est *APPIANVS*, in *Illyrico*, dum res gestas *Augusti* narrat. Quid? quod nulla in tam retrusa ætate, *Wissegrádi* mentio in itinerariis, aut historia, superet. Sed in rebus etiam *Attilæ*, frustra arcis nomen quaesiveris; quod necessum erat interferi, si, dum is *Sicambria* habebat regiam, exstitisset iam *Wissegrádum*. Quin, nec belli, a *CAROLO M.* aduersus *Auares* gesti, annales, calli *Wissegrádenfis* meminerunt: ut adeo, proclive sit ad existimandum, *Romanos* æque ac *Hunos*, atque *Auares*, ignorauisse *Wissegrádum*: quippe quod, *Slani* demum posteriores, aut *Mahareses*, & posuerint, & adpellarint, ex situs natura. quod & in denominatione *Novigrádi*, metropoli eiusdem Comitatus, suo loco, obseruabimus. Qui *Vicigrádum*, arcem vocitant, *Hungarorum* morem sequuntur. Atque *Slauiæ* quidem hæc adpellatio, bene sibi constat; non item *Germanica*, qui florentem adhuc arcem, *Plendenburg* dicebant, vocabulo iam exolecente. Ecur autem sic? iuxta cum ignarissimis scio. Nam, si vox *Germanica*, *tacam arcem*, sicuti ferunt verba, significarit; minus conueniet, excelsæ positioni, quæque despectum habet, per circumscitos montes vallesque, egregie patulum. Proinde, reor equidem, ab euentu quodam (e.), quem ignoramus, adpellationem eam arcessi oportere.

§. II.

Diplomata *CAROLI I.* & filii *LVDOVICI*, nunc *Altum Castrum*, nunc *Altum Lapidem*, adpellant; forte, quia tunc *Hungarice* *Magosvár*, item, *Magos-hó*, dicebatur. Prius illud nomen, tabula *CAROLI*, pleræque omnes referunt; posterius, in epistola eiusdem regis:

Vocatur in diplomati-
bus, Altum
Castrum,
quandoque
Altus Lapi-
dis:

(c.) In Hungaria Compendio data, p. 52.

(d.) Vide *LAZIVM*, de Migrat. Gentium, Lib. IV. p. 112. seq.

(e.) Nisi velis credere, tubitum arcis subli-

memque obtutum, oculos suspicientium ita perstrinxisse, ut caligarent inde, quod *Germani* quidem, *Angon Blonden*, ac forte, ideo, arcem ipsam, *Blondenburg*, dixerunt.

& arcis
origo Sla-
uica?

an possit ad
Pannonæ
referri?

cur Germa-
nis Plen-
denburg
dicatur, is
certum.

istud, e literis CAROLI I. dicitur:

annum verba, & arguuntur:

gis reperi, quam ad *Elisabetham*, Bohemiarum & Poloniae reginam, atque IOHANNIS vitæ sociam, de morte filii *Ladislai*, dederat. quas, quia referunt, mite ac piæ, optimi regis, ingenium, neque civibus nostris sunt cognitæ, adtexuisse placuit. Ita vero, in rerum Bohemicarum scriptoribus antiquis (f.) lego: *Anno Domini MCCCXXXIX. KAROLVS Rex Vngariae, transmisit dominæ ELISABETH, Reginae Bohemiae & Poloniae, epistolam lugubrem, in hæc verba: Serenissimæ Principissæ, Dominæ ELISABETH, Dei Gratia Reginae Boëmiae illustri, sorori suæ carissimæ, CAROLVS, eadem gratia, Rex Vngariae, salutem, & continua prosperorum successuum incrementa. Si Dei misericordia, per votivos successus, de sua ineffabili providentia, nos lætificasset, sicut hac - - ita & casum miserabilem & decessum lugubrem, præclarissimi filii nostri DVCEIS LADISLAI, Vobis, (proh dolor) cogimur nuntiare, & licet proximitatis identitas, & consanguinitatis indissolubilis unio, dudum inter nos diuinitus ordinata, quam ab vno stipite, tanquam germani gradu proximo deriuamus, fuisset sufficiens: tamen, propter deprimendam elationem superbam Regum & Principum, circumadiacentium regnorum, Vobis, & magnifico Principi, Domino IOHANNI Regi Boëmiae & Comiti Lucelburgensi, carissimo contorali Vestro, Nostroque fratri & amico prædilecto, mala machinantium, mediante dispensatione supremæ sedis, (sine qua esse non poterat, inter prædictum filium nostrum, vestramque filiam, fœdus matrimonii) non absque provida deliberatione duxeramus ordinandum. Verum, cum prædicto Domino Regi, præcordiali nostro, quam diu præsentis vitæ possibilitas, in nobis subsistere poterit in hoc mundo, in prosperis & aduersis, diligenti fauore adesse volumus, nos semper ad sua beneplacita offerendo, quod & per ipsum Nobis fieri præsumimus firma fide, loco & tempore opportunis; Excellentiam Vestram, regalem affectum, fraternali sub certa confidentia requirimus per præsentem; quatenus taliter & tam diligenti sollicitudine, dicto Domino IOHANNI Regi suadere velit, quod singularis amicitiae fauor, quæ inter nos hæcenus viguit, in futuro vigeat, sinistra loquentium suggestione friuola non obstante, vt in incepto amicabilem unionis proposito seu perscuerantia, (Deo volente) votiuæ dierum longitudine, mutuo inuicem, nos, & ipsi valeamus gratulari, & in virtute valida, & brachio extento, nobis rebellantium colla contere superborum. Ceterum petimus Vos, quod noua, præsertim ex parte dicti domini Regis Boëmiae, si quæ vobis constant, & etiam alia, quæ scitis de vniuersis mundi partibus, nobis vtique per latorem præsentium, mediantibus Vestris litteris, velitis intimare. Data, in ALTO LAPIDIS, die Cinerum. Sic iterum ruptum est vice altera affinitatis vinculum, quod propter regnorum pacis commodum, fuerat bona discussione præuia colligatum. Multa hinc possis addiscere, quæ adtinebant, ad eorum temporum*

f.) Pag. 64. Cap. XXI. Prodiere HANNOVIÆ, typis Wecheliani A. MDCCII. fol.

rum habitum; sed quæ iam non vacat recolare; nobis id maxime curæ fuit, vt *Alti Lapidis* nomen exhiberemus. Illud, ad faciendam CAROLI historiam, in primis adtinere existimamus, vt, cum vice altera, ruptum aiat historicus, affinitatis vinculum, id quale fuerit, eiusdem scriptoris anonymi verbis (g.) expromamus: Eodem anno (MCCCXVIII.) KAROLVS, filius Caroli Sicilia, factus Rex Hungariae, prima sua absque liberis viduatus uxore, Thomam ac Simonem, Comites Hungariae, cum Stephano interprete, & cum decentia familia misit ad IOHANNEM regem Bohemiae, vt vnâ de suis sororibus, velit pro coniuge sibi dare. Hac legatione amabiliter suscepta, Iohannes Rex Bohemiae, certis nunciis, suas sorores, de Lucelburgensi euocat (*) Comitissa. Quarum maior vocabatur Maria, iunior vero Beatrix proprio nomine est vocata. Neutra harum puellarum adigit, quartum decimum ætatis annum. Ad fratris itaque vocationem istæ ambæ virgines venerunt, & duodecimo Calendæ Iulii, Pragam cum sua familia ingressæ sunt. Quarto autem die post istarum aduentum puellarum, cum Rege, & Regina ad monasterium Aula Regiæ, hæc pariter venerunt. Debit enim tunc sollemniter peragi dies anniuersarius fundatoris illius loci. Veniunt quoque illuc legati Regis Hungariae, & vt eorum exaudiatur petitio, incipiunt cum instantia postulare. Quorum petitioni rex IOHANNES annuit, & vt vnâ de suis sororibus eligant, liberam optionem eis dedit. Stabant igitur Hungari in suis desideriis exauditi, (me præsentem & videntem) coram ambabus puellis, intendentes in illas mente tacita, oculis apertis, facies delicatas istarum virginum diligenter inspiciunt, conditiones corporum discutunt, gressus describunt, & quæ sit eligibilior, sagaciter inquirunt. Mireris, filias imperatoris, pati voluisse, inusitatum hoc eligendæ sponsæ genus. Pergit ille: Tandem, BEATRICEM iuniorem puellarum, sibi assignari postulant, Dominam Hungariae & Reginam. Rex IOHANNES consentit, & gratulatur: puella ad Ecclesiam deducitur, & mox coram summo altari B. VIRGINIS, in aula regia, Karolo Hungariae Regi, sed absenti, ad manus comitum præsentium, legitime desponsatur. Campana duplex pulsatur, & per conuentum monachorum, qui omnes ibi aderant, Te Deum laudamus, altisonis vocibus decantatur. Nec longe post, per nuncios sollemnes Regis Caroli, hæc tenella puella, in metis Moraviae & Hungariae, reuerenter suscipitur, & in Hungariam deducta, infra octauas B. Martini Episcopi coronatur, statimque, cum eadem vice, nuptiarum festiua sollemnitas, per Regem Hungariae celebratur.

Da Deus vt crescant, feliciter ambo senescant,
Quos coniunxisti, conserues ab omine tristi.

Hæc ille; haud alieno loco a nobis relata, quando primum est ad credendum, festos nuptiarum dies, saltem repotia, *Wissegradi* concelebrata fuisse. Ceteroquin, breuis matrimonii huius vsura, CAROLO fuit: vix enim

TOM. III.

000

1177

g.) Loco citato p. 27. Cap. vi.

*) Legit: Comitissa.

cum viro annum claudere potuit, inquit BONFINIVS (h.). Sed redeamus in viam, res arcis prosequuntur.

§. III.

Prima
Wisse-
gradi men-
tio, in re-
bus S. La-
dislai:

De Salomo-
nis regni
carcer.

PRIMAM WISSEGRADI mentionem, apud scriptores Hungaricos, in rebus S. LADISLAI, regis legas: quippe quam, carcere Salomonis celebrem fecit. Nimirum, confocillata quomodocunque concordia, ad circumueniendum Ladislauum, abufurus Salomo, id meruit, vt circumueniretur ipse, captusque a Ladislao, in agro Molonienfi, Wissegrádum, in carcerem mitteretur. Ita, post Thirócziū, BONFINIVS (i.): Captus, igitur SALOMON, Wissegrádum ducitur, qua vetus olim regia fuerat: in quem coniectus est carcerem, non ad debonestandam dignitatem; sed atrocitatem molliendam. Quin, & solatii gratia, Bodus (k.) adiectus, Boconis olim filius, qui facinorum grauitate, easdem pœnas meruerat. Recte, quod adinet ad Salomonis captiuitatem: illud dubium, quod veterem olim regiam Wissegrádum vocat. Neque enim possis docere, regum quemquam, inde a S. STEPHANO, sedem illhic perpetuam habuisse; nisi forte, venatus causa. Primus, regiam fecit, CAROLVS, quod infra dicemus. Alioquin, ex Salomonis hoc carcere, argui potest, validam iam tum arcem fuisse, idoneamque, qua rex captiuus, concluderetur. Sesqui annum, heic detentum Salomonem, non tam fraterna caritate motus, quod vult SZENT-IVÁNYI (l.), quam coactus necessitate, LADISLAVS, in libertatem adseruit. Quam Deo abominabilis sit fraterna discordia, ait BONFINIVS (m.), id potissimum ostendit. Nam cum D. STEPHANVS, in veneratione corporis, quod annis quinque & quadraginta delituerat, suum numen indicaturus esset, haud mediocri LADISLAO Regi, promendarum huiusmodi reliquiarum, desiderium inspiratur, vt pronepotis beneficio, diuinos sibi honores compararet. Quare, patrum consulto, & edicto regis, triduo, viris aque ac mulieribus, ieiunium indictum, & in delubris omnibus, lectissernia; item, supplicia apud omnes aras, vt aliqua diuinitus signa darentur, quibus omnipotentis Dei voluntas intelligeretur. Quarto die, ad eius sepulchrum frequentissimi conuenere, vt e subterraneo fornice, sanctissimi regis corpus expromerent. Quod, quum tentassent, vi nulla amoueri potuit. Consulta virgo (n.) mira sanctitatis, qua in Saluatoris cenobio adsidue versabatur, respondit: eos frustra niti, donec SALOMON carcere liberetur. LADISLAVS, oraculo virginis auscultans, eum omnino liberari iubet, ieiunium quoque triduanum, cum supplicationibus indicit. Quibus rite peractis,

cum

h.) Decade II. Lib. IX. p. 318, 4.

i.) Decade eadem, Lib. IV. p. 225, 43.

k.) Pater, incluta gentis, RAJTSANTORVM, quod docebitur ubi.

l.) In Synopsi chronologica, ad A. 1083.

m.) Inibi, lin. 52. & p. sequ.

n.) Relege eandem hanc historiam, Decade II. Lib. I. p. 186, 21. vbi virginis vaticinæ nomen, Charis fuisse reperies. Adde, si lubet, vitam S. LADISLAI REGIS Hungaricæ, STEPHANI TARNÓCZY, e S. I. Elogio VI. & VII. Prodiit libellus, cum scitis iconibus, VIENNÆ A. MDCLXXXIII. fo. 12.

cum in basilicam, cum vniuersa pontificum procerumque manu, iterum conuenisset, tactus lapis, qui sepulchro diu inhaeserat, facile amoueri passus est, & D. Regis eruta reliquia. Tali tunc captiuitas, iuxta & liberatio Salomonis, prodigio nobilitata perhibetur: vt mirari subeat, noluisse ex-regem, admoneri, vt ad meliorem mentem rediret, caperetque, mitiora quam quibus ducebatur hucusque, consilia. An postea, frequentatus fuerit Wissegrádiensis hic carcer, non est pronum dicere; eo quod in obscuro latent, arcis oppidique fata, plus seculis duobus.

§. IV.

LOCI solitudinem, CAROLVS I. celebritate donauit, siue id, positus amoenitate inuitatus, fecit, siue, Budensium auerfatione: quippe quos, rebus seditiose nouandis, more quodam suo, deditos fuisse, cognouerat. Sunt, qui diadematis potissimum causa, sedem heic posuisse CAROLVM, autument: quod nuper, Ladislao, Transiluanie Vajvoda, ægre extortum, post inaugurationis solemnia, anno MCCCX. illuc adtulit. Ergo, accipiendo Regi non minus, quam sacrae Coronæ, & insignibus regni aliis, arx, & huius suburbanum, magnificentius instrui, consolidari moenia, educi palatia, hortique poni cœpere, qui, Neapolitanorum consuetudine, regem illhic diuersantem, oblectarent. Facile est coniectatu, subita fuisse Wissegrádi incrementa, consluentibus, ad regiam, optimatibus. Atque, his ego successibus, inductum credo CAROLVM, perpetuam heic sedem collocauisse. Triplici nuptiarum solemnitate, quas illhic concelebrauit Carolus, honestatum oppidum, inde colligas, quod MARIA Polona, & post hanc, BEATRICE Lucelburgica, præmaturo fato sublatis, ad tertia vota, concedendum fuit regi, continua sede illhic diuersanti. Latii hi quidem, iuxta & tristes fuerunt euentus; sed eo tristior nullus, qui in annum MCCCXXX. incidit, quique, Regem, Reginam, & horum liberos, propemodum sustulit. Feliciani, hominis, ab infernalibus acti furis, facinus fuit, prolixè descriptum a BONFINIO (o.): Quidam regi vir erat, quem Felicianum dixere, e Zanchorum familia natus, apud Matthæum Trinchenum, olim Palatinum. Hic opibus & dignitate creuerat, & ab illo dimissus, inter seruitia regis, continuo se insinuarat, vt eo facilius, supra fortunæ suæ conditionem, dignitatem adaugeret. Dissimulata huic iniquitas & ambitio, animus, ad facinus quodque, præceps ac promptus, rapinis, & quouis scelere, sibi rem auxerat. Vnicum erat immanitatis, perfidiæ ac infidelitatis exemplar; sed grauiissima hæc vitia, præ liberali quadam audacia, & subornato semper officio, ita contegebat, vt regis gratiam admodum promeruerit. Facilem sibi aditum regis, ficta quadam mandatorum obseruantia, & sedulitate, ita pararat, vt die noctuque fores paterent. In tanta potestate, indigni sceleris, hunc

Celebritas
loci, a Ca-
rolo I. ar-
cessenda:

nuptiis eius
honestatur
oppidum:

sanctatur
Feliciani
parricidio.

0002

in

o.) Decade II. Lib. IX. p. 319, 3.

inaudita incescit audacia. Ex improviso, Regem, liberos, & Reginam, inter discumbendum, decernit adoriri, vt caesa, cum eo, prole, tyrannidem inuadat, omniaque, pro libidine sua, disponat. Videbat enim, pacato regno, se quiete & otio, parum posse proficere; contra, perturbatis rebus, varias facinorosis occasiones offerri. Alii, illatum, a fratre reginae, vxori stuprum, ad tantum facinus, incitasse dicunt. Quare, ex consulto, accubantem, cum vxore, liberisque, Regem, in *Wissegradi* suburbio, quinto decimo *Calendas Maias*, sub officii specie ingressus, adoritur: stricto mox ense, Regem petit, frustratus ictum, eius dextram, leui vulnere laesit. In sanctissimam repente matronam conuersus, dextra, quatuor digitos, abscidit, quos femineorum munium, & profusae liberalitatis ministros possumus adpellare, cum illa, dies ac noctes, sacras his veltes pararet. Nec adstantibus etiam pueris pepercit: in quos, dum vibrato ense grassatur, paedagogi, continuo intercessere: quippe qui, propriorum corporum obiectu, commissos sibi liberos, laudabili fide, protexere, pueri interea diffugere. Paedagogus alter, *Chenelichus*, *Gyula* filius, alter *Nicolaus*, e *Iohanne Palatino*, natus fuit. In medio tumultu, consternatis dominorum animis, *Iohannes*, *Alexandri Patochi* filius, reginae minister ac spectatae indolis adolescens, adcurrit, in *Felicianum*, hinc & inde furentem, irruit, eius collum, pugione transfodit, humique inuertit. Ista, de atroci facinore, historicus.

S. V.

In rem
eandem, di-
ploma Ca-
roli:

NVNC, CAROLVM ipsum audiamus, peculiari diplomate, nefandum facinus, expromentem. quo, vniuersas possessiones, maleficientissimi *Feliciani*, suo, pignorumque suorum, liberatori, *IOHANNI*, adtribuit. Ita veto illud habet: Nos, ex praetacta relatoria rescriptione dicti Capituli Ecclesiae *Strigonienfis*, fidelium nostrorum, modo praescripto informati, cognoscentesque praememoratas possessiones, seu terras, praenotatorum *Nostrorum*, & regni infidelium, extitisse, adtendentes quoque & vndique rememorando circumspicientes, eo fideliora, quo chariora obsequia meritoria, non simplici eloquio praeferuntia, dicti *Magistri Iohannis*, filii *Alexandri*, filii *Cselén*, vices gerentis *Magistri Dapiferorum Domina Regina* consortis nostrae charissima, dilecti & familiaris nostri, quibus nobis, quin potius toti regno nostro, idem praeter ceteris complacere, & se reddere studuit gratiosum & acceptum: cuius quidem grato & grandi fidei obsequio, vix quisquam simile, vlllo unquam tempore fecisse dignoscitur. Illud namque praecipuum & specialissimum, omnique remuneratione dignum, ipsius *Iohannis* meritum, quod dum ipso, dictum *Dapiferatus* officium, in nostro, & ipsius *Domina Regina*, simul in aula praesentium, exhibente, vir iniquus, dolo plenus & nequitia, nomine *Felicianus*, filius *Szäh* praedictus, de

facinoris
descriptio:

gene-

genere *Szäh* prelibato, damnabili & nefanda presumptione, Nostro, eiusdemque consortis nostra, & filiorum nostrorum dulcissimorum, *Dominorum* scilicet *naturalium*, inhumaniter cupiens satiari sanguine, regiamque progeniem auide volens ab hoc seculo extirpare, in *Nostram*, & ipsius *Domina Regina*, ac filiorum nostrorum personas, euaginato & vibrato gladio irruisset, ab ipsius pestiferi nostri, & totius aule, ac *Domus* nostra inuasores flammae voragine, & subitanea mortis illatione, *Albissimo* e caelis prospicace, idem *Iohannes*, feruenti agilitate, ipsum *demoniorum* comitem, qui furia sua infernalis inluuie, & sententiam insatiabilem, in Nos, dictam *Dominam Reginam*, & dulcissimos natos nostros, vt pararet cultor eximius, calide respergere & euomere, ac manum dextram ipsius *Domina Regina*, ictu hostili gladii sui, proh dolor! amputare, *Nostramque* similiter dextram grauiter vulnerare, alterius quoque filiorum nostrorum *secularis* anteriorem partem, seu abscidere iam non extinuerit, eripuit, super virilitatis calcaneo prosternendo; ita, vt idem *Iohannes*, ipsum *Felicianum*, infeliciter nominatum, a proposito nobis pariter inferenda mortis retrahens, bicello pluries transfixum, in sortes *demoniorum*, quorum spiritu ducebatur, tradere non obmisit. Haec tenus, facinoris historiam, diploma expromit, fide vtique, quam *BONFINVS*, probatione. Iam poenas, quas in comitio publico, Rex & Ordines, *Feliciani* posteris, & consanguineis, inaudito eousque apud *Hungaros* exemplo, irrogauerunt, ex iisdem tabulis, fas est cognoscere. Cumque Nos (verba iterum sunt diplomatis) a praenotati regni vniuersa nobilitatis communitate, *Baronum*, *Procerum* ac *Praetatorum* deputatis, conseruitate, de tam detestabili & inaudibili crimine laesa *Majestatis*, in sententiam perferendam, aeternoque duraturam, congregata, supra praetacti horrendi sceleris & violentiae manualis iniectiois, nefandissimum & inaudibile facinus impune non transiri, satisfactionis congruentiam impleri postulassimus; iidem *Barones*, *Proceres*, *Primates*, & vniuersa communitas *Nobilium* Regni, matura & prouida deliberatione decernentes, commiserunt, sententiatosque decernunt; vt nedum idem *Felicianus*, & filii sui, ac filiorum filii; verum etiam vniuersa generationis suae homines, usque tertiae lineae generationis gradum sibi adnexi, possessionibus, & proprietatibus eorum vniuersis, vt in litteris, dictam sententiam seriatim exprimentibus, plenius & lucidius continetur, dira necis supplicio puniendi, priuarentur, & perpetuo, ab hoc regno exclusi, & in exilium missi haberentur; insuper, proprietates & possessiones eorum vniuersae, & qualibet, *Nostra* regalis clementiae manibus applicande, seu tribuenda, vt *Nostro* nutui placeant, censerentur. Ex qua quidem generatione *Szäh*, specialiter & expresse, praecallegatos filios *Csyga*; *Felicianum*, filium *Cazmeri*; *Petrum*, filium *Laurentii*, filios *Volkus Pauli de Keszzy*; *Kemén*, filium *Luka*; *Petrum*, filium *Berende*; *Stephanum*, filium *Iacobi*; ac *Dominicum*, filium *Stephani*, proximos ac generationes dicti infelicis *Feliciani*, de ipsa generatione *Szäh*, iuxta eandem sententiam consequenter, contra ipsos prolatam, possessionibus, & proprietatibus ac terris eorundem vniuersis, qualitercun-

Iohannis
liberatoris
virtuti

pena Fel-
ciano par-
ricida irro-
gata.

que vocitatis, ubique in regno nostro existentibus, ex nunc, prout ex tunc, digne duximus exuendos. Profecto, dignum memoria, seueritatis exemplum, quodque ob oculos habeant, sanguinolenti homines, quibus, quia nullus est numinis metus, nulla esse consuevit, regia maiestatis, sacratorumque capitum, veneratio. Nempe (p.)

Sape in magistrum scelera recidere suum.

§. VI.

ET hæc quidem poenæ, culpam haud excellere, quas, quia fuisse meminuit BONFINIVS, non est opus recognoscere: præmia potius, quibus IOHANNEM, hospitem suum, & huius gentem, remuneratus est CAROLVS, ex iisdem tabulis recitabimus, vt sint auctoramento his, qui sunt in regum ministerio, cum ad seruandam fidem, tum ad ferendam, si quid ingruat periculi, opem, etiam cum sui exitio, coniunctam. Pergunt autem: *Et quanquam pro his præmissis ceterisque multifario & multis modis fidelium seruitorum meritis, ipsius Magistri Iohannis, filii Alexandri, idem a Nobis multo plura & maiora, ac per amplius, plurimis donatiuorum antideris, honorari & extolli mereretur; tamen in particularem retributionem præmissorum possessiones, proprietates ac terras, prænominatorum filiorum Csyga - - - vniuersas, quibusuis nominibus vocitatas, & in qualibuscunque Comitatus regni nostri specialiter præassignatas possessiones, seu terras eorundem (q.) . . . cum ipsarum quibuslibet utilitatibus & pertinentiis vniuersis, iuriumque omnium eorundem plenitudine, sub metis, terminis & limitationibus ipsarum præscriptis, præfato Magistro Iohanni, filio Alexandri, filii Cselen, fidei & familiari nostro, tamquam bene merito, & per eum Nicolao, & Iacobo, dicto Als, fratribus suis veteris, nec non eorum heredibus, heredumque suorum successoribus, & posteris, omni iure & titulo præstatæ, quoad nostram collationem dignoscitur pertinere, dedimus, donauimus & contulimus, perpetuo possidendas tenendas pariter & habendas, sine tamen præiudicio iurium aliorum, præsentium patrocinio, ipsis possidere & habere confirmantes. In cuius rei testimonium firmitatemque perpetuam, præsentibus concessimus litteras nostras privilegiales, duplicis sigilli nostri noui & authentici munimine roboratas. Datum per manus honorabilis viri, Magistri Tatarii, Albensis Ecclesie præpositi, aule nostræ Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis nostri, Pridie Calendæ Martii, Anno MCCCXXXVI. Regni etiam nostri, similiter trigesimo sexto. Nempe, quemadmodum poenas, in vniuersam gentem, Feliciani; ita remunerationem, in fratres Iohannis, prorsus ex præscripto æquitatis, propagatam voluit CAROLVS. Non possum, quin Prælatorum & Baronum regni nomina, quæ adtexta sunt diplomati, recensere, eorum causa, qui ætatum singularum, dignitates cognitatas habere cupiunt: Venerabili-*

Præmia, quibus ornatus est Iohannes, ex eodem diplomate Caroli, res consentur:

Prælatorum, & Baronum, qui id adprobauerunt, nomina.

p.) SENeca, Thyeste v. 310.

q.) Fuere vici, in Comitatu Neogradensi,

Calceim, quorum nomina silemus consilio; ne lites serantur.

bilibus in Christo Patribus, Dominis, Csandæ Strigonienfi; fratre Ladislao, Colocensi, Aule nostræ Cancellario, Archiepiscopis; Nicolao Iaurienfi; Ladislao Quinqueecclensi; Andrea Transiluanienfi; Ladislao Zágrabiensi; Andrea Vácziensi; Iacobo Clanadiensi; Rodolpho Veszprimienfi, Aule dictæ Dominæ Regiæ Consortis Nostræ carissimæ, Cancellario; Fratre Vito, Nitriensi; Boszniensi & Syrmienfi sede vacantibus; nec non fratre Paulo Albenfi de Nándor, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris, Vilhelmo Drugeth, Palatino & Iudice Comanorum; Demetrio, Magistro Tauernicorum nostrorum; Thoma, Vajvoda Transilvano, & Comite de Szólnok; Paulo, Iudice Curie nostræ; Myhe, Bano totius Slauoniæ; Nicolao, Bano de Macho; Paulo, Magistro Tauernicorum, & Iudice Curie prædictæ Dominæ Regiæ; Dyonisio, Dapiferorum; & Stephano, Agazonum Nostrorum Magistris; ac Nicolao, dicto Trentul, Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis, Comitatus Regni Nostræ tenentibus & honores. De his hætenus, quæ non poterunt non grata esse, antiquarum patriæ rerum, æquis exultimantibus.

§. VII.

CAsu, adeo funesto, inuisum CAROLO postea Wissegrádum fore putabatur: quod, non modo non euenit, sed factum est etiam, vt sedem hanc, tanquam suæ tutatricem salutis, multis locupletarit, ornamentis non minus, quam privilegiis. Est enim hoc in principum moribus peculiare, vt casus aduersos, hoc illo acceptos loco, in omnibus, euentuum in posterum meliorum, habeant. Quod profecto ita accidit CAROLO, principi, benigno illi quidem, sed neque incurioso maiestatis. Ergo, dum Andream, sexennem filium, in Italiam, ad Robertum, Neapolis, & Sicilia regem, anno MCCCXXXIII. deducit, familiam reliquam, nihil dubitauit Wissegrádi relinquere; siue, quod loci opportunitatem tantopere adamarit; siue, quod suorum confusus fidei, nupero Feliciani scelere exercitæ, nihil habebat ad metuendum. Vt ex Italico itinere rediit, noua celebritate illustratum est Wissegrádum. Iohannes, Rex Bohemiæ, cum CAROLO Romanorum postea Imperatore, eius nominis quarto, atque Casimiro Rege Poloniae, isthuc, ad CAROLVM nostrum, circa S. Martini festum diem, conuenere. Multus facundusque est, in describenda ea celebritate, BONFINIVS (r.) Postquam, inquit, CAROLVS in Hungariam reuersus est, in sequenti anno (s.) IOANNES Rex Bohemiæ, filiusque CAROLVS, qui non multo post, imperium Romanum sortitus est, item, CASIMIRVS, rex Poloniae, Wissegrádum, ad Carolum, circa Martini solemnia conuenere. Prolixe demum, regum actus, qui isthuc conuerant, describit. Qua vero pompa fuerint accepti, in hunc modum recitat. Quum inter hos reges, de inuenda concordia, perpetuaque societate in Wissegrádo ageretur,

Papæ Carolus, & post sane. fuit cum casibus, factis Wissegrádo:

ria, ex quatuor regibus, habito isthuc concilio, celebratis, en Bonfinio descriptis

r.) Decade II. Lib. IX. p. 323, 23.

s.) Nimirum, anno MCCCXXXVI.

paucis post diebus, pax confecta. Hi, tanta rerum copia, & tantis adparatibus tractati, ut nemo e Bobemis Polonisque fuerit, qui vini, & obsoniorum omnium, (t.) abundantiam satis admirari posset. Res, vitui necessariae, omnibus profusissime erogata: accessere dona, regibus, pro dignitate distributa, qua Pannonici regis magnificentiam, cum aeterna laude, testantur. IOHANNES, Rex Bobemae, praeter ceteris vasis argenteis, quinquaginta duabus phaleris, totidemque baltheis, insuper, latrunculorum tabula, mira arte auroque multo elaborata: ubi angulares pyrgos, instruetas utrinque peditum acies, cataphractosque equites, & reges, collatis signis, pugna vera simulacrum, referentes, cernere erat. quos omnes, aurata & gemmata arma, campique pavementum iaspidibus & Smaragdibus tessellatum, ad certamen irritabat. Item, duobus ephippiis, non tam auro, quam ordine lapillorum excultis, a CAROLO donatus est. Adiecta his sunt pocula gemmata duo; alterum ducentis auri pondo appensum; alterum e solido auro confectum, in concha speciem, & arte, & gemmarum multitudine sane conspicuum. Non minore quidem magnificentia, in Casimirum usus est: qui, cum statuta Boemia regi tributa pendere: quippe cui, omne Polonia ius, ille concesserat, hac benevolentia dimissus est, ut debita, ad assensum, Iohanni stipendia persolveret. Domum illic confecta pace, perpetuaeque societate, convenit inter eos, ut quicumque ex his regibus, primus, vi armisue, ab aliis lederetur, ceteri continuo auxilia conferrent. foedus, gravissimo a cunctis iuramento percussum, & confirmatum est. Ita BONFINIVS: recte is quidem, quod ad CAROLI adinet munificentiam; haud tamen accurate satis, pacta describit, quibus se reges illigauere. Igitur, CAROLVS ipse, Iohannis filius, Imperator postea, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est.

renouatio
sua, ex vi-
ta Caro-
li IV.

t.) THYROCZIVS: Omni die, ad prandium regis Bohemotum, ex magnificentia regis Hungariae, expendebantur duo milia, & quingenti panes, & de cibis regalibus copiose, pabulum etiam equis suis, per singulos dies, viginti quatuor garlecta. Ad prandium vero

regis Polonorum, mille, & quingenti panes, de cibariis etiam abundanter: de vino autem expensis sunt, centum & octoginta molla. En! CAROLI magnificentiam, & Hungariae ubertatem! In Vita sua p. m. 96. inter Script. Bohem. antiq.

concordata fuit, per praedictum Regem Hungariae, qui propter hoc ligauit se, & promisit esse in adiutorium patri nostro, contra Ducem Austriae, qui abstulerat fratri nostro, Ducatum Carinthiae, & contra Ludouicum praedictum. Hi autem fuerant in hac liga, scilicet: pater noster, Rex Vngariae, Dux Bauariae Henricus, qui sortem nostram habebat in vxorem. Hac ille (v.), quae non potuimus non, in celebritate Wissegradi recensuisse.

§. VIII.

Tanta nimirum, regis CAROLI, apud exteros fuit existimatio, ut non e longinquo modo, eius optarent amicitiam, sed foedera etiam praesentes, cum eo pangerent. Lotha (x.) sane, Dux Ruthenorum, siue regum, quorum nunc habuimus mentionem, exemplo inuitatus, siue compulsus necessitate quacunque alia, Wissegradum, & ipse, anno MCCCXXXVIII. cum honestissimo equitum comitatu, accessit. Apud regem aliquamdiu diuersatus, cum aeternam pacem, & perpetuam foedus amicitiae, impetrasset, muneribus magnifice excultus, ad suos rediit. Ergo, fuit tunc Wissegradum, templum quasi concordiae, ubi disputarentur, grauissimae, regum ac principum virorum, controuerbiae, ferirentur foedera, & consiliis non minus, quam ope, hinc adiuuarentur focii. In primis, annus MCCCXXXIX. Wissegradum nobilitauit. CASIMIRVS nimirum, cum se haeredem masculo, carere cerneret, isthuc, mense Iulio, magno, cum episcoporum magnatumque Polonorum, comitatu, denuo aduenit, ut regnum, LUDOVICO, suo, ex sorore Elisabetha, nepoti, ritu solemniter in filium adoptato, transferberet. Insequenti anno, inquit BONFINIVS (y.) Casimirus, Polonorum rex, ac Ludouici auunculus, ad Carolum rediit, honorificentissimum secum, procerum & antistitum comitatum, adduxit. Rex, hunc, in frequentissimo optimatum pontificumque suorum concilio, excepit, ut affinem suum pro dignitate reciperet. In celeberrimo utrorumque principum conuentu, CASIMIRVS, publice, LUDOVICO, ex sorore nepoti, & CAROLI filio primogenito, orbitatem causatus, Poloniae regnum legauit, adoptauit in filium, & omnes, qui aderant, pontifices optimatesque, nouissima voluntatis suae testes esse iussit. Id ipsum ceteri (z.), qui aderant Poloni, vitra confirmarunt, ac super ea re, solemne priuilegium factum est. CAROLVS tanta beneficentia, praeter opinionem adfectus, nullum gratiarum ac liberalitatis officium, in Casimirum, & ceteros Polonorum principes, praetermissit. Illo ergo Casimiri beneficio, Ludouicus, & post eum Hedwigis

Ingeni Ca-
roli I. apud
reges exte-
ros, existi-
matio:

Wissegra-
dum tem-
plum fit
concor-
diae:

iteratum Ca-
simiri, re-
ge Poloniae,
Wissegra-
dum, ad-
uentu:

adoptat Lu-
dovicum
in filium:

v.) Adde, quae habet BALBINVS, Epitome Rer. Bohem. Lib. III. Cap. XVIII. p. 338. ubi conuentum eum, ad x. Nouemb. habitum memorat, anno MCCCXXXV.

*) BONFINIVS, loc. cit. p. 324.
y.) Ibidem. Lege & THYROCZII Chron. Partis II. Cap. XXVIII. p. 89.

Tom. III. P p p filia,

z.) Nempe, Comitibus Cracouiae habitis, successorem sibi statuerat, vel Carolum, vel ex duobus filiis alterutrum, Ludouicum, aut Stephanum. Vide, scriptores Rer. Polonicar. ad hunc annum, & TIMONEM, in Synopsi Chronol. Noua.

paucis post diebus, pax confecta. Hi, tanta rerum copia, & tantis adparatibus tractati, ut nemo e Bobemis Polonisque fuerit, qui vini, & obsoniorum omnium, (t.) abundantiam satis admirari posset. Res, vitui necessariae, omnibus profusissime erogata: accessere dona, regibus, pro dignitate distributa, qua Pannonici regis magnificentiam, cum aeterna laude, testantur. IOHANNES, Rex Bobemie, praeter ceteris vasis argenteis, quinquaginta duabus phaleris, totidemque baltheis, insuper, latrunculorum tabula, mira arte auroque multo elaborata: ubi angulares pyrgos, instrumelas utrinque peditum acies, cataphractosque equites, & reges, collatis signis, pugna vera simulacrum, referentes, cernere erat. quos omnes, aurata & gemmata arma, campique pavementum iaspidibus & Smaragdibus tessellatum, ad certamen irritabat. Item, duobus ephippiis, non tam auro, quam ordine lapillorum excultis, a CAROLO donatus est. Adiecta his sunt pocula gemmata duo; alterum ducentis auri pondo appensum; alterum e solido auro confectum, in concha speciem, & arte, & gemmarum multitudine sane conspicuum. Non minore quidem magnificentia, in Casimirum usus est: qui, cum statuta Boemia regi tributa pendere: quippe cui, omne Polonia ius, ille concesserat, hac benevolentia dimissus est, ut debita, ad assensum, Iohanni stipendia persolveret. Domum illic confecta pace, perpetuaeque societate, convenit inter eos, ut quicumque ex his regibus, primus, vi armisue, ab aliis lederetur, ceteri continuo auxilia conferrent. foedus, gravissimo a cunctis iuramento percussum, & confirmatum est. Ita BONFINIVS: recte is quidem, quod ad CAROLI adinet munificentiam; haud tamen accurate satis, pacta describit, quibus se reges illigauere. Igitur, CAROLVS ipse, Iohannis filius, Imperator postea, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est. His inquit (u.) peracta, qui solemnitati intererat, audiendus est.

renunciatio
CAROLI
IIIV.

t.) THYROCZIVS: Omni die, ad prandium regis Bohemotum, ex magnificentia regis Hungariae, expendebantur duo milia, & quingenti panes, & de cibis regalibus copiose, pabulum etiam equis suis, per singulos dies, viginti quatuor garlecta. Ad prandium vero

regis Polonorum, mille, & quingenti panes, de cibariis etiam abundanter: de vino autem expensis sunt, centum & octoginta conchae. En! CAROLI magnificentiam, & Hungariae ubertatem! in Vita sua p. m. 96. inter Script. Bohem. antiq.

concordata fuit, per praedictum Regem Hungariae, qui propter hoc ligavit se, & promisit esse in adiutorium patri nostro, contra Ducem Austriae, qui abstulerat fratri nostro, Ducatum Carinthiae, & contra Ludouicum praedictum. Hi autem fuerant in hac liga, scilicet: pater noster, Rex Vngariae, Dux Bavariae Henricus, qui sortem nostram habebat in uxorem. Haec ille (v.), quae non potuimus non, in celebritate Wissegradi recensuisse.

§. VIII.

Tanta nimirum, regis CAROLI, apud externos fuit existimatio, ut non e longinquo modo, eius optarent amicitiam, sed foedera etiam praesentes, cum eo pangerent. Lotha (x.) sane, Dux Ruthenorum, siue regum, quorum nunc habuimus mentionem, exemplo inuitatus, siue compulsus necessitate quacunque alia, Wissegradum, & ipse, anno MCCCXXXVIII. cum honestissimo equitum comitatu, accessit. Apud regem aliquamdiu diuersatus, cum aeternam pacem, & perpetuam foedus amicitiae, impetrasset, muneribus magnifice excultus, ad suos rediit. Ergo, fuit tunc Wissegradum, templum quasi concordiae, ubi disputarentur, grauissimae, regum ac principum virorum, controverbia, ferirentur foedera, & consiliis non minus, quam ope, hinc adiuuarentur socii. In primis, annus MCCCXXXIX. Wissegradum nobilitauit. CASIMIRVS nimirum, cum se haereditate masculo, carere cerneret, isthuc, mense Iulio, magno, cum episcoporum magnatumque Polonorum, comitatu, denuo aduenit, ut regnum, LUDOVICO, suo, ex sorore Elisabetha, nepoti, ritu solemniter in filium adoptato, transferberet. Insequenti anno, inquit BONFINIVS (y.) Casimirus, Polonorum rex, ac Ludouici auunculus, ad Carolum rediit, honorificentissimum secum, procerum & antistitum comitatum, adduxit. Rex, hunc, in frequentissimo optimatum pontificumque suorum concilio, excepit, ut affinem suum pro dignitate reciperet. In celeberrimo utrorumque principum conuentu, CASIMIRVS, publice, LUDOVICO, ex sorore nepoti, & CAROLI filio primogenito, orbitatem causatus, Poloniae regnum legauit, adoptauit in filium, & omnes, qui aderant, pontifices optimatesque, nouissima voluntatis suae testes esse iussit. Id ipsum ceteri (z.), qui aderant Poloni, vitro confirmarunt, ac super ea re, solemne priuilegium factum est. CAROLVS tanta beneficentia, praeter opinionem adfectus, nullum gratiarum ac liberalitatis officium, in Casimirum, & ceteros Polonorum principes, praetermissit. Illo ergo Casimiri beneficio, Ludouicus, & post eum Hedwigis

Ingeni
Caroli I. apud
reges exte-
ros, existi-
matio:

Wissegra-
dum tem-
plum fit
concor-
diae:

iteratum Ca-
simiri, ve-
re Poloniae,
Wissegra-
dum, ad-
uentu:

adoptat Lu-
dovicum
in filium:

Tom. III. P p p filia,
v.) Adde, quae habet BALBINVS, Epitome
Rer. Bohem. Lib. III. Cap. XVIII.
p. 338. ubi conuentum eum, ad x.
Novemb. habitum memorat, anno
MCCCXXXV.

*) BONFINIVS, loc. cit. p. 324.
y.) Ibidem. Lege & THYROCZII Chron.
Partis II. Cap. XXVIII. p. 89.

z.) Nempe, Comitibus Cracouiae habitis,
successorem sibi statuerat, vel Caro-
lum, vel ex duobus filiis alterutrum,
Ludouicum, aut Stephanum. Vide,
scriptores Rer. Polonicar. ad hunc an-
num, & TIMONEM, in Synopsi Chronol.
Nova.

gressus locum fuisse ait. In primis frequentabatur *Wissegrádum*, cum, regia apud Polonos dignitate, auctus *LYDOVICVS*, duarum gentium milliteriis vteretur. Præter *Hungaria* enim optimates, *Polonorum* quoque primores, frequenter isthic, officii causa egisse, constat. At enim, concedente fatis *LYDOVICO*, fata simul *Wissegrádi*, conuersa sunt in deterius. Discedendum esset a proposito rationibus, si *Elisabetha* matris, & filia *Maria* res, imperiosius, quam pro feminarum ingenio, gestas, vellemus recensere. Dixisse suffecerit, relicto *Wissegrádo*, *Budæ*, regiam habuisse feminas, foedauisque postea, nuperam *Caroli* & *Ludouici* sedem, necesse *CAROLI* parui, vti subdole adornata, ita feritatis modum omnem, excedente. *CAROLVS*, nondum mortuus, hinc ad *Wissegrád*, arcem adducitur, ibique in carcere, admoto plaga pharmaco, & obstructis faucibus, interiisse dicitur. Corpus, in *Andræ* ade, sine pompa reconditum, paullo post, nescio quomodo effossum, multos annos spectatores sibi allexit; vti memoriae prodidit *BONFINIVS* (g.). Sed & *S. diadema*, contemeratum, hac eadem tempestate fuisse, idem ille, auditor est: *CAROLVS*, inquit, *Alba* conuentum frequentissimum edicit, coronam subtractam, illuc præcipit adferri. Ergo, siue custodum leuitate, siue vi alia, diadema, e conditorio exemptum fuisse oportuit. quorum tamen, neutrum adnotauere historici; si *PETRVM* de *Ráwa* excipias, qui partim minis, partim nonnullorum fauore, extortum memorat (h.) neque dubitat adfirmare, eadem sibi, eo facinore, *Carolum* accelerauisse. Id, diuino munere accidisse putamus, quod in ea rerum perturbatione, redierit postliminio, in *Maria* potestatem, & hac procurante, in *Wissegrádense* sacrarium.

§. XI.

VT *SIGISMVNDVS* sceptrum, matrimonii iure, capessuit, exolescere coepit sensim, *Wissegrádi* celebritas, *Budamque* demigrare. Fallor, an non, cædis *CAROLI*, quam sui causa patranda curauerant, regiae feminae, iusta quaedam abominatio, retentari *Sigismundum*, ne heic perpetuam sedem, exemplo foci, poneret. Itaque, accedebat is quidem *Wissegrádum*, sed vel laxandi animi causa, vel si res, secreto disputanda, ita iubebant: id quod diplomata, isthic a *Sigismundo* edita, loquuntur. Sua interim decora quomodocunque, & arci perdurabant, & vrbi. dum, nouo iterum feminae maleficio perturbarentur. *ELISABETHA* nimirum, *ALBERTI* vidua, insigni via dolo, aut largitione, *S. Coronam*, ex conditorio *Wissegrádense*, clam subducit, secumque in *Austriam* aufert. Rem gestam *THURÓCZVS* (i.), ad hunc modum in litteras misit: *Postquam coronationis peracta est so-*

g.) Decade III. Lib. I. p. 365, 37. Alicer *THURÓCZVS*: in claustrum *S. Andræ*, infra arcem *Wissegrádensem*, contructo, non paucos per annos, tabidum in cadaver redactus, intumescens iacens, arumnae humanæ, ingens speculaculum, regibusque futuris documen-

tum, & exemplum, satis grande, præbuit. b.) In *Commentario*, de *S. Regni Hungariae Corona*. p. 35. editionis nuperæ *Tyrnauientis*. i.) In *Chronico SIGISMVNDI*, Cap. XXII. p. 140, 41.

lemnitas, regina, *Elisabetha*, arcem ad *Wissegrádum*, claues & conseruatio cuius, tunc *Ladislao* de *Gára*, *Bano*, credita erant, pro reponenda suo in loco, regali corona, iter suum direxit. Est enim castrum hoc, natura loci tutum, altoque in monte, secus decursum *Danubii*, delectabilique aspectu, digna murorum arte erectum: superioribus manibus liquidum aerem, errantesque sub caelo nubes; infima vero munitione, decursus dicti fluminis, tangens. Ea propter, veteres quondam *Hungariae* reges, hanc arcem, *Corona*, tuta pro conseruatione, elegere. Ad hanc arcem, postquam regina intrauit, in repositione ipsius *Coronae*, *Barones* sibi circumstantes, sefellit. Simulauit enim, se illam, suum in locum, reponere, feminea tamen quadam astutia eandem surripicns, erga se occultauit, & per *Barones* ipsos, antiqua, tanti thesauri conseruatoria, suis vacua conseruare solitis rebus, sigillare fecit. Diuertit tandem regina, ac hinc simul cum filio, ac *Corona*, ad *Fridericum Romanorum regem*, & *Styriae* ducem; frater enim puero erat; & utrumque, tum puerum pro educatione, tum *Coronam*, pro conseruatione, illi dedit. Derogat narrationi fidem *TIMON* (k.). Atque est sane, cur dubites, quemadmodum in *Baronum*, & *prætorianorum* præsentia, locus esse potuisset dolo malo. At, *GERHARDVS DE ROO* (l.), credibilem facit, *Elisabetha* hunc astum. Id, inquit, quomodo procuratum esset, in manuscripto codice inueni, libuit paucis referre. Solebant *Hungari*, coronam suam, pannis quibusdam sericis inuolutam, in capsulam reponere, eamque procerum aliquot sigillis consignatam, multis seris includere. Regina igitur, qua hoc nouerat, cuidam expedisequis, fasciculum quendam, eodem modo, ex pannis conuolutum, iam antea dederat, cui nescio quid rei, quod, & pondere, & tactu, coronam referebat: indiderat. Huic puella, (ex *Frauenauerorum* gente fuisse perhibent) inspectantibus *Hungaris*, corona cum pannis datur, qua magna cum dexteritate, pro vera, adulterinam protulit: ea capsula inclusa, obfirmatur. Recte, quæ de *Hungarorum* adcuracione, in diademate consignando, reponendoque scribit; sed, neque abhorret a feminarum fallaci ingenio, commentum: illud vix conciliaueris, quod cum nudum inuolucris diadema, ante, *Baronibus*, quorum id intererat procurare, ostendi debuerit, quam secluderetur in conditorio; quomodo id, quaque oscitantia, ancipiti adeo rerum habitu, admittere potuerint optimates. Mibi, si fatendum, quod res est, *PHILIPPI CALLIMACHI* (m.) fides potior fuerit, qui non furto, sed fere vi aperta, saltem conuiente, *Ladislao* de *Gára*, sublatam *Wissegrádo*, *Coronam*, memorat. cuius verba vt luculentior sit disputatio, rei nondum excussæ satis, non fuerit incongruum adtexere. *ELISABETHA*, quum haud ignoraret, susceptas vulgo persuasiones, ceremoniasque aliquas, in rebus non leue momentum habere, sedandis concitandisque popularum animis, *Wissegrádum*, ubi præerat *Ladislao Gára*, prope

Ppp 3

con-

k.) Loco cit. p. 72.

l.) *Annalium Austriacorum*. Lib. V. p. 184. edit. *Oenipontanae*, fol.m.) De Rebus gestis *Wladislai Jagellonis*, Lib. I. p. 298, 48.

ea mortuo, conuersionem non unam subiit:

fadatur nee Caroli Parui:

contemeratur, eadem tempestate, sacrum diadema.

Exolescit, sub Sigismundo, celebritas Wissegrádi; cur?

Elisabetha, vidua Alberti, doctissima S. Coronam raptus:

vocatur a Timone, in dubium:

credibilem facit Gerhardus de Roo.

Philippi Callimachi, de eadem re, sententia:

contendit, Coronam, qua vetusta religione ac more, Hungaria reges initiantur, in potestatem suam redactura: ne, si eius Wladislaus potiretur, veluti rex legitimus, populos ad se conuerteret. Itaque, non aduersante praefecto, penetrare, in quo sanctissime asseruabatur, quum effregisset, illam tantummodo extulit, relictis ceteris induitiis, qua ad ritum caerimoniasque coronandorum regum, pariter adhiberi consueuerunt: nec mora, cum omnibus, qui palam sibi & posthume sauebant, Comarum se recepit. Ad hunc modum, facinus feminae, CALLIMACHVS descripsit. Legisse id puto REVM (n.); sed qui tamen maluerit fidem sequi THURÓCZU. BONFINIVS (o.) viuo adhuc ALBERTO, raptum cum perpetrasse Elisabetham, adferit: iterasque facinus, haud sine praestigiis, inaugurato iam infante: quod, quia minus consentaneum est, diuersis, quas vidimus, historicorum sententis, non possumus non haec recognoscere. Quum Budam Rex Albertus venisset, de Georgii Palocsii, Metropolitae Strigoniensis obitu, statim significatum est, cuius quidem viri, summa auctoritate praeiudicium, fatum egre tulit: IN STRIGONIENSI NAMQUE IS ARCE, CORONAM, SIBI CVM SVPELLECTILI REGIA CREDITAM, ASSERVABAT. Eo, una cum regina, Rex properat, arcemque uxori dedit: illa, cum praefectis ararii, thesauram totum recognoscit, Coronam, inter recognoscendum, clam subreptam, ancille tradit: posteaquam cetera, rite recensuit obfirmavitque, ALBERTVM sequuta, Budam rediit. EN CORONAM, non Wissegrádi, sed Strigonii custoditam, ac forte conscio Alberto, nisi iubente prorsus, ablatam! quod iam disputent alii. At, de iterato raptu, sic habet (p.); nam ne id quidem silendum putamus: Peracta coronationis solemnitate, solutoque conuentu, mater, cum puero, & honesto procerum comitatu, Wissegrádum concessit, ut in arce munitissima, cui Ladislaus Gára praerat, sacrum diadema reconderet; quemadmodum veteres, editissimum tutissimumque locum asseruanda Coronae, hunc unicum dicarant. Atqui, in arcem ubi conuentum est, omnes, qui aderant, optimates, regina sefellit: quippe qua, dum futura discrimina veretur, quam recondere simularat, Coronam, iterum subtraxit, & praestigiū dexteritate freta, spectatorum lumina eludit: mox reconditorium, obfirmato, ab optimatibus, thesauro, iussit occludi, reliqua. Quidquid eius sit, rem non amplius morabimur.

§. XII.

Facinus Elisabethae, mulierum bellicorum, & calamitatum, cuius-
sa:

HAUD interim piguit infortunatissimi euentus rationes has eo adtentius, excussisse, quo magis constat, conuersionum, quibus obnoxiam fecere Coronam, inimica Hungariae fata, hanc facile fuisse perniciosissimam: quod constata hinc, inter Hungaros, & Austriacos, odia (q.), cruentis bellis occasionem dederint, emanxerintque

n.) Loco, quem supra adieciimus, p. 39. p.) Ibidem, p. 418, 2. seq.
o.) Decadem. Lib. iv. p. 413, 49. q.) Vide, querulantem ibidem REVM.

que gentem nostram, ingenti auri vi, cum ab auidissimo Friderico, frustra armis repeteretur. qua de re dictum alibi est. Ladislao interim Gára, multum, haec, aduersus sacratissimum pignus, maluolentia, an impietas, & bonae famae detraxit, & acceleravit malorum. In ea disceptatione (cum nimirum deprehensum erat sacrilegium) multa probra iacta in Ladislaum Garam, inquit CALLIMACHVS (r.), cuius maxime permissu regina, sacram Coronam interceperat, egregue a vulneribus & cade temperatum: intercedente rege, propter fidem, accedendi se libere, obligatam: captus tamen est, custodiaque traditus. Cumque rex deprecaretur, & fortune se, quam fidei iacturam facere, satius duceret, vix post triduum, ut liberaretur, impetrauit. Amotus tamen est praefectura Wissegrádi, subrogatusque in eius locum, Vincentius Sciamaculeius. Atque ad hunc modum celebritate sua, Wissegrádum excidit, quando amisso palladio, & in peregrini hominis praefecturam venit, neque frequentabatur postea, donec MATTHIAS CORVINVS, iterum potitus, arcem non minus, quam urbem, aedificiis recoleret. Ob iter rem memorat GALEOTVS MARTIVS (s.) VICEGRÁDVM, nomen regiae est, a Buda uno schueno distantis, prope Danubium aedificata, cum eiusdem nominis oppido. Aedificauerunt quidem antiqui reges; sed rex MATTHIAS omnia renouauit, & magnificas aedes construxit. Nam, supra omnes homines, aedificiis pulchris, oblectatur, coque, in aedificando ingenio est, ut cum peritissimis architectis, decora & commoda aedium diuisione, non sine victoria, certarit. Credo equidem squaluisse in cultu, inde ab Alberti factis, usque ad Coruini aetatem, Wissegrádi palatia, ut habuerit rex laudatissimus, quod, siue instauraret, siue, more suo, ab imis fundamentis, magnificentissime educeret. Id est, quod in MATTHIAE laudibus refert BONFINIVS (t.): ad VICEGRÁDVM, inquit, praestorum quondam regum arcem, in editissimo loco sitam, subiacentem regiam, sic amplificauit, sic hortis, viuariis ferarum, & piscinis excoluit, ut aedificiorum superbia, alia quoque superare videatur. Apparatus hic Attalicos, & laxa triclinia, ambulacra, testorio opere, candidissima, & fenestras superbissimas, cernere erit. Hic horti fontesque pensiles, qui porphyreo marmore, aeneoque folio, culti sunt. Digna profecto Coruino magnificentia!

§. XIII.

AT enim vero, nemo Wissegrádum, NICOLAO OLÁHO, Archiepiscopo postea Strigoniensi, descripsit (u.), seu lautius, seu luculentius: cuius ideo hypotyposin, adscribemus consulto: WISSEGRÁD, inquit, quod Germani, Plintenburg vocant, oppidum, ab-

r.) Inibi p. 306, 24. lege BONFINIVM, Dec. III. Lib. IV. p. 224.
s.) De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis. Cap. IV. p. 367. collectionis Bongariana.
t.) Decadis IV. Lib. VII. p. 633, 6.

u.) In HUNGARIA sua, Cap. VI. p. II. §. II. seq. quam nuper in ADPARATV nostro, ad Hist. Hung. Decadis I. Monumento I. ex manuscripto codice, in lucem publicam emittimus. PISONI, A. MDCCXXIV. fol.

Ladislai Gára, ob trahitum diadema, pona:

Wissegrádi, sub Matthia, iustantio:

Galeoti Martii;

Bonfinii & tom, in de ro, colli- uoniam.

Luculentus, Wissegrádi, in Nicolao Oláho, descriptio:

abest Buda, occidentem versus, quinque miliaribus, conditum ad ripam Danubii, in radicibus silva vastissima, pardorum aliarumque ferarum altricis. In fronte oppidi, ad plagam orientalem, aula extructa, plus, quam dici potest, & situ decora, & impensis magnifica, & palatiis, aliisque adificiis, vere regis, praestantissima: utpote, quae unica, quatuor regibus (v.), cum suis ordinariis, ut vulgo vocant officariis, eodem tempore commodum praebuit hospitium. Dicitur enim continere, trecentas quinquaginta & ultra aedes. Porta huius patet in Danubium, a se bis centum circiter passus recedentem: quo interstitio, per id spatii, quod est inter oppidum & portam, consita sunt arbores. Altera ex parte, orientalis aula hortus est: vitibus & arboribus fructiferis amoenus. Oculis ingredientium portam, offertur statim area spatiosissima, in omni parte viridis, floribus pratensibus vernans. Ad centum & ultra e porta passus introrsus, incipit gradus ex quadratis lapidibus, septem aut octo latus utinas, altis vero quadraginta circiter passus. Hic area est quadripensis, fornicibus siue cellis vimariis, pro regio sumptu, & amplis & magnificis, insidens instructaque, lapidibus pariter quadris strata: in qua, iuxta aquam dimensionem, plantatae sunt tiliae arbores, & odoribus verno tempore fragrantissima, & aspectu placidissima. Huius in medietate, exurgit fons, miro artificio, ex rubro fabricatus marmore, cum sculptis Musarum imaginibus. Ex cuius cacumine, effigies Cupidinis, utri marmoreo insidens, aquam exprimit, quae non minus sapida, quam frigida, ex vicini montis fonte, per canales eo deducta, cum iucundissimo strepitu, in lancem, ex siphunculis defluit marmoream, hinc in labrum orbiculare. Hic fons, MATTHIAE illius Coruini Regis iussu, (cuius uniuersa haec adificia, quae narro, sunt opus) dum plerumque triumphum ageret, vino, & ut a maioribus accepi, nunc albo, nunc rubro, fluebat, superius, in radice montis, arte canalibus immisso. Hoc in loco, Rex ipse, verno aestiuoque sole, florentibus floribus, solebat apricari, auram captare, pranderetque, nonnunquam etiam legatos audire, & dare responsa. Ergo secessus fuit Wissegradum, omnium, quos habuere reges Hungariae, amoenissimus, & instructus ad voluptatem. Pergit OLAVVS: Narratur res, non minus risu digna, quam memorabilis, olim eo loco contigisse. Turcarum quidam legatus, dum, ut moris est, ab aulicis Regis, ex oppido, legationis suae exponenda gratia, in aulam deduceretur, & in porta, unde rectus patet, ad hanc pensilem aream, aspectus, parumper substitisset, circumspiciens, tantam loci illius amoenitatem splendoremque, & aulicorum, tam in inferiore, quam superiore, ubi Rex erat, area, infinitam multitudinem, serico, argento, atque contextis indumentis, atque non ex minima sui parte baltheis (ut moris est nostrorum Hungarorum) ensibusque argenteis, ac torquibus aureis ornata, tanta subito admiratione stuporeque percussus est, ut totius suae legationis obliuisceretur, &

de legato
Turcarum,
ad aulicorum
istud, a
Matthia,
admissio, le-
pida narra-
tio.

v.) Confer BONFINIVM, Decad. II. Lib. IX.
p. 323, 23. Item, Vicam CARO-
LI IV. in Rerum Bohemiar. anti-

quis scriptoribus p. 96, 22. edit. Ha-
nouic. A. MDCC. IOL.

& dum per gradus in conspectum Regis ascendisset, propter eius aspectum, qui ob magnos oculos, cruore veluti persusos, terrorem insipientibus incutebat, conceptus iam antea timor, ita magis ac magis hominem occupauit, ut post diuturnum silentium, nihil aliud proferre potuerit, quam: Caesar salutem! Caesar salutem! Quem, cum Rex interrogaret, an quid ultra vellet? ille nihil respondit. Rex, viso, hominis tam nihili, stupore, ad suos, qui adstabant, purpuratos conuersus: Videte, inquit, quales bellux, nostros & aliorum principum Christianorum fines, negligentia nostra publica, incurserunt: verum, quantum in me erit, curabo fræna his belluis imponere, ne tam licenter excurrant. Si alii etiam principes, socordia, & internis dissensionibus sepositis, hoc idem praestare curarint, agetur bene de rebus Christianis. Iubet deinde legatum reduci ad hospitium. Vade, inquit, respira, respice! Ei, post multum temporis, reuocato, significatum a Rege est; ut domum rediret, nunciaretque domino suo, alium mitteret, qui legatione fungi sciret. Ita ille, pro regis dignitate, magnifico nihilominus munere oneratus, coactus est cum rubore reuerti. Hac, quamquam in rem praesentem minus pertinebant, nolui tamen silentio praeterire. Scilicet, fuit hoc in

Coruini,
in accipien-
dis legatis,
mos.

§. XIV.

Nondum satis, de loci, cum venustate, tum opportunitate etiam, dictum ab OLAVO est. Itaque, pergit eius habitum, viuis quasi verborum coloribus, depingere: Introrsus, ad latum area, in radice montis, qua paullo eleuatio est, extat sacellum amoenissimum, operibus musaicis, ut alia etiam, pro maiori parte, aedes, stratum, in quo instrumentum est muscum pretiosum, quod vulgus Organum vocat, fistulis nonnullis argenteis ornatum. Praeterea, reseruaculum Corporis Dominici, & tria altaria, cum structuris & tabulis, ex alabastro purissimo inaurato sabrefactis. Hinc orientem versus, palatia regia, tabulatis inaurata, bifariam protenduntur, miro artificio fabricata. Altera via, ascenditur in palatium oblongum, cui mons ipse imminet; altera, descenditur ad inferiores adium partes. Hic quoque in medio arcola, fons est, ex alabastro exurgens, quem ambit ambulatio, columnis marmoreis sustentata, quae a solis aestiuo ardore tuta est. Tum aedes ipsae recurrunt in septentrionem; postremo, occidentem versus redeunt: quarum omnium fenestrae, in decurrentem, latissimo alueo, Danubium, proiciuntur. Quod maxima est prospicientibus amoenitati; praesertim, cum e regione, ultra Danubium, ex colonis germaniae, ternatur Maros oppi-

Wisse-
gradi, ex
Olavo, ad-
ambrosio:
sacelli fa-
cies:

palatii ha-
bitus:

TOM. III.

299

dsim:

x.) Loco supra citato, capite IV. integro.

dum: supra quod, mons exsurgit, longus magis, quam altus, vineis totus confusus. Hac aula, præter situs amœnitatem, tam pretiosis ædificiis ornata est, ut sine controuersia, plurimorum regnorum ædificia, superare videatur, & nusquam uiderim, quidquid regnorum in hunc diem peragrarem, ædes paribus ornamentis structas. In ipsa sola Lutetia, Parisiorum urbe, eo loci, quem vulgus, Aulam Parlamenti vocat, in qua ius dicitur, negotiumque tractatur regis, unicum uidi cameram, in similitudinem harum, & Budensium ædium, tignis tabulisque inauratis, fabrefactam. Hæc, credo, & alia quæuis decora, animo obuersionibus, cruditis Tyrnauensibus, dum cothurnato dicendi genere, insolentem hunc arcis habitum (y.) ita descriperunt: WISSEGRADVM adest, cedite regiæ, principum palatia, cedite! aut, si causæ fiditis, date trecentas & quinquagenas, in vnum corpus coactas ædes, plurimas tristegas. Præbete, quatuor regibus, vna amplissimum hospitium. Ostendite conclauia, tignis tabulisque inauratis, plus quam dici potest, decora: vnum aliquod simile proferat Parisi, in aula, quam vulgus Parlamenti vocat. Vultis plura: exhibete pensiles areas, fontes alabastrinos marmoreosque, miro artificio confectos, ac vino, modo rubro, modo albo, fluentes, dum MATTHIAS triumphos ageret. Fastosiorrem hanc prouocationem dixerit nemo, nisi Wissegradis decorum ignarus. Iam, & de peculiari illa arcis Wissegradiensis prærogatiua, audiendus est OLÁHVS, quam ei S. Corona hospitium, immo perpetua sedes, dum se rite habebant tempora, conciliauit. *Supra aulam, inquit ille, in altissimo, prærupti montis cacumine, lateribus undique siluosis, exstructa suspicitur, veluti quispiam nidus, arx fortissima. Huic præficiuntur, more maiorum, ex regni proceribus, non solius regis arbitrio, sed totius regni electione. (In ea custoditur CORONA, quam nos sacram vocamus, cum privilegiis, & aliis regni iuribus.) Hæc parietibus undique conclusa sunt. Duo hi proceres, firmissimo adiguntur iuramento, ne perfractis parietibus, diadema regium, ex ea arce aliter educant, quam ad totius regni & regis, unanimem deliberationem, qua non aliis temporibus fieri consuevit, quam in coronatione Regis & Reginae. Per hos proceres, substituantur alii duo arcis præfecti, quorum alter, per totum semestre temporis spatium, diadematis regio custodiendo incubat, nec toto hoc tempore, sub vita periculo, pedem efferre audeat, donec collega, in eius succedat locum. Ab ea arce dimissus est murus, per montis præcipitium, ad aliam usque arcem, fluctibus Danubii obnoxiam, que aquatica vocatur. Hæc moenibus suis, & hortum, mira amœnitate, lateri aule adnexum, & eandem aulam, oppido coniungit confirmatque. Hæc tunc arcis oppidique facies fuit, hi ornatus, iuraque præcipua, ut habeamus omnino, cur arcis, vrbisque fortunam, Hungari doleamus; si doluisse sit satis, quod dedolere possis nunquam.*

Inudatio
ædificii:

arcis Wis-
segraden-
sis, supra
laris, ubi
conserua-
tionem S.
Coronæ,
prærogati-
ua.

§. XV.

y.) Celebriorum Hungaricæ Urbium, Parte III. fine.

§. XV.

Post redemptam, a Friderico, septuaginta millibus aureorum nummum (z.) S. Coronam, rediit iterum Wissegrado, pristinum decus. Tametsi enim, Budam primum delata, inque arce recondita fuit, sicuti memorat BONFINIVS (a.) tamen, reponendam vetere in conseruatorio, Rex & Ordines, decreuere. E re lectoris fuerit, si eam sanctionem adscripserimus: Quia nouimus Nos, & nouerunt omnes domini Prelati, & Barones nostri, nouit etiam tota communitas regni, quomodo & qualiter, propter indebitam custodiam, & prouisionem S. Coronæ, ipsa Corona fuit ab hoc regno alienata. In cuius alienatione, irreuerabilia damna, & indicibilia spolia, & multas incommoditates, hoc regnum passum est, & tandem post, multos labores & satyria, & graues expensas, ipsa Corona, ex pecuniis communitatis regni, nouissime est redempta. Nos ergo volumus, ut debemus, de pari consensu & voluntate dominorum Prelatorum & Baronum, ac regni nostri nobilium, hoc in loco prouidere, circa debitam custodiam & conseruationem ipsius Coronæ sacræ, locum alias consuetum, & personas ad id idoneas, ne (quod Deus auertat) ipsa Corona, iterato ab hoc regno alienetur. Ita habet sanctio (b.) Proinde, breue diadematis in arce Budensi, fuit hospitium. Sequentem enim, quam redempta est, anno MCCCCLXIV. post MATTHIÆ inaugurationem, relata Wissegradum fuit. Qua quidem re, instaurabatur iterum, cum arcis prisca illa gloria, tum celebritas oppidi: heic enim Rex, frequentissime hospitabatur; illic, diuinissimum pignus, maiore iam adtentioreque cura ac religione, custodiebatur. Durauit hæc Wissegradis felicitas, donec in viuis agebat MATTHIAS. Simul is, Vienna, anno MCCCCXC. naturæ debitum, fatis, res Hungaricas, vrgentibus, persoluit; uti gens vniuersa, regnumque, sic & Wissegradum, in pessimam fortunam indui cœpit. Nimirum, futurorum malorum, non ignarus MATTHIAS, ut gradus, ad regiam dignitatem, instrueret, Iohanni, ex pellice Silesiaca, filio, CORONAM (c.), opes, thesaurum, arces omnes, ante legarat; quin & præfectos omnes, & magna ex parte principes, in filii iurare manus adegerat. Ergo, ne patre mortuo, se ipsum, per ignauiam deserere videretur Iohannes, arces, quas in potestate habebat, validis præsidis committit, ac post Budam, Wissegradensem in primis, Coronæ illud conditorium. Qua ille quidem prouidentia, non modo non profecit, sed deturbatus etiam a spe regni, in calamitates præcipitauit, quæ acceptas a patre opes, miserandum in modum dissipauerunt. Ambienti enim regnum, aperte, a senatu responsum; regem numquam futurum, sed rege paulo inferiore: ne aterna MATTHIÆ beneficia, apud proceres interuisse viderentur. Pacta cum eo inita, uti, si regium diadema, regiasque

Adfirma-
tur ea
Willegea-
do, publi-
co comitio-
rum decre-
to:

eam, post
Matthiæ
fata, con-
uersione:

ceptissimæ,
vna cum
diademate,
& Iohanne
Coruino,
detinetur:

Statum,
eum ab
rem, indi-
gnatio:

Q99 2

arces

a.) BONFINIVS, Dec. III. Lib. x. p. 532.

31. qui pag. seq. lin. 36. sexaginta mil-
lium tantum meminit.

a.) Ibidem. p. 533, 3.

b.) MATTHIÆ Coronæ, Decreto II. Art. II.

c.) BONFINIVS, Decade IV. Lib. 659, 46.

artes sponte reddiderit, cum proceribusque consenserit, *Bosnia, Croatia & Slavonia regnum inerat, omniaque oppida, vicos, thesaurum & dominatus, a diuo patre legatos, perpetuo habeat, & pro altero rege habeatur (d.).* Quibus ille quidem conditionibus, acquiescisse visus est; sed sollicitatus a suis, sibi ipsi constare non potuit: maxime, cum *Sigismundi, Episcopi Quinqueeclesiensis, & Laurentii, ducis Vjlakienfis factione, languentes suas partes, instaurari cerneret.* Ergo, in pessimam fortunam indutus, victusque ad *Sárvizum, ægre, a Beatrice regina mitigatus est, vti latas concordie leges, (e.)* acceptaret.

§. XVI.

Pergit, Coruini arcem & diademata, detinere, Wladislao iam electo.

Ordinum sollicitudo, sine recuperandi caus. sa.

arcis obsidio, & facta a Blasio prefecto, una cum Corona, deditio.

diademata, Budam inuictum.

ADHUC vero, *Blasius, Budensis aulae procurator, Wissegradum, cum Corona, Iohannis nomine, obtinebat; dum interim Wladislavs, cocuntibus, in eandem sententiam, proceribus, rex declaratur, atque, ab honestissima legatione inuitatus, e Bohemia, in Hungariam venit, Budam subit, fratremque Albertum, regni cotriualem, confocillata quomodocunque concordia, a spe dignitatis, in Hungaria, regie, deicit.* Id sollicitum in primis *Wladislavum, iuxta & proceres, reddebat, quod in potestate Coruini adolescentis, Corotia esset, sufflumen facile positura inaugurationi, nisi maturius, ex aliena potestate, vendicaretur.* Quamobrem, duos peditum prefectos, *Wissegradum ex templo mittunt, qui Coronam repeterent, & nisi prompte id facerent, qui erant in praesidio, rem, vi aperta gererent.* Recusavit primum, obliuato animo, *Blasius, se id facturum.* Ergo, arcta obsidione arx incingitur, sunt, hinc atque illinc, adiutus; dum *Blasius (f.)* qui arcem, cum praesidio tenebat, desperata *Coruini* fortuna, auxiliariisque copiis, persuasus ab aliis, *Vrbano Agriensi, & Sigismundo Quinqueeclesiensi, pontificibus, non inconsulto inuitoque Coruino, Coronam, arcemque reddidit, ne perpetuus patrie hostis haberetur.* Prima hæc, sub Hungaris regibus, *Wissegradum* obsidio fuit, detestanda omnino, quod ob sacrum diadema, civili seditione, suscepta. Enim vero, sub idem tempus, dum oppugnatur *Corona* sacrarium, Vienna primum, mox & Austria reliqua, a Hungaris deficit; ne deesset prodromus malorum, quæ proxime inundatura erant Hungariam. Ceteroquin, IV. Calend. Sept. Coronam sacram, *Wissegrado, pontifex Zágrabiensis, Budam, in adem D. Genitricis, in magna, occurfantium sacerdotum, & procerum, celebritate, detulit.* Mox sacris rite peractis, a duobus creatis assenatoribus, quorum alter *Vrbano, Stephanus Báthor* alter erat, triumphali curru, elatis manibus, inuicta, & subsequente, cum frequentissima procerum manu, rege, in arcem regiam delata, ibique, adnotis excubiis, in coronationis usque diem, est recondita. Verba sunt *BONFINII (g.)*.

§. XVII.

*g.) BONFINIUS ibidem p. 664, 8.
h.) Idem, p. 669, 1.*

*f.) BONFINIUS Dec. eadem Lib. x. p. 673, 44.
e.) Inibi, p. 676, 37.*

§. XVII.

WLADISLAV tandem inaugurato, pacataque vniuersim, *Hungaria, lex, publicis comitiis, perlata est, vt suo in sacrario, diadema, adseruaretur perpetuo.* Scripta (h.) vero est nouo regi, in hunc modum: *Quod Coronam Regni, de manibus Dominorum Pralatorum & Baronum, nulla causa, vel quæsto colore, nulla etiam industria, vel arte auferat; sed permittat & patiatur, quod iuxta veterem consuetudinem & libertatem ipsorum, certi, de ipsorum medio, per ipsos vnanimiter ad hoc eligendi & deputandi, illam teneant & conseruent.* Quodque castrum *Willegrad, pro conseruatione ipsius Coronæ, ab antiquo deputatum, ad manus ipsorum conseruatorum, eiusdem Coronæ, dari & assignari faciat.* Ita tunc, fidem regis obstrinxerant Ordines. Iisdem comitiis, ea quoque prerogatiua adfirmabatur *Wissegrado, vt thesaurorum regni esset receptaculum, quibus iidem illi Coronæ custodes, adtenderent.* Adiecerat Hungarica ditioni, *MATTHIAS, Morauiam, Silesiam, Lusatiamque, quæ regiones, ne temere alienarentur, a Corona Hungariæ, peculiari sanctione, cauendum existimauere Status.* Per scripta est (i.) ad eum modum; vt si tamen regiones easdem, representato ære contingeret, redimi; *ex tunc, illa totalis summa pecunie, ad manus Conseruatorum Coronæ, ad Willegrad, penes Coronam, pro regni necessitate, conseruanda, assignaretur.* Fuere autem tunc, quod supra dictum est, *Conseruatores Coronæ, Vrbano pontifex Agriensis, & Stephanus Báthori.* His, *Stephanus Sirmiensis Episcopus, & Andreas Báthori; atque iis quoque abrogatis, Stephanus de Zápolya, Palatinus, & Thomas, Episcopus Iauriensis, in eo muneris genere, successere.* Vtriusque *Castellanum, siue vicarium arcis prefectum, Ladislavum Kolos de Nema, fuisse, PETRVS DE REVA (k.)* auctor est. qui & formulas nobis adseruauit, quibus fidem suam, gemino hero, obstrinxit. Nos, vtramque, adscribendam heic censemus, ne ignorent lectores exteri, qua religione, quaque industria ac sollicitudine, caelestissimum pignus, custodierint olim Hungari.

§. XVIII.

ET formula quidem prior, qua fidem spondebat, *THOMÆ, Iauriensium pontifici, ita se habet: EGO, LADISLAVS KOLOS de Nema, Castellanus Castri Wissegradiensis, recognosco, & tenore presentium notum facio, quibus expedit, vniuersis. Quod, ex quo Renouandissimus in Christo P. D. Thomas Episcopus Iauriensis, & electus Agriensis, Dominus meus, inter reliquos familiares suos, me, in Castellatum Castri huius Wissegrad, ad custodiam sacra Coronæ, praefecit, &*

Qqq 3

depu-

*h.) Decreto Wladislav I. ad annum mccc. xciii. Art. iii.
i.) Inibi, Art. iv.*

k.) In Commentario de S. Corona R. H. p. 59. seq.

Post Wladislavum inauguratum, noua, de Corona conditorio Willegradensi, lex perferatur.

fit thesauri regni receptaculum.

Custodes S. Coronæ, tunc qui?

Iurisdictioni formula, qua obstringsantur, bonum castellani.

deputavit. Ob hoc promitto eidem, sub fide mea Christiana, ac sub honore & humanitate (l.) mea, iuroque per Deum vivum, & per Virginem Mariam, omnesque Sanctos, quod eidem Domino meo Episcopo, a modo, in hoc officio fidelis ero, & fideliter serviam, dictumque Castrum, & sacram Coronam, fideliter custodiam & conservabo. Ceterum, si ipsum Dominum meum Episcopum, aut mori, aut fortuna adversa, opprimi contingat, castrum ipsum Wissegradiense, & ipsam Coronam, quoad partem eiusdem Domini mei, & loco sui, Venerabili Domino Francisco Præposito Budensi, germano suo, fideliter asseruabo, & sacram ipsam Coronam, de loco illo, ad quem idem Dominus meus, una cum Spectabili ac Magnifico Domino Stephano de Zápolya, Comite Scepusiensi, & Regni Hungariae Palatino, reposuit, sine scitu, & libera voluntate, ac expresso consensu, nunquam remouebo, neque manus meas, ad illam apponam, & neque Regia Maiestatis, neque Prælati & Barombus, neque aliis quibusvis, illam assignabo. Quandoquidem vero idem Dominus meus Episcopus, aut in casu præmissi, præfatus D. Franciscus Præpositus, a me, idem Castrum, & eandem sacram Coronam, quoad partem suam rehabere, meque inde remouere, & alium loco mei præficere voluerit, sine omni difficultate & renitentia, quesitoque colore, remittam & resignabo. Hoc tamen addito: quod nec eundem Dominum meum Episcopum, sed neque præfatum eius germanum, cum tot hominibus ad Castrum ipsum intrmittere tenear, quot me, & socio meo Castellano, vel ad nos pertinentibus, potentior seu fortior fieri possit, neque etiam plures gentes, intrmittere & acceptare tenear, quam est ordinatum, vel quam socius meus, Castellanus scilicet Domini Palatini, pro tempore habebit. Si tamen continget, quod aliquis potentum Castrum ipsum obsideret, in tali casu, gentes eiusdem Domini mei Reuerendissimi, & præfati D. Palatini, vel Spectabilis ac Magnifici D. Iohannis, eiusdem filii, aequali tamen numero, cum socio meo, pro tempore constituto, pro Castri defensione intrmittere sim obligatus. Quod quoad custodiam & conservationem huius castri Wissegradiensis & sacrae Coronæ, debite & præcise eandem fidelitatem, quam ipsi Domino meo Episcopo, & consequenter dicto Domino Francisco, eius germano, tenere sum obligatus; etiam præfato D. Palatino, & consequenter dicto eius filio, D. Iohanni, tenere debeam & sim adstrictus, nihilque plus in hac parte ipsi Domino meo Episcopo, & dicto germano suo, quam præfato D. Palatino, eiusque filio, D. Iohanni, sim obligatus. Quæ omnia, sub præmissa fide mea Christiana, & sub amissione honoris & humanitatis meæ, ac incursione perpetua infamiae ac periurii, eidem Domino meo, Thomæ Episcopo, & præfato D. Francisco Præposito, eius germano, fideliter, inuolabiliter, inconcusseque, iterum atque iterum, iuro ac promitto obseruare. In cuius rei fidem, ac testimonium & robur, præsentis litteras sigillo meo proprio, cum propriis

l.) Hungarismus est, ut Embertz, quod ad verbum, Humanitatem significat, dicatur, pro eo candore ac fide, ad

quem naturæ instinctu, qua homines, tum & ciues, obstricti sumus.

armis nobilitatis meæ, consignatas, eidem Domino meo Episcopo, & consequenter præfato suo germano, dedi & assignavi. Datum in præfato Castro Wissegrad. Anno Domini 1493. Plura hinc condiscas: quorum illud præcipuum duco, quod, & Thomæ, & Stephano, sui fuere vicarii; illi, frater germanus, Franciscus, Præpositus Budensis; huic filius suus Iohannes, postea Hungariae rex. Id vero, publico regni comitio, ad eum modum fuisse decretum, fas est existimare. Sed Castellanos quoque, eximia polluisse auctoritate, inde colligas, quia, armatos, ultra modum, heros, stipatosque validiori, quam quod arci inerat, præsidio, non tenebantur intra castrum admittere. Duo horum, pro Custodum Coronæ numero, fuere. quem morem hodieque obtinere, in historia arcis Pisonienlis, (m.) diximus.

quidam inde condiscatur?

§. XIX.

Suppar huic, altera est formula, qua se, STEPHANO de Zápolya, Palatino, & huius filio, IOHANNI, deninxit, idem iste Ladislaus. Ego, LADISLAUS KOLOS de Néma, nomine Reuerendissimi Domini mei Thomæ, Episcopi Iauriensis & Agriensis Ecclesiarum, &c. Castellanus Castri Wissegradiensis. recognosco, & tenore præsentium notum facio, quibus expedit, vniuersis. Quod, ex quo idem Dominus meus Episcopus, Castrum hoc Wissegradiense, & sacram huius Regni Hungariae Coronam, de voluntate Regia Maiestatis, & totius Regni, cum Spectabili, ac Magnifico D. Stephano de Zápolya, Comite Scepusiensi, & eiusdem regni Palatino, pariter & communiter tenet, meque Dominus etiam Episcopus, in Castellano eiusdem castri, & custodiam sacrae Coronæ, præfecit ac deputavit, velletque, ut ego eundem D. Palatinum, de obseruanda sibi fidelitate, tutum ac securum redderem; ob hoc, promisi eidem, promittoque, sub fide mea Christiana, & sub honore ac humanitate meæ, iuroque ad sancta Euangelia, & per Deum vivum, & Gloriosam Virginem Mariam, omnesque Sanctos, quod in conservatione & custodia, eorundem, castri & sacrae Coronæ, eidem D. Palatino, & si eum, aut mori, aut fortuna adversa (quod DEVS auertat) opprimi contigerit, Spectabili ac Magnifico D. Iohanni, eius filio, directe & præcise, eandem fidelitatem seruabo, quam præfato Domino meo Episcopo, & consequenter, Venerabili D. Francisco, Præposito Budensi, eius germano, sum obligatus, & quod in hac parte, nihil plus, neque magis, eidem Domino meo Episcopo, & eiusdem germano, quam ipsi D. Palatino, & dicto filio suo, obligatus & obstrictus esse volo. Item: quod contra ipsum D. Palatinum, & consequenter in casu præmissi, contra dictum suum filium, D. Iohannem, eorundemque Castellano, præsentem & futurum, & ad eosdem pertinentes, aliquo ingenio, arte, dolo, & fraude, palam vel occulte, directe vel indirecte, nihil omnino in habitatione ipsius Coronæ, & Castri attentabo, nec attentari faciam; quodque Coronam ipsam, de loco, ad quem in hoc Ca-

Altera, in eandem sententiam, formula.

m.) Operis nostri, Tomo II. p. 152. sequ. in Arcis Pison. hist. §. IX. 2.

stro Wissegrád, prafatus Dominus meus Episcopus, cum eodem Domino Palatino, reposuit, absque scitu, requisitione, & expressa, liberaque voluntate, & consensu eiusdem Palatini, ad requisitionem & propriam commissionem, dicti Domini mei Episcopi, vel in casu iam expresso, prafati germani sui, nunquam remonebo, aut alio assortabo, vel cuipiam uiuenti in mundo, assignabo, nec manus meas apponam, vel meorum apponi faciam, aut quidquid aliud de ea, quauis via excogitata, attentabo, vel attentari faciam. Item: quod prafatum Dominum meum Episcopum, vel dictum suum germanum, nunquam cum tot hominibus intromittam, quod me & Castellano eiusdem D. Palatini, socio scilicet meo, hominibusque nostris, fortior, siue potentior esse possit: & neque in numero plures gentes, eiusdem Domini mei, & germani sui, ad castrum intromittam, vel acceptabo, quam quod est per eundem, & ipsum D. Palatinum, iam ordinatum, vel quot socius meus, Castellanus scilicet eiusdem D. Palatini, pro tempore habebit. Si tamen contingeret, quod aliquis potentum, castrum ipsum obsideret, in tali casu, gentes eiusdem D. Palatini, sicuti & D. Episcopi, in pari, tum, & in equali numero, cum socio meo, pro tempore constituto, pro castrum defensione, intromittere tenebor. Generaliter vero, nihil tale, in negotio huius castrum, & sacra Corona faciam, quod honorem eiusdem D. Palatini, vel etiam filii sui, aliquo pacto offenderet, aut ipsi displicentiam, vel damnum, aut periculum, vel scandalum aliquod generare possit. Qua omnia, sub praemissa fide mea Christiana, & sub amissione honoris, ac perpetua infamia & periurii, eidem D. Palatino, dicto Iohanni eius filio, fidelitatem inuolabiliter & inconcusse, iterum atque iterum iuro & promitto obseruare. In cuius fidem, robur, & testimonium patentes litteras meas, sigillo meo proprio, cum propriis armis nobilitatis meae, consignatas, eidem Domino Palatino, & consequenter eius filio, dedi & assignaui. Datum BVDAE, in festo Beati Demetrii, Anno Domini MCCCCXIII. Ergo, paterno hoc iure, ad Coronae custodiam pertigerat Iohannes; quam ei postea adfirmatam publice, existimo, quando abrogata praetorum custodia, solis secularibus, adtributa ea dignitas fuit (n.).

Iohannes de Zápo-
lya, Corona
Castro.

MORNO
Wladis-
lao, & post
cladem Mo-
hátia-
nam, qua
castrum, &
Diadematis
fuerit
fata?

Ista, Wissegrádi, & S. Coronae, sub WLADISLAO, fortuna fuit. Habuit nimirum, requieta omnia, dum Mohátiana clades, gentem, cum regione uniuersa, conuelleret. Quid autem eo bello, seu Wissegrádo euenerit, seu sacro diademati, non reperio. Idem fatetur PETRVS REVA: Wissegrádi uero, Coronae domicilii, qua fortuna, in fortunatissimo bello fuerit, altum est apud historicos silentium. Indubium tamen est, Coronam sacram, vim & periculum Turcarum tunc euasisse, in praesidio ac tutela Dei, a quo nobis reuelata & data est. Sed postmodum, non minus mire, quam misere iactabatur. Nos, fata diuinissi-

s.) Anni MCCCCXVIII. Art. XXV. & A. MDV. Art. XXII.

§. XX.

mi pignoris, alibi (o.), ex instituti ratione, recensuimus. Indoluisse suffecerit, post inauguratum IOHANNEM, nunquam Wissegrádum reuifitse sacram Coronam. Arcis certe res, postea quam orbata est, suo illo praesidio, ruebant in deterius: quod infra recognoscemus. De urbe ipsa dicendi iam locus est. Donauerat eam, insolenti, neque congrua Christianis legibus, immunitate, MATTHIAS CORVINUS. Hanc proinde, abrogandam censuere Ordines: quod viderent, impunitati scelerum patrocinari. Sanctio (p.), quam in eam rem, anno MCCCCXCII. edidit, istiusmodi est: *Ille damnabilis libertas, ciuitati Wissegradensi, per quondam Dominum MATTHIAM Regem concessa, ea videlicet; quod nemo de quocunque excessu, sed nec debito, cuipiam iuristare, de ciuibus ipsius ciuitatis, deberet; omnino extincta, abolitaque, ac inanis & uana habeatur.* Mireris, æquissimum regem, & scelerum exactorem seuerissimum, potuisse committere, ut tantopere fræna laxaret, uti licentiae omni, ita magistratum contemtui. Equidem, in ea sum opinione, processisse eo indulgentiae, regem optimum, non tam suo ipsius iudicio, quam ciuium fraudibus ac lenociniis. Nam, fit non raro, ut homines subdoli, quos frequenter apud se habent, principes, inescant, & trahant in partes suas, etiam iniquissimas. Neque satis erat Ordinibus, semel eam legem tulisse: sacrabatur octennio post (q.) iterum: *Libertas ciuitatis Wissegradensis, & pertinentiarum eiusdem, nec non similiter pertinentiarum castrum Damas, ex quo libertati regni prauidetur, simpliciter aboleatur.* Credo, reluctatos fuisse Wissegradenses, legi illi, ut necessum fuerit, inculcari eandem denuo. Alioquin, fuit Wissegrádum, in iis bonis olim, quae Coronae accensebantur, neque a regibus ipsis poterant, nisi conscio regno, alienari. Ita legas, in anni MDXIV. decretis, (r.) post octo liberarum Regiarumque urbium, Cumatorum item, & Philisthorum mentionem: *nec non Wissegrád, cum duabus insulis, Chepel scilicet, & altera, Ros appellatis, infra Wissegrád, usque Megyer adiacentibus.* Ergo, nunquam in Liberis Regisque urbibus, censebatur: quod non plane nulli putant. Discas idem, & ex anni MDXVIII. sanctionibus (s.) ubi, *Coquina Regis LVDOVICI II. Wissegrádum, cum suis insulis, adtribuitur.*

post Iohannem inauguratum, nunquam postea Wissegrádum reuifitse:

nimia urbis libertas, qua cum donauit Matthias, abrogatur ab Ordinibus:

censebatur olim Wissegrádum, in bonis Coronae.

Arcis, & oppidi res, in deterius praecipitantur:

§. XXI.

Inclinabat iam, Wissegradiensium fortuna; tum, quod exulabat, post occasum LVDOVICI II. ab arce, sacrum cimelion; tum, quod multum libertati urbis, tamen æquissimo iure, detractum iam ante fuit. Nunc postea deteriora futura sunt omnia. Ruda enim, a Solymanno, capta, non poterat intemeratum mansisse Wissegrádum. Tumultuaria id obsidione, tentauerant Turcae, at conatu in irritum cadente: Et

TOM. III.

R R R

Wisse-

o.) Operis huius, Tom. I. Hist. urbis Pilis. Cap. V. Art. II. §. VIII. p. 333. seq.
p.) Articulo cit.
q.) Anni MD. Art. XXXIX.

r.) Articulo III. collato Articulo II.
s.) Articulo XIV. ubi insulae Ros nomen, quod anni MDXIV. Art. III. habet, Ros legitur, uti adparet, erronee.

frustra ob-
fidetur a
Turcis:

ubi tunc
Diadema
fuerit?

conmoda-
tur a Pe-
renio, in-
auguratio-
ni Iohan-
nis:

ann. &
Ferdinan-
di:

capitur
Wissegrá-
dum, a
Solyman-
no:

recipitur a
Rogend-
dorffo:

Wissegrádum, inquit historicus (t.), in quo regia corona, quam Pan-
nonii sacram vocant, antiquitus conseruari solebat, a Monachis Eremitis,
qui e collegio Noltrao, illuc, ut in tutiorem locum sese, metu hostium,
receperant, ac nonnihil commeatus introduxerant, fortiter, & summa vir-
tute, cum paucis quibusdam agrestibus, defensum fuit. Præclarum sa-
ne, *Paullinorum Fratrum*, facinus, & dignum, quod imitentur sacri vici,
cum se dat occasio. Sed, ane adhuc inerat arci S. diadema? Ambigo; eo,
quod auctor est *ISTVÁNFYVS*, multis post *Solymani* abitum, precibus egis-
se *IOHANNEM*, cum collega *Perénio*, uti, & ambitum iuuaret suum, & Co-
ronam, inaugurationi commodaret: Audiamus scriptorem (u.) ipsum:
Tokainum, *Iohannes*, multos ex nobilitate conuocat: atque in primis *Pe-
trum Perénium*, quem in seruanda *Wissegradiana* in arce, Regni Corona,
collegam habuerat, clam, multa arte tentatum, ac ingentibus promissis,
in partem traductum, sibi conciliat. Is, paullo ante, cum ex pralio *Mohá-
ccsiano* domum profugisset, *Antonii Palocii*, qui ea clade, nullo relicto he-
rede, perierat, arcem & oppidum *Sáros-Patacum*, armis occupauerat;
neque aliter, *Wainoda* postulatæ consensurus videbatur, nisi eam occupa-
tionem, tametsi contra leges factam, regia, quam consequi modis omnibus
optabat, auctoritate, ratam habuisset. Quod cum *Wainoda*, facile ei
indulisset, *Perénius*, haud minore ambitione, quam auaritia, non solum
Coronæ Regiæ potestatem obtulit; sed etiam ceteris, qui conuenerant,
suadendo, hortandoque, auctor fuit, *Wainodam*, præterito *Ferdinando*,
principe *Austriaco*, *Anne*, *Ludouici* sororis, marito, Regem declarandi.
Ergo, vel secum tunc habuit diadema, vel certe alii conditorio, quam
erat *Wissegrádense*, clam concreditum. Pari, & auara itidem facili-
tate, cum *Ferdinando* egisse legitur. Diserte (v.) noster, cum eius
describit inaugurationem: Adstipulante, & Coronam proferente *Peré-
nio*, de manu *Paulli Vardani Archiepiscopi Strigoniensis*, solemniter more,
accepit; nullis prætermisissis, lætitiæ hilaritatisque signis, qua in eiusmo-
di pompis & celebritatibus fieri, & usurpari consueuerunt, quam rursus *Pe-
renius* custodiendam ad se recepit, nec tamen *Wissegrádum*, uti debebat,
pertulit; sed contra ius sasque, committente certis de causis *Ferdinando*,
apud se retinuit. Coniicio hinc, cum *Buda*, in potestatem *Ferdinan-
di* venisse *Wissegrádum*, sed insignibus vacuum: quod, nisi fuisset, vix
improbasset historicus, coronam, in conditorium *Wissegrádense*, haud
fuisse relatum a *Perénio*. Quæ cum ita sint, fidem adhibeo *ORTELIO*
(x.), ad annum *MDXXXIX*, cum *Solymani* profectioem, ad *Viennam*
obsidendam describit, interceptum, ex itinere, a tyranno *Wissegrá-
dum*, commemoranti. Anno certe, qui sequutus est, *MDXXX*, re-
cuperatum a *Rogendorffo*, magna obsidionis *Budensis*, quam molie-
batur, retardatione, legas. Nec multo post, describit *ISTVÁNFYVS*
(y.), *Rogendorffus*, *Strigonio* facile recepto, *Wissegrádum* ob-

t.) *ISTVÁNFYVS*, Lib. VIII. p. 132, 35.
u.) Lib. IX. p. 134, 11.
v.) *Ibidem*, p. 139, 29.
x.) *Chronici sui Parte 1. p. 57, b. Falli-*

tur contra, dum eadem illa profectio-
ne, *Comaromium* quoque, deditione sub
potestatem missum ait: quod non est ita
y.) Lib. XI. p. 169, 46.

sedit, ac autumnales dies sereniores, qua in varias, & graues tempe-
states subita conuersione degenerare plerumque solent, in illius, ac *Vacziæ*
obsidione consumpsit, ne quid a tergo hostile, relinqueretur: & tandem
Calendis Nouembribus, *Budam* delatus est. Sed, quid *Wissegrádo* factum
sit, cum ab obsidione *Budæ*, inglorius abiit *Rogendorffus*, non re-
tulit in litteras nosse. Equidem, facile exillimari, qualicumque
munitum præsidio, post se reliquisse Germanos, ne, si inermes dimis-
sent, nouo, obsidionis labore, subiugare id cogerebantur reduces.
Quidquid eius sit, arcem profecto nequiuert diu obtinere *Fer-
dinandæ*, in tanta victricis *Budæ* vicinitate: ut recidisse omnino
putem, in *IOHANNIS* potestatem, tunc saltem, cum *Gritus*, anno
MDXXXII, magno quidem apparatu, sed successu nullo, *Strigonum*
obsideret.

§. XXII.

Iam ergo, infelix esse coeperat *Wissegrádum*: infellum enim a *Zá-
politans*, iterata Germanorum obsidione, octennio post, perdo-
mandum fuit. Mortuo nimirum *Iohanne*, cum *Ferdinandus*, ad
tradendum regnum, *Isabellam*, honorifica legatione, quam *Salmons*
obibat, nequiret inducere, bello id repetendum, anno *MDXL*, statuit.
Mittitur in expeditionem, cum selecto exercitu, *Leonhardus Felsius*,
utque oppugnata *Buda*, reginam terreret, permoueretque ad tradendum
regnum, in mandatis accipit. Is ergo, motis *Strigonio* castris, *Wissegrá-
dum* venit, qua in arce, edito in monte sita, olim, regium diadema,
conseruari solebat. Erat infra eam arcem, in planitie, quam *Da-
nubius* præterfluens irrigat, palatium, a *Carolo Andegauense*, rege
Pannoniæ ædificatum, sumtuosissimi operis, specie amœnitareque
situs, ac laxitate, & pulchritudine ædificiorum, toto orbe celebra-
tum, in quo ille olim, *Casimirum* *Poloniæ*, & *Iohannem* *Bohe-
miæ*, ac *Stephanum* *Nemagnam*, *Bosniæ* & *Seruiæ*, reges, simul ho-
spitio, conuiuioque exceperat. Aquaria vero turris, in medio
monte, infra arcem, satis ampla, paullo supra eam regiam, pari
fere interuallo sita erat: ubi, a præternauigantibus, e *Sueuiæ*, &
Austriæ, mercatoribus, portoria redimebantur, ac plurimum salis,
ad vsus culinæ regis, exigi solebat. Huic turri præerat, *Valentinus*
Litteratus, a *Georgio Monacho* impositus, qui directis, ad *Danubium*,
tormentis, nec classi, nec commeatibus, qui nauibus impositi erant,
tuto commeare, neque carris, & impedimentis exercitus, quæ terre-
stri itinere, ad oppidum *Maroffum*, quod e regione ripæ fluminis
adiacet, deuehebantur, securum transitum mittebat. Hanc *Fel-
sius*, & *Germani*, in primis occupandam censuerunt, ut, tam clas-
si, & naualibus sociis, quam castris impeditis, tutum iter
pararetur. Itaque, promotis ad planitiem maioribus tormentis, &
muro aliquot in locis perforato, post acerrimam, decem dierum op-

recidit de-
nno, in
potestatem
Zápolica.
ni.

Obsidetur
a *Ferdi-
nandæ*:

res gesta,
verbis *Il-
lustris*, re-
citatur:

pugnationem, *Valentinum Litteratum*, ad deditiois conditiones compulerunt. De quibus, cum hostes, e muri hiatibus proloqui cœpissent, *Germani*, nihil ea significatione permoti, quod amplius ducentos e commilitonibus amisissent, impetu, per ruinas murorum impigre facto, turrim ceperunt, caelis quam plurimis: ita tamen, ut ægre admodum *Valentinus*, cum præcipuis quibusdam, incolu-
 mis seruaretur. Ea capta, & præsidio munita, *Felsius*, cum exercitu progressus est. Ita, obsidionis historiam, in litteras misit *ISTVÁNFFYVS* (z.), quam libuit eiusdem verbis adtexuisse, ut simul, de arcis, & urbis habitu, quo ea tempestate fuit, lectori constaret. Nempe, durabat adhuc, *CAROLI I.* insignie illud palatium, tum *Coruiniana* opera alia, tametsi detrita forte, & in ruinam prona. Alioquin, solius hæc turris aquaria ac oppidi forte, fata tunc fuere. Arx enim vero, adhuc a præsidariis *Isabella*, magna virtutis ostentatione, infidebatur. Male interim cesserat *Buda* oppugnatione, nec quidquam ringente *Felsio*. Itaque, ut leniret dolorem irasque, *Wissegrádi* arcem, redux adoritur, tormenta grandiora, magno militum, aggregitum item & iumentorum labore, ad cacumen præalti montis, cui arx incubat, adtrahit, moeniaque, tanta vehementia pulsat, ut post dierum aliquot oppugnationem, late procumbere inciperent. quo viso obsessi, se, arcemque *Felsio* (a.) dederunt.

S. XXIII.

Atque tunc quidem, non aliud operæ pretium fecisse visus est *Felsius*, quam, quod occupata arce validissima, aditum, ad oppugnandam, anno sequuturo, Budam, *Rogendorffio* præmuniverit, ingenti quidem conatu susceptam, sed quem melior fortuna, non secus, quam annis superioribus, destituit. Erat interea, in *FERDINANDI* potestate arx, iuxta & oppidum, donec, anno *MDXLIV.* Turcæ, ad prima veris initia, bellum primi intulere: quod, occupata ab eis *Buda*, *Váczia*, & *Strigonio*, *Wissegrádum*, in earum urbium medio situm, adhuc a nostris teneri, viasque, tam Danubio, quam terra infestas reddi, grauiter molesteque ferre viderentur. Præerat *Wissegrádo*, *Petrus Amadeus*, vir militaris, & maxime sobrius, ut qui nunquam vinum biberit, illuc *Óvarino*, seu *Altenburgo*, translatus; qui, post *Budam* amissam, cum fere a triennio vigilando, agendoque, & præsidarios, in officio continendo, minas hostium contempnere, nec parum incommodi vicinis Turcis, potissimum viatoribus, qui vltro citroque commeabant, inferre erat solitus. *Mehmetes* igitur *Lahioglis*, Budensis, & *Hussaimus*, *Strigonii* præfecti, accita *Belgrado*, *Alba*, & reliquis hibernis, valida equitum, & peditum manu, ac tormentis, quæ plurima, in iis urbibus erant, promotis, ad obsidionem maturandam, ante *Calendas Maias*, proficisci constituerunt. Atque, inferiorem quidem arcem, Tur-

z.) Lib. XIV. 229, 20.

[a.) Ibidem *ISTVÁNFFYVS*, p. 230, 44.

Turcæ, castris, ad ripam Danubii longo ordine positis, obsessam, tormentis acerrime, verberabant, ut murus, ab orientali parte, magno adaperto hiatu, concideret. Quo casu, nostri, qui intus erant, territi, cum Turcis pacisci, de deditioe cœpere. Hos *Mehmetes*, ita in fidem recepit, ut, si superior arx simili conditione, quod iam tum sperabat, in potestatem redigeretur, præsidarios utriusque, simul, in tutum abire permetteret. Cum tormenta, ad excelsi montis culmen, non sine summo ac difficili labore, peruehi opus esset, nec iumenta, quæ agricolis imperata erant, ob maciem, quam ex hiberna pabuli inopia contraxerant, eo euehere possent; Turcæ, camelos, burdones, bubalosque suos, e propinquis *Buda* locis, adductos, operi admouerunt, & adiuantibus *Ianitscharis* atque *Aspasis*, ad cacumen montis, qui e regione *salinaria* turris est, adtraxerunt; obscuram noctem, labori perficiendo diligentes, ne nostrorum tormentis, peti possent. Quibus eo adductis, aggeribusque constitutis, dies & noctes, pilas ferreas, triginta pondo æquantes, in moenia euehere non cessarunt; ictibus adeo crebris, ut nostris, consistendi illic facultas omnis, erepta esse videretur. Elapsis diebus aliquot, Turcæ, diruendis muris haud contenti, cuniculos etiam agere cœperunt: sed cum saxeam solum, & duriores rupes intermixtas reperirent, neque fodiendo proficerent quidquam, ad obsidionem conuersi, aquam, quæ ab obsessis, e Danubio petebatur, ne inferri posset, prohibuerunt. Vno enim absumto, cisternisque exhaustis, & caelo, e nubibus expectatas pluias pertinaciter denegante, nostri, vehementi siti premebantur; ita, ut nemini eorum, a quatuor, vel quinque diebus, ad sedandas aridas fauces, quidquam poculenti gustare licuisset. Quam ob rem, *Amadeus*, his difficultatibus oppressus, ad nostros duces, qui *Comaromii* erant, per nuncios, Danubium, nauiculis, silentio noctis, clam hostibus, traicientes, auxilia implorabat. Sed ii, cum Turcis impares essent, sese commouere non ausi, *Viennam*, missis nunciis, regios præfides, ad maiora mittenda auxilia, hortabantur. Verum, ii quoque, muniendæ urbi, eiusque fossis dilatandis intenti, se, exercitu, ad custodiam urbis idoneo, indigere, nec vires distrahere posse, respondebant. Quorum, cum *Amadeus*, certior fuisset factus, quamquam cetera validus, ab hostium conatibus, non magnopere sibi timendum censeret, quia tamen milites, importuna intolerabilis sitis difficultate exanimati, ad defensionem imbelles redderentur, ad recusatas hæctenus deditiois conditiones, descendit, artemque, *Mehmeti*, qui securum omnibus, quocumque vellent, abitura, se daturum iurabat, tradidit. Sed Turcæ, sua consuetudine feroces, fide nequaquam seruata, in deditos, & abire volentes, irruerunt, & ad vnum omnes trucidarunt; vno tantummodo *Amadeo* conseruato, quem *Mehmetes*, suis manibus, periculo subductum, ægre conseruauit. Hæc tunc *Wissegrádi*, & qui id masculæ defenfarunt,

R r r 3

for-

capitur arx inferior:

superioris, oppugnatione laboriosa:

obsessi siti premit:

Petri Amadei, arci præfecti, sollicitudo irrita:

arx hosti deditur:

contra fidem datam, ceduntur a Turcis, præsidium, ægre seruato Amadeo.

cupiunt turris Aquaria:

arx, in recepit Budensis.

Quid ea re profectum sit?

obsidione singitur a Turcis:

fortissimorum militum, fortuna fuit; quam, ut verbis historici (b.) describeremus, æqua inducti sumus ratione.

§. XXIV.

Obsidetur
aucto Archiducis
Matthie:

ABiere, quinquaginta, & quod excurrit, anni, dum recipia nostris potuit, prisca hæc, & regum, & diadematis, sedes. Fulsis prælio Turcis, atque Strigonio, ductu Archiducis MATTHIAS, post operosam obsidionem, capto, *Wissegrádum* superabat, eo maiore contentione expugnandum, quo magis constabat, id nisi in nostra esset potestate, ne adiri quidem cum exercitu *Budam* posse, nedum operibus militaribus claudi. Igitur, copiis, terra, & classe amnica, festinato huc promotis, hostes, oppidum, & turrim aquariam, visis nostrorum agminibus, deserunt, inque arcem superiorem se iniiciunt, ut collectis illuc viribus, rem eo gerant fortius. Quum interim nostri, castra, ad dextram Danubii ripam collocassent, partim vero, ad oppidum *Marossum*, e regione arcis, cum equitatu substitissent; *Nicolaus Pálffy*, Strigonii præfectus, nuncios ex Hungaris, ad eos, qui intus erant, misit, hortatus serio, ut sibi ipsis parcerent, deditaque arce, incolumes, ad suos abirent: ne, si pernicacius reluctari, aut vim nostrorum vellent experiri, nullus postea veniæ gratiæque locus foret. At Turcæ, tam loci natura, quam suis viribus freti, se ad extremum vsque spiritum, arcem, suo principi seruaturus, responderunt: neque enim adhuc, tormenta curricula adtracta erant, nec ea, nisi summis laboribus, ad iuga præcipitis arduique montis, educi posse putabant; certo confidentes, fore, ut periclitantibus, *Budensis*, & vicinarum arcium præfecti, opitulentur. *Pálffy* contra, re, cum *Medicæo*, & *Aldobrandino*, communicata, vi & armis, frangendam hostium pertinaciam, constituit, tormentaque, magno & indefesso militum studio & opera; atque, ubi per loca aspera, & sentibus, spinetis, arboribusque impedita, iumentis via deerat, ergatarum molimine, & crassioribus funibus, ipsis etiam militibus, Italis & Hungaris, impigre manum admouentibus, in cacumen excelsi montis, vnus diei & noctis labore, protraxerunt, positisque mox suggestibus, moenia vetusta, & superiorum obsidionum iniuriis, labefactata, verberare coeperunt. Præerat arci, & qui inerant, trecentis præliariis, *Pyrrhus Aga*, Pestanus senex: qui, dum auxiliorum spei & expectationi inhæret, interea, & se, & socios, amissa etiam arce, perituros animaduertens, deditionem facere constituit; si ea, a *Pálffy*, honestis conditionibus, acciperetur. Igitur, e muro prolocutus, ut sibi, & sociis, cum suppellectili, & armis, in tutum abire liceret, petere coepit. Sed, cum *Aldobrandinus*, *Medicæus*, & *Mantuanus*, non nisi vitæ eorum parcendum, & relinquenda quæcunque haberent, alia omnia, inermibus, facultatem discedendi concessissent;

hostes, metu perculti,
arcem, seque omnes,
victorum arbitrio,
permittunt:

b.) ISTVANFFY Lib. XVI. initio, p. 272. seq.

atque interea, *Fridericus Ghiselericus*, cum Italicis cohortibus, arcem ingressus, eam occupasset, extremo metu perculti, neque obloquuti amplius, arbitrio victoris, se arcemque, pridie Idus Septembr. permiserunt. Captos, ad hunc modum, cum arce, præliarios, quod Turcæ, Strigonio dimissi, naues, quas, iuxta pacta, *Wissegrádum* vsque deuchere debebant retentas, non remisissent, communi militum ac ducum consensu, nostri detinere, diuisosque, per contubernia atque cohortes, in varias Italiæ partes, dispersiuere. quorum nonnulli, Venetorum ope, e seruitute redempti, & longos viarum errores emensi, Byzantium, & in patriam, redierunt; plerique autem, in triremum transtris, & captiuitate alia (c.) exspirauerunt: diuina, sanguinolentum genus, nemeli vrgente; quod *Amadei* socios, fide, quam eis dederant, haud pensi habita, contrucidarunt.

a nostris
detinentur
captiui, &
sparguntur
passim.

§. XXV.

ARcem, sub potestatem missam, Itali infederunt. His, & præda, quæ in arce reperta est, cessit: magna Germanorum & Hungarorum indignatione: eo quod, arcis aditu prohibitos se, dolabant. Adparatus belli, præter quatuor machinas curules, & qualemcunque globorum numerum, vix vllus in arce deprehensus est. Interim, opportuna hæc *Wissegrádi* deditio fuit: quippe quam, illinc *Váczia*, hinc arces alia, metu percitæ, sequebantur. Iacere vero, iam tum in ruderibus, non oppidum modo, & *Caroli*, quod illhic fuit, palatium; sed arcis etiam moenia, atque substructiones alia. Ergo, illis farciendis, quantulacunque impensa opera, ædificia negligebantur a nostris. Decennio postea, laceram arcem *Cæsariani* tutabantur. Nam, anno MDCV. præpostero *Haydonum* metu, post *Strigonium* captum, denuo, sub Turcarum potestatem recidit, atque, si munitiones excipias, in rudus propemodum abiit. certe enim, loci, ad intercludendum Danubium, opportunitatem, maximi faciebant Turcæ, fuereque ipsis, non tam palatia, quam propugnacula, cura. Atque, abiere sane, anni fere octoginta, dum recuperari posset, Turcarum hic nidus. Etenim, anno demum MDCLXXXIV. ductu *Lotharingi*, intercipiatur, ne esset remora, *Budam* oppugnatur. Facunde rem gestam narrat *WAGNERVS* (d.): Præmissis, inquit, ad explorandas vias, cum *Ludouico Neoburgico*, quingentis dimachis, *Vicegrádum*, cum undecim mille peditibus, septem millibus equitum, ex inopinato aggreditur. Est autem *Vicegrádum*, etsi longe infra veterem celebritatem, non tamen immunita arx, vnicum, *Budam* tendentibus obstaculum. Oppidum, vetusti operis muris, turribus, vallo cingitur. Arx, e præcipiti liberaque rupe, Danubium præterfluentem despicit, aditu vnico, eoque perdifficili: fossam profundiore, quam ampliorem habet, vi-

Quid rebus
nostris, ex
capto
Wissegrádo
accesserit?

recidit de-
centio post,
is Turca-
rum pote-
statem:

domatur a
Lothari-
go: An.
1684. quo
labore, narra-
tatur ex
Wagne-
ro:

a.) Ita, rem gestam, ISTVANFFYVS Lib. XXIX. p. 665. retulit. ORTELIVS, *Budam*, ab Italis probe excussos, deactos fuisse cccxvi. præliarios; auctor

est, *Chronici Parte I. p. 179. b.*

d.) *Historia Leopoldi M. Lib. IX. p. 634. seq.*

uæ incisam petra. Oppidum, *Neoburgicus*, cum bis mille bellatoribus; arcem *Beckius* tribunus, cum mille quingentis, adsilire, dum reliquum exercitum, Dux, secundum Danubii ripam, explicatum teneret. Oppidum, quod impetu captum iri crediderant, vim expectauit. Adfultum *Neoburgicus* ita disposuit, vt quidam eques, cum volonibus, *Astius Baro*, cum pyrobolariorum manu, prae-derent; ducenti alii, ductore *Ambachio*, Neoburgicæ structore, stationem molirentur; dum *Guido Stabrenbergius*, cum fistulatoribus, quadringentis, defensores muro arceret. Res ita successit, vt simul partibus omnibus irrumperetur, praesidiarii, nisi quos celeritas in arcem subduxerat, vniuersi conciderentur. Arcis eadem fuit fortuna. Etenim, *Beckius*, suburbanis caelis, quas dirutas ab obsessis oportebat, pro scuto vsus, facile sub vallum successit, exstructoque raptim suggestu, atque iniectis pilis igniuomis, in loco alioquin angusto, perturbationis damnaeque plurimum intulit. Loci praefectus, cum reconditum, sub extimo arcis muro, hostem, & extra tormentorum ictus positum, machinas item in suggestum adductas, cerneret, sero scilicet, deditioem postulauit. Nunciato Strigonii periculo, visum est, ne tantillam quidem moram interponere. Itaque, vita ac libertas, septingentis concessa, quibus alioquin e victoris arbitrio viuendum fuisset. Tabulas, ab ipso Duce, signari voluere, diserteque cauere, nequaquam abs se eius perfidiae poenas repetitum iri, qua ante annos centum & quadraginta, deditios Christianos a maioribus suis, contrucidatos, meminerant. Facile adensus est Dux, vt, qui ne periurium quidem ac scelus, scelere & periurio vindicanda censeret. Quatuor Neoburgicæ centuriae, loco, pro praesidio sunt impositae. Haecenus ille, de felici oppugnationis euentu. At enim vero, ea fuit hostium iniquitas, vt cum hinc Caesariani Ujvarinum, illinc Turcae Strigonium obsiderent, de expugnando hi *Wissegrádo*, consilia susciperent. Atque, fauit omnino hostili destinationi, fortuna. Cum enim *Palanka*, multis simul locis facile superata, castellum, eo, quo *Strigonium* respicit, latere, machinis adorirentur, grandem primo turrim, suis munimentis nudarunt, cumque nihilominus, muri firmitas, machinarum pilas eluderet, cuniculum egerunt, quo subruta turris, cum tribus, quae sustinebat, tormentis, procubuit; muri vero reliquum, ita debilitatum laxatumque est, vt sine graui concussione, & praesenti periculo, tormenta solui haud potuerint. Durauere nihilominus praesidiarii, & tertio adsilientes hostes, fortiter retudere: dum necessariae deditioem, leges honestas impetrarent; vt per murorum ruinam, armatis, & militares inter contentus, exire liceret. Ista *Bischoffshausenius*, arcis praefectus, ad *Lotharingum* retulit. Praesidiarii, ex deditioem conditionibus, cum impedimentorum qualicumque parte, celocibus impositi, aduerso amne, *Almás* usque, vbi tunc castra habebat *Lotharingus*, deuecti fuere, haud sine nostrorum perturbatione. Primo enim diluculo, nauigia quaedam, *Germanicum* vehentia militem, aduer-

premitur
icorum a
Turcis,
capitur
que?

aduerso Danubio, vehere visa, suspicionem iniecere, *Strigonienses* forte praesidiarios, nauibus, post arcem hosti deditam, adportari: quem tamen errorem, auditus mox machinarum fragor, breui deterfit. Dux, collaudato *Bischoffshausenio*, & Turcis, quorum tres erant, deditios comitantibus, congiario donatis, exercitum, ad praesidium *Strigoniense*, promouit. Anno demum, MDCLXXXVI. cadente Buda, *Wissegrádum* quoque, ex tot oppugnationibus lacerum, in potestatem *Casarianorum*, recidit; quodque, reiecto, annis sequentibus, ad *Temesvári*, & *Belgrádi* collimitia, hoste; *Strigonio* autem, & *Ujvarino*, iustis praesidiis obfirmatis, inutilis visa est arx, olim validissima, deductis, quae inerant, machinis, atque milite, pertusisque, heic & illic, moenibus, vacua relicta, & vallitati permilla est: vt iam, regum olim, & diadematis, augusta sedes, ferarum sit lustrum ac perfugium,

Multosque per annos

Sustentata ruat moles.

Enim vero, praeter parietinas, arbutis incretas, & informia rudera, haud quidquam superat amplius, ex ea, qua olim fuit, aedificiorum magnificentia. Qui ruinas scrutati sunt scrupulosius, conditorium sacri diadematis, in solidam petram cauatam, & superiorum aetatum inscriptiones aliquas, (*) se notauisse, retulerunt. Reliqua, detrita conuulsaque sunt, ad eum modum, omnia, vt vix palatiorum vestigia queant obseruari. quod, praeter obsidionum mala, aeris iniuriis, & thesaurorum clanculariis velligatoribus, tribuendum putant. Neque alia oppidi facies erat, cum post receptam *Budam*, a conuenis coepit recoli. Nunc vicus est, intra ruinas inaedificatus, quique pristini decoris, nihil, praeter tristem memoriam, referat. Est iam, *LEOPOLDI M.* indulgentia, in *Comitum a Sebarenberg*, ditioem. Sicubi, heic vero habet gens nostra, vt, seu fortunam, seu, quae hanc nobis acerbam fecerunt, aduersamque, vitia sua accuset.

Eheu! cicatricum & sceleris pudet,

Fratrumque. quid nos dura refugimus

Aetas? quid intactum nefasti

Liquimus? unde manum inuentus

Metu Deorum continuit? quibus

Pepercit aris? o utinam noua

Incede desingas retusum in

Massagetis Arabasque ferrum!

Ita (e.) confiteamur, ita voueamus, oportet. Ceteroquin, non ingenue magis, quam ingeniose, *Wissegrádo* nostro parentauit (f.) recens poeta:

Inspice natales Vicegrádi, & funera; dices:

Destruxisse homines; sed possuisse Deos.

TOM. III.

S s s

II.

(*) EX HORATHI, Lib. I. Oda XXXV. ver. 33. (f.) Auctor, nimirum, *Celebriorum Hungariae Urbium*, Part. II. p. 44.

recupera-
tur visum
a nostris,
& reiecto
longius ho-
ste, deser-
tuum relin-
quitur?

facta nisi
vallitati?

oppidum,
in vicam
abit, Co-
mitibus a
Scharen-
berg, ad-
scriptum:

epilogus, bi-
storia Wis-
segrádi,
querulus:

sunt enco-
uimus.

II. *Arx Sámék.*

Distat *Buda*, duobus circiter, in occidentem miliaribus, sedetque aperta, sed erecta, inter amœnos montes, planitie. Horum, qui sunt proximi, ab aquilone ei accedunt, umbriferi ii, & iucunditatis eximie. Reliqui, secedunt longius, faciuntque, apricis, & rei agrariae idoneis campis, locum, sic satis laxum. Moles ipsa, quadrato est ædificio, ordine contignationis vno, sed instructo conclauibus, quæ, & heris sufficiant, & copiosiori familia. Aditur ab oriente. qua parte, rudus, in proximo colliculo visitur, templi, quod cum cœnobio, Ordo *Præmonstratensium*, coluisse perhibetur. Frequentabatur olim arx, regum secessibus, cum animum curis releuantur: nam, eorum erat propria. Post captam, tyranni fraude, *Budam*, hostibus cessit. Neque ii negligenter habuere, locum, militari idoneum præsidio, atque, cum tutandis suorum profectioibus, tum impressionibus faciendis, opportunum. Itaque, non vna adfectum clade legas, repetitis toties totiesque obsidionibus. Post expugnatam, anno MDLXVI. ductu Eccii *Salmenis*, *Tatam*, atque interceptos illic præsidarios, cum arces *Vertesia*, diffugientibus præ metu, Turcis, vacuæ relinquerentur, *Sámékum* quoque, in eorum numero fuisse, *ORTELIVS* (g.) auctor est, communitum postea, temporario præsidio. Sed, quod ea impressio subita fuit, neque potuit eius fortuna diu sustentari, quidquid tunc arcium (b.) interceptum est, id fere omne, in manus hostium recidit, opinione celerius. Proinde, anni viginti nouem abire, dum subigeretur a nostris iterum; euentu, haudquaquam meliore, quam antea: eo quod, post *Buda* obsidionem, infeliciter, anno MDXCIX. tentatam, armis domandum fuit denuo; haud sine insigni, *Turcarum*, qui incrant, cæde. Tunc, & arcis moles exusta fuit penitus, ne facile ab hostibus verti posset in perfugium. Verum, quod propinqua extra modum, statio hæc, *Budensibus* fuit, neque merebatur defensari a nostris; instaurabatur semel iterumque barbarorum inquiete; ut esset, siluestri hac regione, lustrum perpetuum, vnde, si res posceret, & procuriones fierent, & instituerentur velitationes. Quam ob rem, subinde infestabatur a Christianis. Anno MDCLXI. exultum ab *Haydonibus*, *WAGNERVS* (i.) memorat; sed maiore nostrorum, quam hostium fere damno: quippe, quod omne, ad Christianos, miserabili seruitute oppressos pertinuit, quorum manibus reparanda munimenta, generatis tributis sarcienda fuerunt incendia. Atque fuerant omnino, iriti nostrorum, aduersus tenue castellum, conatus, donec *Buda* edomaretur. Hodie, *Comitibus Zichy* paret, estque, ad commode habitandum, pulchre instaurata. Arci, oppidum subsidet, tenuis id sane, & angusto terreno, fertili tamen, & positus amœni.

Positus Sámék:

habitu hodierni:

fuit olim regum secessus:

occupatur a Turcis:

recuperatur a nostris:

iterumque a barbaris:

fuit reliqua:

pertinet hodie, ad Comitibus Zichyos, vna cum oppido.

g.) Chronici Parte I. p. 105. a.

b.) Vide ISTVANFFYVM, Lib. XXII. extremo.

i.) Historia Leopoldi M. Libro II. p. 98.

III. *Rudera Arcium.*

§. I.

S O L M Á R.

Recedit, a *Veteri Buda*, in occidentem, visiturque, ex regia via, ascendentibus a sinistris: quippe, edito cuidam cliuo, aperto olim, iam siluestri, imposita. Fuit vero, cum regum aliorum, tum *MATTHIÆ* in primis, venaticus secessus. Atque, superant omnino hodieque, murorum rudera, inde, e vicinia *Buda*, huc perducta, quibus, insigne illud viuarium, cui *Nyék* nomen, incinctum fuisse, non sine ratione, arbitramur. De eo *NICOLAUS OLÁHVS*: (k.) *Ad septentrionem, ferarium est regium, cui nomen est Nyék, cingens, vallo, non tantum siluosum montem, sed prata etiam latissima, in ambitu quatuor miliarium Hungaricorum, feris variis abundans. Lateri hinc, adnebitur aula, magnificis exstructa adificiis. Fallor? annon Solmarum, aula hæc, magnifice instructa, fuerit? Iam rudus est, & triste, Coruiniæ elegantia, monumentum.*

Solmar, venaticus, Matthiæ Coruini, secessus:

eius viuarium, cuius incinctum fuit:

iam rudus informis est.

§. II.

T Ö R Ö K - B Á L I N T.

Fuit ante, voluptaria sedes, *Valentini Török*, quam ille, sua impensa excitatam, ex suo nomine appellari voluit. Et, de arcis quidem auctore, diximus supra (l.) sæpius, atque fuse. Inuitauit eum, ad exadificandam arcem, cum situs commoditas, tum in primis, vicinitas *Buda*. Aperta, eleuatioreque planitie infedit, quam opaca nemora, ad amphitheatri modum, ab ortu, ad meridiem, præcingunt. Ultra, siluosi incunt saltus, venatibus apprime idonei. Locum, vulgo, *Turbal* dixerunt, *Turcarum* deprauatione, qui ex *Török-Bálint*, id nominis effinxerunt. Iam parietinæ admodum castelli superant, vico superstite adhuc.

Török-Bálint, seu Turbal, voluptariis conditoris secessus:

amœnitas positionis:

vicus, & castelli rudera.

§. III.

T A H Y.

Gentis olim cognominis, secessus, vno, infra *Wissegrádum* miliarium, in amœna planitie, quam dexter insula *Ros*, alucus, subluit. Aedificium, ad arcis modum instructum fuisse, rudera ostendunt. Angusta id quidem mole fuit, sed, quæ muro constabat solido, distinguebaturque conclauibus, ex eius seculi more, haud importunis. Præcipua situs amœnitas est: iucunda enim solitudine,

Tahy, fuit gentis cognominis, amœnam diuerticulum:

quo fuerit adspicere, atque opportunitate.

S s s 2

k.) In HUNGARIA, quam, in APPARATV nostro, ad Historiam Hungariæ, DE CAD. I. MONVMENTO I. edidimus. VI-

de, Cap. v. §. v. p. 9. seq. l.) Historiæ Urbis *Budensis*, Periodo Barbarica, passim.

dine, inter vineas, atque arbusla, sub *Varadiensi* monte confedit, habuitque, egregiam, ad venandum, aucupandum, piscandumque, commoditatem.

SECTIO III.

De Oppidis Processus Pilisiensis.

SYNOPSIS.

Oppida, Processus Pilisiensis, tria.

§. I.

S. Andreae positus: est Rascianorum colonia: a Sigismundo & Alberto, huc de-

dulta: oppidi habitus: civium religio, & victus: agri, oppido circumfusi, qualitas: heredium est Comitum Zichy: magistratum ratio.

§. II.

§. I.

Oppida, Processus Pilisiensis, tria.



Ria, in Oppidis, supersunt hodie: *BUDA VETUS*, S. *ANDREAS*, & *RÁTZKEVY*; nam *Wissegrádum*, in vicium degeneravit pridem. Et *Budam* quidem *Veterem*, adtenta cura, quod ita historiarum poscebant rationes, magnaue olim loci fuit celebritas, supra expromimus; *Rátzkevi*um autem, in *Csepel* insula, descripturi, solius hinc, S. *ANDREAE*, mentionem habebimus.

§. II.

S. Andreae positus

Distat, S. *ANDREAS*, duobus, a *Veteri Buda*, in occidentem, milliaribus, eadem fluminis ripa, estque oppidum, *Buda*, & copiosius, & lautius: positione partim collina, partim plana, ac depressa: eo loco, quo montes *Pilisi*, Danubio haecenus vicinissimi, abrupta quasi iugorum serie, cliisque, in occasum solis, retractis, latiori spatio, planitiem aperiunt, hinc & illinc, ad montium radices, tumulis quodammodo asperam. Est vero oppidum, eorum colonia *Rascianorum*, qui *SIGISMUNDI*, & *ALBERTI* temporibus, huc accessere: partim, *Turcica*, in *Serua*, dominationis pertæsi; partim, *Sigismundi* benignitate, invitati: quippe qui, accepta, a *GEORGIO* Despota, *Alba Græca*, hominis eam liberalitatem, cum multis, passim per *Hungariam*, arcibus atque oppidis; tum *Budæ* in primis, ædibus, regali cultu instructis, redonavit. Tunc enim vero, *Csepelia*, iuxta & *Ros* insula, a *Rascianis*, *Despota* sui comitibus, infessa fuit. Ex more gentis, obliquis vicis, copiosum ex se oppidum, ædiculis humilibus, sed tersis eis, illic, per clii latera, hinc, per *Danubii* ripam, inter utrumque autem, per depressam pla-

est Rascianorum colonia,

a Sigismundo, & Alberto, huc deducit:

oppidi habitus:

planitiem, designauere. Crebræ his, atque in foro potissimum, tabernæ sunt opificum, & mercatorum, densatis ordinibus, ad modum nidorum positæ. Religio civibus, *Græci* ritus est, liberumque huius exercitium; vivendi autem ratio, his quidem agræ, mercatoria aliis. Inter sunt *Catholici* quoque ciues, quorum ædes sacra, cum turri, medio oppido, amœno colli infedit. Eleuationem oppidi regionem, vineæ præcingunt, fructus egregii, sed qui tamen, *Budensem* haud exæquat. Reliquum, in orientem, & occidentem, rus, qua pone *Danubium* situs plani est, agris frumentariis percolitur, estque solo pullo, pingui, & si idoneis arationibus subigatur, resolutio; ideoque, omnis generis segetum, non patiente modo, sed etiam benigne ferace. *Thracicam* profecto gentem, nusquam rusticationis studiosiorem repereris; tametsi, suo more, mercaturæ simul occupationibus, distinctatur. Habent, & in insula, quæ obiacet oppido, admensam agri partem eximiam; sed lignationem, quæ libera olim, in siluosis montibus fuit, ab heris, pretio redimant, necesse est. Sunt hi, hæredes *Comitis Petri Zichy de Váfony-kó*, ad quos, *LEOPOLDI* indulgentia, præter *Veterem Budam*, & *Sámbékum*, oppidam adinet. Olim, quatuor prætores, quos *Iudices* vocant, civibus moderatos fuisse, relatum accipimus: nempe, *Catholicis* vnum, qui ex *Hungaris*, *Germanis*, & *Slavis*; sed, tenui extra modum numero, constabant; tres reliquos, *Rascianis*. quæ regiminis forma commutata iam est, iidemque magistratus, prætor idem, nationibus omnibus, ius dicunt.

civium religio, & victus:

agri, oppido circumfusi, qualitas:

heredium est Comitum Zichy:

magistratum rationem:

SECTIO IV.

DE

Vicis Processus Pilisiensis.



Pauciores sunt, quam reris, *Processus Pilisiensis*, vici: siue id demum, nuperæ, ex tot bellorum iniuriis, vallitati, siue, situum, inter hos montes, asperitati, tribueris. Recensēbimus singulos, quemadmodum certo habemus cognitos.

1.) *Buda-Örs*, Comitum *Zichy* herediolum, ultra montem, *Aquilinum*, vno, in meridiem milliari, ab vrbe, in amœna valle, sepositum. Vicus exiguus, colonis *Germanis*, haud pridem coadunatis. Inter domos reliquas, eminent in primis, domicilium herile, in castelli formam exstructum. Frequentatur, crebro, heredium, *C. Petri Zichy*, secessu. Terrenum vici, angustum quidem est, sed fertile, vineisque, per obiectos cliuos, amœnis, & fructus boni, excultum.

2.) *Téten*, recedit a *Budaörso*, trans montem, in meridiem, vno, infra *Budam*, milliari, in secreta a montibus planitie, ad cum *Danubii* alueum, qui insulam *Csepely*, latere dextro, præcingit. Situs vici est

apertus & amoenus, sed, quod flumini vicinus, culicibus, ob propinquas insulas, & siluam, eiusdem ripam vellentem, nimis infestus. Incolunt eum *Germani*. Templum in medio est, antiquæ structuræ; sed longa retro ætate, desertum. Eius loco, *L. B. Georgius Szász*, nuper, *Personalis Præsentia Regiæ in iudiciis Locumtenens*, ac postea, in *Excelsa Cancellaria Regiæ Hungarico-Aulicæ, Consiliarius*, vici dominus, facellum aliud, extra vicum, in orientem suscitavit. Ibidem, & domicilium eiusdem est, ad castelli modum, fundamentis antiquis, annis superioribus, inædificatum. Fabrica est quadrangula, undique conclauibus, & habitaculis frequens. Ea parte, qua in orientem spectat, habet flumen, umbrosaque, hortis & siluis, diuerticula; ab occidente est vicus; deinde, lata planities, agrique feraces, atque largi; tum vicissim colles, a quibus auras, accipit, *quantlibet sereno*, & feruente die, placidas gelidasque. In meridiem, castello adhærent domicilia, familiæ villici destinata. His, area interferitur, spatiosa, ex qua castellum subitur. Sed ædificii quoque interna, areolam intermittunt, breuem eam quidem, at opportunam. Huc, idem herus, quoties a publicis negotiis, otium sibi sumebat, tamquam in amicam solitudinem, solebat secedere: dignus, qui adhuc in viuis ageret!

3.) *Turbal*, seu *Török-Bálint*, nomen accepit a possessore, *Valentino Török ab Enning*, cuius supra meminimus. Elegans vicus, ab oriente, & meridie, siluis cinctus; cetera patens, & apertus, ideoque adpectu hilari. Supra vicum, in colliculo, templum, a *PP. Societatis Iesu* reparatum, visitur; & inde arcis, quam descripsimus, ruinae.

4.) *Bya*, distat a priori, in meridiem, milliari, loco pariter amœno, inter siluas, incoliturque ab *Hungaris*, ditionis, parte quadam, hæredum *Stephani Farkass*. *Clarus est*, inquit *Topographiæ Magnæ Hungariæ auctor*, a *solidissimis lapidibus*, qui *prope eundem secantur*, *statuisque*, ac *similibus operibus*, *impediuntur*.

5.) *Tök*, a *Bya* in occidentem, pari diortio, reflexus, & incolis, eiusdem linguæ, habitatus. Est ditionis *Zichyana*.

6.) *Torbágy*, trans montem, supra *Turbalum*, loco depresso, incolis paucis, qui *Germani* sunt. Est quadam sui parte, in potestate hæredum *Stephani Farkass*.

7.) *Páty*, eadem regione, inter montes, vicus exilis, *Hungaricus*, terreno arcto, agris paucis, & pascuis montanis; at collibus, vineis haud inimicis. Est in ditione *Koháriana*.

8.) *Tinje*, vicinus priori in orientem, incolis *Hungaris*, ditionis *Miskei*.

9.) *Buda-Keszi*, distat, exiguo in occidentem milliari, trans vallem *Paullinam*, & ultra montem *Iohanneum*, in decliu, & montana planitie, rure, quam prior ille, laxiore, pascuis letis, siluis copiosis, agro tamen tenaci, & salebroso. Coloni *Germani* sunt, ditioni *Zichyana* adscripti. Sunt ei vineæ, sed parui fructus.

10.) *Hi-*

10.) *Hideg-Kút*, vnius horæ itinere, a *Buda-Keszy*, in septentrionem sciunctus. Vicus pariter decliu, terreno, partim siluestri, partim aperto, sed culturæ difficilis: quippe, argiloso, ac tenaci, neque, nisi frequenter lætamine adspargatur, fertili. Nomen accepit, a fonte quodam gelido, & salubri, paretque *Szanyogiis*.

11.) *Solmár*, tenuis viculus, sub arce sui nominis, dimidio milliari secretus a priori, trans montem, & in amœna valle, repositus, penes riuulum, ex montibus proximis delabentem, & in piscinam collectum. Pertinet ad *Vattaios*.

12.) *Vörös-Vár*, quod *Hungaris*, *arcem rubram*, significat. Distat *Solmáro*, in septentrionem, milliari dimidio, in regia via *Budensi*, qua *Viennam* itur. Eius causâ, publico etiam cursori stationem exhibet; frequentaturque, crebris comæationibus itinerantium. Habet opportunum diuerforium, signo *Arboris viridis*, distinctum. Vicus amœnus est satis, & in orientem aquilonemque, montibus, atque siluis, interceptus. Incolitur a *Germanis*, haud pridem huc deductis. Paret, *C. Iosepho Eszterházy de Galantha*.

13.) *Kovátsi*, monti, supra *Solmárum*, insidet in meridiem, plana tamen positione; sed quæ nihilo melior est, quam ad *Hideg-Kút*, cui conterminus est, diximus. *Vattaiis* obnoxius.

14.) *Csába*, ultra *Vörös-Várum*, in eadem via, milliari dimidio, loco inter montes plano, & depresso, inculro tamen, & passum adhuc siluestri: ditionis *Momialis Budensium*. Noua & hic *Slauorum* colonia infestus est; qui multum operæ, extirpandis agris impendunt, & quod terra carent arabili, siluas, qua terrena accluitate sunt, manu confodiunt, frumentique segetes tollunt. Habet diuerforium, accipiendis viatoribus. Extra vicum, in via *Vörös-Várensi*, ad orientem, passibus plus minus ducentis, ruinae visuntur ædificii cuiusdam, ex rudibus *Romanis* olim educti. Cippos heic plures vidimus, *Latinis* characteribus inscriptos, atque, ex accruo lapidum, eruderatos. Horum vni inscripta fuerunt:

PRINI IANI PAR
TH. CV. SET SE
REN - - -
VSVS - - -

Alter autem habuit hæc:

DIANAË CONSERVATRICI
C. CAL. FAVSTINIANI
MIL. R. B. MIL. V. S. L. M.

In tertio legimus:

D. M.
P. AEL. IVSTINO MIL.

LEG.

LEG. II. ADL. EXACTO
AD PRAATI COMMILITA
VII.

Quartus, nimis oblitteratus, hæc ostendit:
SEPTIMIUS POTENTIA NAI.

Quintus, in hunc modum fuit inscriptus:
AEOL - CONTINVATORI.
CAL. IVSTINIANVS -
- - - - - MIL.
LEG. II.
V. S. L. - - - - M.

Reliqui, vetustate fuerunt detriti. Præter huius ædificii rudus, etiam aliud, supra vicum, longius tamen visitur, quam prius, penes viam *Viennensem*. Insunt huic quoque, quadrati lapides, inscripti dubio procul characteribus, si vestigandi facultas fuisset. Crediderim, castella fuisse olim, ex muris, & ruderibus *Sicambria*, exædificata.

15.) *Sz. László*, exiguus viculus, coloniarum *Slauica*, in profunda valle, montibus alte circumstantibus; quorum umbra, opacat vicum, usque in meridiem. Distat a *Csába*, milliari vnico in septentrionem, paretque *Ordini S. Pauli Eremitæ*.

16.) *Vissegrádum*, olim sedes fuit regia, quod fusc diximus; nunc vicus pauper, & ruinis palatiorum inædificatus. Colunt eum, *Germani* conuenæ, qui sensim, solo regionis aduescunt, sensim etiam facultatibus conualescunt. Alioquin, haud negligunt, locum satis amœnum, sed agrorum inopem, excolere. Subsunt, Comiti a *Stharenberg*, cuius procurator ibidem agit.

17.) *Bogdány*, adfinis priori, in eadem Danubii ripa, vbi flumen diuisis aquis, insulam *S. Andreae*, incipit moliri. Incolitur itidem a *Germanis*, haud pridem huc adductis, ditionis *Zichyanae*, at sortis miseræ: destituitur enim terreno, hinc montibus, illinc flumine, planitiem, quam vicus tenet, coarctantibus.

18.) *Tót-Falu*, quadrante milliari infra *Bogdány*, in margine insulae *Ros* dictæ, recta, contra ruinas castelli *Taby*, positus, loco paululum depresso, vndique tamen tumulis, quasi valli essent, circumuento. Vicus est amplus, & ab *Hungaris* excultus. Solum ei circumquaque apertum est, sabulosum quidem, atque difficilis cultus; sed tamen frumenti patiens, si rite subigatur. Procurrat eius terrenum, per totam insulae latitudinem, a castello *Taby*, usque contra *Vácziám*. Vtrobique ei traiectus sunt, ad *Vácziám* etiam diuersorium, iuris tamen non pagani, sed herilis, quod *Zichyanum* est. Vitem, in insula non excolit, sed trans flumen, in amœnis collibus viniferis, penes ruinas castelli *Taby*, vbi, quæ sunt vineolæ, vino affluunt, nobili, salubrique, albuli fructus: tamen, & rubellus quoque gignatur.

19.)

19.) *Megyer*, paululum inferius, in eodem insulae margine, pari terreno, at colonia minor; ditionis *Esterházia*. Vocatur aliter, *Pots-Megyer*.

20.) *Monostor*, tantundem distat a *Megyer* eadem amnis regione. Agri tamen maior ei amplitudo est. Incolæ *Hungari* sunt, ad rem intenti.

21.) *Czobánka*, alias *Borony*, est vltra oppidum *S. Andreae*, trans montem, in amœna valle, terreno tamen angusto, & sterili, incolis *Thracicis*, ritus græci, possessionis *Vattaianae*.

22.) *Pomáz*, in eodem tractu, sed extra vallem, montibus, ab occasu, super eminentibus, incolis itidem *Thracicis*.

23.) *Kalász*, priori vicinus, in iisdem montium radicibus; sed in angulum, aut sinum, retractus, coloniarum *Rasciana*. Solum ei fertile & latum, positio collina est. Itaque, per cliuum, & heic, domus positæ sunt. Intra hunc vicum, & *Pomáz*, ecclesia illa est, quam *Marie Albe* nomine, conditam dedicatamque, supra diximus.

24.) Præter vicos infelios, sunt etiam quædam prædia, inter montes, & in primis, in ripa *Danubii*, contra insulam *Ros*, speciatim contra vicum *Tót-falu*, prædium *Várád*, *Sz. Peter*, *Tabi*; infra oppidum *S. Andreae*, *Szempecz*, & *Kissing*: inter *Turbalum*, & *Csábam*, *Boros Jenő*, *Perbály*, *Csonkatebe*, *Telki*, quæ ad *Abbatiam* spectant *Scotensem*. Inter *Solmárum*, & *Vörösvárum*, est *Szentivány*, *Augustinianorum Budensum*; nec non *Jászfalu*, prope *Csába*. Hæc de vicis.

SECTIO V.

DE

Dominatione, nuper Principis Eugenii.

ARTICVLVS I.

De Promontorio Eugenio.

SYNOPSIS.

Artic. I.	Artic. II.
Scribendi ordo: Promontorii nomen & ingenium: villa ei inædificata. §. I.	Insula <i>Csepel</i> , positus & amplitudo. §. I.
Prætorii herilis positus, atque habitus ædificii: agri circum inædificatus: ouile gregis Arabici. §. II.	Quibus insulis sinistro latere circumcludatur. §. II.
TOM. III.	Insula lateris dextri. §. III.
	Ttc Laxi.

Laxitas, & ingenium Csepelæ
insula. §. IV.

Fuit olim Reginarum propria:
eius, ex Oláho descriptio,
& mira amœnitas: posi-
tio insula, Budæ non magis
opportuna, quam inimica. §. V.

Artic. III.

Oppidi Rátzkeve situs: nominis
ratio: rhytmis Hungaricis
explicatur. §. I.

Denominatio, a Rascianorum
colonia petita: donantur a Si-
gismundo privilegiis: ma-
gna oppidi accessione. §. II.

Reliqua Sigismundi, in Rátzke-
vienses beneficia. §. III.

Regum sequutorum, erga oppidum
indulgentia: eorum tabula
adhuc superstites. §. IV.

§. I.

Promontorium isthoc, ad montana,
Processus Pilisensis spectat; tamen, quod vna cum insu-
la, in ditione PRINCIPIS EVGENII fuit, seorsim describen-
dum existimaui. Est autem id, amœna Processus huius
portio, infra Budam, in dextra Danubii ripa, ea regione, qua diuari-
catus amnis, Csepel insulam efficit. Nomen accepit a (a.) montibus,
qui a suburbiis Budæ, plus quam dimidii milliariis circuitu, in meri-
diem, & ortum, latam & fertilem, anni intermittunt planitiem. Non
modo enim pingui gramine luxuriat; sed etiam segetibus proficit,
gignitque varia pomorum genera, præsertim, per calcem montis, &
accliuia promontorii latera. Eadem parte, colles, vite vestiti,
eximio fructu commendantur, vinumque gignunt rubeum, & albu-
lum, paris cum Budensi, quin generosioris passim virtutis, atque gu-
stus aque grati. Cetera, siluosi sunt saltus, & oportuna feris perfu-
gia.

a.) Sive id demum a montibus sortitur, |
sive, ut vocabulum deriuant doctio- |
res, a promouendo, quadrat in lo-

Descriptio oppidi, ex Scaricæo
petita: fora: vici qui? ades
sacra. §. V.

Occasus Ludouici II. oppido fu-
nestus: excolitur Albarega-
lensi colonia: calamitates
oppidi, ex Budæ obsidionibus
profecta. §. VI.

Buda expugnata, qua fuerint
Kevinii fata: urgetur fame:
recreatur, iterumque adte-
ritur, bello & pestilentia: quos
heros habuerit? Fit, Cæsaris
indulgentia, EVGENII prin-
cipis. §. VII.

Hodie, quo sit habitu, ciuium oc-
cupatio & victus: agri in-
doles & angustia: oppidano-
rum genera, & ingenium:
nundina: insignia. §. VIII.

Castelli, prope oppidum, moles. §. IX.

gia. Tota regio, milliariis, plus minus, ambitu continetur, in qua, & principi hero, suus fuit secessus, & villæ rusticæ, non minus, quam fructuarie. villa et in-
adificata.

§. II.

Castellum, locum, in eadem planitie occupat, paullulum ere-
ctiorem, decliuem tamen, & cum ab eluionibus, tum a
torrentium incurfu, liberum, eundemque adpectus latissimi.
Formam tenet quadranguli, vnus tantum conclauium ordinis, sed ob-
litum, adeo edite alteque adparentis, vt geminam crederes contigna-
tionem. Singulis quatuor lateribus, hypocausta insunt, aliis alia laxio-
ra. Ex his, accipiendo principi destinata fuerunt, quæ in septentrio-
nem vergunt, habentque Pestum in obtutu. In medio ædificii, arca
est, ampla satis, & quieti circuitus. Frons castelli, in occidentem
obuertitur, ad colles viniferos, a quibus, & auram haurit salubrem,
& prospectum habet, exquisitissimæ iucunditatis. A tergo, arca ite-
rum per decliuia extenditur, cui vtraque parte, stabula sunt adstructa,
muro in orientem præclusa, & porta munita clathris. Ultra, agri
procurrunt frumentarij; deinde zythopœia, & macelli, portoriarque do-
mus ædificia; tum Danubius, & insula. E regione castelli, ad me-
ridiem, haud magno interstitio, sub cliuis, sunt villæ, & ouium Ara-
bicarum tuguria. Acceperunt ex nomen a patria, quod ex Ara-
bia principi adlatæ huc sunt. Exæquant magnitudine oues Bohe-
micas; sed, vellere sunt multo candidiore longioreque, & pro ferici
ingenio, molli, ideoque etiam cariore: cornua tamen gerunt ca-
prea. Scilicet, capras crederes, nisi crispo, & molli ac tenui vellere,
discriminarentur.

Prætorii
horilis po-
situs, at-
que habitus
ædificii.

agri vir-
tutes indo-
les: ouile
grægia Ara-
bici.

ARTICVLVS II.

DE

Situ, atque Natura Insulæ Csepel.

§. I.

CSEPEL insula, quadrante milliariis infra Bu-
dam, init, cuneato primum terreno; deinde, amne
sensim digresso, sed alueo dextro multo, quam est fini-
ster, validiore, laxior esse incipit, vt procurrens ulterius,
dimidiū milliariis, atque in medium progressa, milliariis Germanici, in-
teruallum, complectatur. Inde rursus arctius coit, dum, contractis,
vtraque parte, alucis, ex milliari integro, in quadrantem redigatur,
præsertim, intra vicos Ujsalu, & Sz. Marton. Ultra, iterum dilatatur
paullisper, intercluditque continentem milliariis fere dimidiū. Sed,

Insula
Csepel po-
situs & am-
plius.

Ttt 2

non

etiam hunc, ea adpellatio: nam, &
montani sicut est, & puichre super
Danubio prominet.

non longe, eadem latitudine, porrigitur, quin amne iterum coeunte, perpetuo fiat angustior; donec ad confluentem, in parem, qualem principio moliebatur, cuspidem desinat.

§. II.

Quibus insula sinistra latere circumcludatur.

VTrinque, minutiores eam insulae, praecingunt. Ac, sinistro quidem latere, decem obseruaris. *Primam*, milliari, infra *Pestinum*, paullo supra *Soroksár* vicum, paruam eam; atque, maiorem *alteram*, aptioremque hortis, foenifeciis, contra *Haraszti*, & *Taxon*; ab illo enim, vsque ad hunc vicum, immo longius non-nihil, procedit. Huic, ex opposito vicina est *tertia*, *Sz. Miklósiensis*, quia eiusdem nominis vicum, prioribus aduersa ora intermedium, respicit. Itaque, haec ad *Szent-Miklósiensis*, ad *Haraszti* & *Taxon* illa, refertur. Inferius paululum, *quarta*, est insula *Tököliensis*, quia tereno cognomini obnoxia, tamen confini vico *Csep* inferuiat. Multa vligine madet, neque tam arboribus, quam arundine siluescit. Pro-tenditur ea, vsque ad *Csep*, vicum insulae *Thracicum*: cui & alia paullo inferior, minutiorque, submittitur, quae numero erit *quinta*. *Sexta*, ad *Sz. Mártonum*, & *Latzkázam* est, nomine *Ángyalinói*, a femina eius nominis, quae filium, ibidem aquis submersum deplorasse, nomenque insulae reliquisset, vulgo fertur. Oblonga & ea est, exilis tamen, & siluestris, possessionis *Ráczkeviensium*, quibus per fugio fuit *sepis*, cum res erant trepidae. Sed & *Peregienfis* vna est, vicina pago eorum, contra oppidum *Ráczkevi*, quam *septimam* numero dixeris; licet prioribus, neque spatio, neque fructu, possit comparari; est enim exigua, & non nisi virgultis, arbusculisque pomiferis, consista. Multo maior ea est, quae sequitur, in eodem alueo *octaua*. Illa, haud procul infra *Ráczkeve*, visitur, contra vicum *Becse*, a quo exiguo tantum intercedente riuo, dirimitur. Dumeta alit, & fructiferas arbores, quarum tenuiorem partem, *Becsienses*, *Ráczkevienses* maiorem, sibi vendicant. Paris naturae & vsus est, insula *Somlyóiensis*, a priori, exiguo distincta alueo, longius tamen, & vsque ad fines vici *Dabb*, *Dömsödo* contigui, procurrens. Multum ibi gramen, & opacum arborum latuarum, atque siluestrium, nemus est, quod bellorum illis tempestatibus, compluribus vicis receptaculo fuit. Septendecim eorum occulit, cum *Buda* obsideretur. Eius partem fere dimidiam, *Dömsödienses* in potestate habent; reliqua *Ráczkevienses*. *Decima* est *Dabbenfium*, proxima priori, sed multo minor, siluestris tamen. Est porro, in fine huius aluei, antequam confluat, prope cuspidem insulae, exigua quaedam alia, sed, quae famam haud meruit.

§. III.

Celebriores occurrunt, intra alueum fluminis dextrum. In his maxime, *Phasianorum* illam laudaueris, quae infra promontorium, contra desertum *Háros*, supra *Téten* visitur. Est mille circiter passuum longitudine, pulchre siluescit, & quod crebris arboribus fructiferis permiscetur, praebet phasianis, non iustra modo, sed etiam pabulum: neque aquis facile vitiatur, nisi eluuiis accidat inusitata. Itaque, vberem fouet nobilissimarum auium copiam. In ea, & vetusti aedificii parietinas notaueris. Monasterium fuisse olim, sacrarum virginum, accolae perhibent. Quidquid eius sit, haud possis certo, origines fataque prisca aedificii, inuelligare. Est & prope *Téten*, lucus, seu silua, ad *B. Szarazium* adtinens, *phasianorum* itidem viuarium. Id vulgus insulam vocat, propterea, quod exundante flumine, aquis circumfunditur. Sed distinctiores sunt illae, contra *Hansabég*, seu vicum *Erd*, quarum tres sunt: maior vna, exiguo amnis ramo, a vico diremta, siluestris ea, multique graminis, quam *Erdienses*, possident; reliquae duae minores, circa terminos prioris: vtraque fructifera & siluestris, possessionis *Tökölyensium*. Infra, milliari vno, insula est *Uffalvensis*, a vico dicta cognomine, quod ab eo, modico alueolo interfluente, dirimitur; tamen hero magis, quam vici incolis, feruiat. Ambitum ea, fere milliari vnius, complectitur, & quod densis procerisque arboribus, inter quas, & pomiferas videas, inumbratur, opportune fouet ceruos, & capreas; quin & apibus, florida praebet hospitia. Ex ea parte, qua in maiusculum alueum obuertitur, habet templum, pulchrae olim, & solidae fabricae, sed maximam partem dirutum. Lapide totum quadrato instructum erat, amplitudine, laxa, & facta in crucis similitudinem, cuius compages absidem adhuc retinet, compluribus beatorum imaginibus ornatam. Pari picturarum varietate, reliquos etiam parietes ornatos fuisse, reliquae adhuc ostendunt. Eadem innuunt simul, principis fuisse opus: quocirca, ad *B. Margareta* sanctimoniam, illud referunt indigenae, vt mirum non sit, quam ob rem, & insula *Csepel*, *Margareta* nomine, a geographis quibusdam, inscripta sit. Contra insulam hanc *Uffalvensis*, visitur trans flumen, *Ercsen*, & infra hoc, insula quaedam minutior: atque iterum maior alia, paullo inferius, in finibus terreni *Ráczkeviensis*, a quibus, & nomine insulae *Beseniensis*, obtinetur: multa arundine & vligine scatet: prope eam, duae iterum, sunt minutiores *Adonienses*, & vna *Lorenfis*, pomifera; atque ab hac, vno tantum alueo diuisa, *Makádiensis*, quae pariter densis, & proceris siluis vellita, ceruorum & damarum greges, alit. Denique, in fine rami huius, qua ad vnionem, cum minore, properat, duae porro sunt *Almásiensium*, vna minor, maior altera, quae infra *Csepelia* cuneum protenditur.

insula lateris dextri.

§. I V.

Laxitas, &
ingenium
Csepelie
insula.

IPsa autem insula, has inter minuitiores, vario flexu, longitudinem, quinque milliaria Hungaricorum, efficit, (b.), & quod partem maximam, depressis ripis ambitur, crebras subit eluuias, lacunasque format, & paludes, praesertim ex ea parte, qua ad finem decurrit. Illic enim tota madet, piscinasque habet duas, ad *Makád* alteram, alteram infra *Becse*, vulgo *Királyréte*, quasi *lacus regius*, quod regibus olim forte, & fructum praebuit, & voluptatem. Alioqui, solo est sicco, fabulosoque, & nisi magna iuuetur industria, sterili. Triticum, locis paucissimis patitur; sed nec alia fert semina, nisi latamine crebro, & triplici conuersione, praeparatur. Vitem tolerat, rubeo, sed exili fructu; maximam, contra, pomorum obtinet gloriam. Plana hic sunt omnia, ac non nisi locis aliquot, conuatis arenarum tumulis, crecta. Passim, iunipero virent diui, quin depressa etiam interstitia: alibi, adolescit quercus, vnoque loco, betula. Reliqua, dumetis obsita sunt, quae toto pane insulae ambitu, sinunt siluescere, dominationis arbitri, vetantque cædi, siluarum, latebrarumque necessitate, pro feris animantibus. Iis enim, nusquam commodior locus. Leporum praesertim, frequens inerrat propago. Neque defunt damae, atque cerui, ficedulae item & perdices, quarum potissima haec cura est. Aluntur in villis, *Sardorum Capricornorum*, *caprarumque Arabicarum*, genera. Haec, cum tota forma corporis, candidis, & vulgaribus, domesticisque capellis conueniant, vellus tamen gerunt agnini ad instar, crispum, eodem tamen multo candidius, molliusque. Sicuti diximus supra.

§. V.

Fuit olim
Regina-
rum pro-
pria:

eius ex
Oláho, de
scriptis, &
mira ama-
nitas:

ATque, hic quidem hodiernus *Csepel* insulae habitus est. Fuit olim *Reginarum* propria, & secessibus earum, venatu, aucupii, & piscatione, frequentata. De ea *NICOLAVS OLÁHVS* (c.), post habitam, *Csallóköz* insulae, mentionem: *Alterius*, inquit, paullo infra *Budam* incipientis, nomen est *Chepel*. Haec, cum aula, quae ibi exstructa est, ac oppidis *Chepel*, *Thekel*, *S. Martino*, *Kevy*, quod *Rasciani* incolunt, ac nonnullis aliis pagis, *Regina Hungariae* est, iure donationis propter nuptias. Avibus, phasianis, perdicibus, turdis, gallinis siluestribus, ac aliis, diuersi generis, auculis, ceruis, apris, damis, leporibus, abundantissima. Adhaec, siluis, nemoribus, vineis, pasuis, frumento, & aliis, ad usum mortalium necessariis, leguminibus, adeo insignis, ut nihil, quod, siue ad necessitatem victus, siue ad voluptatem pertineat, huic deesse videatur. Quae sola, & *LVDOVICO II. regi*, & *MARIAE reginae*, principibus meis, tam in venationibus, & aucupii, quam

b.) Olim, nouem longam milliariis fuisse aiunt; quam tamen amplitudinem humen deratit sentim. c.) Hungariae, Cap. iv. §. iii. p. 7.

aliis rebus, animum recreantibus, dum aliquando ab aliis absoluti grandioribus negotiis, animi gratia eo diuertere, magnum amœnitate praebuit oblectamentum. Haec longa est in meridiem, nouem milliaria, lata vero trium, aut quatuor. Vides, insulae iucunditatem, nullis non tempe, amœnissimis *Thessaliae* locis, secundam. Ita vero est, censebatur in iis praediis, quae erant regum propria: id quod, ad *Wissegrádum* (d.) monuimus; eo maiore commoditate, quod vicina *Buda* subsedit. De longitudine, merito ambigas, quum nouem milliariis designat *OLÁHVS*. Itaque, non est credendum *Topographiae Hungariae* auctori, quando, ad undecim milliaria, protendit insulam: nisi habeat excusationem, a gente sua petitam; quod, cum *Babus* sit, mensura forte vsus sit *Italica*. *ISTVÁNEFYVS*, cum de *Turcarum*, ad liberandam *Budam*, aduentu scribit, de insula, & de *Rogendorffii* oscitantia, conqueritur: *Classis*, inquit, *Turcarum*, eodem tempore, ad insulam *Dina Margareta*, quae *Cepelia* vocatur, papogos complures, & oppidum *Cövinium*, ac templa, & aedificia varii generis, continens, & ad octo fere milliaria *Pannonica* exprorecta, adpulit: ibique *Turca*, in eiusdem *Danubii*, iterum in unum alueum conuulgentis, quoddam veluti rostro, munitionem exeruerunt. quam quidem insulam, si prior *Rogendorffius* occupasset, sicuti *Perenius*, & complures ex *Hungaris* censebant, *Turca* nequaquam commoda castra metandi facultatem habuisse videbantur: quin potius, classem sorte relinquere fuissent coacti. Coniicias hinc, de insulae, aduersus *Budam*, amicus non minus situ, quam positione, ni mature in rem vertatur, infesta. Sed de his satis! Fuit nostra aetate, *CÆSARIS* indultu, in potestate *Sabaudiae Principis* *EVGENII*. Quam obrem, scriptores, neque indocti, neque proni in adsentationem, *EVGENIANAM*, nihil dubitant adpellare. *Topographiae*, cuius meminimus, auctor (e.): *Insula postrema, infra Budam, & montem D. Gerhardi, ad undecim circiter milliaria exturrens, hucusque Csepel denominata est; paulatim autem, EVGENIANA vocitari occipit: quod, in eadem excolenda ornandaque, gloriosissimus princeps EVGENIVS, sumtus largissimos faciat.* Ergo, non est vitio vertendum, doctissimo viro, *Cerographiae Hungariae* scriptori, dum memoranti *Danubium* (f.) ait: *Buda & Pestlo delapsus amnis, varias, pro more, efformat insulas, quarum illa celeberrima, quae Czepel, alius, Ráczkeve, Germanis, Ratzenmarck, nunc EVGENIANA, a Serenissimo restauratore suo, adpellatur.* Profecto, inuidus sit oportet, qui id nominis, haud tamen abrogato vetere illo, ausit insulae denegare. Immortalia sunt, *EVGENII*, in *Hungariam*, merita, ideoque, omni honesta ratione, propaganda in posteritatem; quod, qui nolunt facere, saltem accusant facientes, viderint, ne, peccent in summi viri memoriam. Haec de Insula. Iam, eius oppidum, vicosque, adeamus.

posita in-
sula, Buda
non magis
opportuna,
quam in-
mica.

ARTI-

d.) In eius Arcis historia, §. xx. (f.) De ISTRO, siue Danubio, p. 15. Prodit libellus, Tyrnauiæ, A. MDCCXXIV. for. 8.

ARTICVLVS III.

DE

Oppidis, & Vicis, Insulae Csepel.

Abitatur insula CSEPEL, oppido vno, vicis nouem. OLÁHV, quod nunc vidimus, quatuor, suae aetatis, oppidorum meminit: Csepel, vnde nomen insulae, Thekel, Szent-Márton, & Kevy. Neque est, cur dubitemus, pluribus olim oppidis, cultum fuisse regium hunc secessum, quae iam, tot bellorum detrita iniuriis, in vicos, tenues eos, & fere inanes, degenerauerunt. Vnicum Rátz-kevy, ex tantis cladibus, superat: adsur-recturum, procul dubio, ad habitum priorem, nisi ei fata, herum optimum, inuidissent. id iam lustrasse placet.

I. Oppidum Rátzkeve.

§. I.

Insedit RÁTZKEVS, sinistro insulae margine, inter vicos, Szent-Márton, & Betsé, aduersa Perego, ripa, ad Danubii alueum minorem, Pestino quatuor miliarium interuallo, seiunctum. Exilis olim vicus fuisse perhibetur, a templo, quod S. Abrahamo, dedicauerant prisci illi homines, cognominatus. Atque, existat omnino hucdum sacra illa aedes, patriarchae nomine insignita. Postea, vocabulo eo sensim exolecente, Kevy, ex ducis Hungarorum adpellatione dictum fuisse, nonnulli existimant. Sed, quid quaeso causae erat, vt abrogata patris fidelium, vti vocant sacrae paginae Abrahamum, memoria, hominis ethnici nomen inderetur vico, idque, post tot lapsus seculorum? Equidem, non reperio; vt adeo credam, lusisse ingenio, huius auctorem opinionis. Neque melius habet, eorum etymon, qui Graece originis esse autumant. Singula haec confutauit, poeta Hungarus, idemque huius, dum rudi quidem aena, sed ex vero, de veris vocabuli natalibus, sic cecinit:

*Itt Kapitány Kevétül nints nevem,
Mint némelyek itélnek selőlem.
Sem Görög szó Kevi az én nevem,
Noha vizzel mind környül vettetem.
Eleiül fogva egy Jambortul,
Neveztetem az Szent Abráamtul.
Abrahámnak meggyes egy házátul,
Es környülem való sok szép fáktul,
Kövin végre, az után Kis-Kevi,
Lett nevem az Rátzoktúl Ráczi kevi.*

Ea

Ea latini interpretantur hoc modo:

*Non, vt habent alii, nomen mihi dux KEVE, nec vox
Graeca KEVI peperit, quamuis inunder aquis.
Abrahamea prius vocitabar ab aede parentis
Isaak, quam merasi tinxerat umbra crebra.
Deinde KÖVIN coepi dici, mox KIS-KEVI, tandem
RÁCZKEVI, Rascianis gentibus aucta fui.*

§. II.

Ergo, Rasciani, huc, Turcarum metu demigrantes, nomen oppido indidit; atque in his, ii maxime, qui Kövin, Thracicum olim oppidum, incoluere. Certum est enim, adprobaturque a doctis, Sigismundi (g.) regis temporibus, anno circiter MCCCC. Muhamedem, Turcarum imperatorem, adeo in Graeciam, Bulgariam, Rasciamque seuisse, vt pertaxi tot calamitatum, regionum earum populi, sedes patrias migrarint, conuasatisque, quas eripere licuit, rebus, aduerso amne, in oram hanc adpulerint, atque praeter S. Andreae insulam, insederint Csepeliam quoque, & cum vicos alios insulae, tum in primis Abrahami hunc, occuparint. Inquilini erant primum, nulla gaudentes libertate alia, quam quod tuti erant a Turcis; cetera, rusticorum fere in censu habiti. Id vero, cum ferre nollent aduenae, supplices ad SIGISMUNDVM accedunt, demonstratisque sortis suae rationibus, vicum, in liberis haberi oppidis, maiorem in modum rogant. Adsensit precibus SIGISMUNDVS, quodque cognitum haberet: quippe relaxandi animi causa, in insulam diuertens saepius; mercatibus potius, quam rei rusticae, locum esse commodiorem, incolas vici Hungaros non minus, quam Rascianos, anno MCCCCIV, non modo liberos pronunciauit, vt per omnia tributorum, tricesimarum, & teloniorum loca, tam Regalium, quam Reginalium, & aliorum quorumlibet, libere & sine omni exactione, tam in personis, quam etiam mercibus, per regnum Hungariae ubique admitterentur; sed etiam nundinas eis, ad diem Visitationis B. Mariae, quotannis instituendas, privilegio alio, anno MCCCCV. concessit. Ea regis benignitate, adeo re domestica, aedificiisque proficiebant, vt vicus, oblitterato sensim, S. Abrahami nomine, primum Kis-Kevi, a Kövin, Rasciae olim oppido, nunc Temesiae, contra Szendruiam, ex quo Rasciani nostri aduenerant; denique Rátzkeve, nuncuparetur.

Tom. III.

Uuu

§. III.

E Existare, SIGISMUNDI regis diploma, aiunt, quo is, GEORGIO DESPOTAE SERVIAE, insulam hanc, pro regione Belgradensi, donarit, quod ta-

men nobis visum haud est. Neque BONFINIVS, cum rem eam describit, Dec. III. Lib. III. p. 440, 40. insulae huius meminit.

Oppidi
Rátzkeve
ficus:nominis
ratio:rhythmis
Hungarici
explicatur.Denomina-
tio, a Ra-
sciano-
rum colo-
nia posita:donatur a
Sigismun-
do privile-
giis:magna op-
pidi acces-
sione.

§. III.

Reliqua
Sigismun-
di, erga
Rátzke-
vientes,
beneficia.

Placuit Sigismundo, Rascianorum huius colonie incrementum. Itaque, anno MCCCCXXXVIII. villis regalibus, *Bálványos*, alias *Kapusa*, & *Zkorenovecz*, seu *Izra*, quos ipsi excoluerant, eodem donat, & ab omni censu, atque lucro, *ffico* olim regio exhiberi solito, immunes reddit, liberatque. *Ut autem eisdem*, (verba sunt privilegii) *Et de saluo conductu in perpetuum, per omnia regni loca, ad instar aliarum liberarum civitatum, prouideretur, exempt eos idem Sigismundus, a quorumlibet iudicatu, impedimentis, arrestationibus, & damnificationibus, signanter pro delictis & excessibus aliorum: adiecto, ad annum MCCCCXXXV. diplomate, in quo mandauit, ut questores & mercatores, tam ex Hungaria, in Rasciam, quam etiam ex Rascia, in Hungariam, cum suis mercantiis aduenientes, suas res in ciuitate Rátzkevienti, exponerent, aut si Kevenibus opus esset, ibidem venundarent, nullusque forensis, & extra territorium predicta ciuitatis Keve commorans mercator, quemuis pannum, praterquam in nundinis, in eadem ciuitate, celebrari solitis, cum vnus, seu minutim, nisi cum integris peciis, vendere presumeret. Addidit porro, idem rex indulgentissimus: ut, ob praclarum, ut verba sonant, eorum fidelitatem, & obsequiorum laude digna merita, ad utilitatem, & commodum quoque regni, & ciuitatis, forum etiam liberum, singulis feriis tertiis, in omni hebdomada, sub iisdem libertatum prerogatiuis, quibus fora alibi celebraretur. Ut nihil dicamus, quemadmodum SIGISMUNDVS, iure patronatus donarit Rátzkevientes, quae cuncta, eius successores, rata habuerunt, quin auxerunt etiam in maius.*

§. IV.

Regum se-
quato-
rum, erga
oppidum,
indulgen-
tia:

Sunt, praeterea, Rátzkevienti tabulae, quibus ALBERTVS, gener & successor Sigismundi, roborauit, locupletauitque immunitates eorum, ad annum MCCCCXXXVIII. LADESLAVS posthumus, ad annum MCCCCLIII. & LV. MATTHIAS CORVINVS, MCCCCLVIII. MCCCCLXIV. MCCCCLXXIII. nec non MCCCCLXXXIX. additis priuilegiis, quibus terminos ipsorum inter vicos, *Sz. Márton*, *Uffalu*, *Lórvó*, & *Bese*, per regium hominem, an. MCCCCLXV. definiuit. VLADISLAVS, MCCCXC. & MDI. quibus & lignandi eis passim, & piscandi, in insula *Somlyó*, dedit facultatem. Sed ANNA quoque, coniunx VLADISLAI ad an. MDIII. piscinam eis in territorio *Keveniensi* donauit, vulgo *Királyréte*, latinis, *lacum regium*, dictam. LYDOVICVS demum II. tam in continente, quam fluminibus, liberos esse debere, anno MDXVII. & MDXXXIV. iussit. Idem fecit, & IOANNES de *Zápolya*, anno MDXXXVI. adfirmatis, MATTHIAE & VLADISLAI, priuilegiis, nec non, iure traiectus, omnes commeantes libere transportandi. Haec, & plura alia, in tabulario suo, Rátzkevientes adseruant, ut mirum sit, potuisse,

eorum ta-
bula ad-
huc super-
sitas.

tuisse, inter tot calamitates, haec illiusmodi cimelia, superare. Inibi, & poema MATTHIAE SKARICAEI (h.) loci olim parochi adseruatur, ex quo versus, supra insertos, decerpimus.

§. V.

Atque, ex eiusdem viri narratione, oppido terfa & fideli, non minus, quam tot regis diplomatis, luculenter discimus, quonam statu fuerit olim *Kevenum*. Non modo enim, muris instructum aedificiis, scribit idem, sed etiam, tam laxum, tamque fuisse locuples, ut foris quidem septem, vicis pluribus, consisterit. Fora sic describit:

Tágos-piacz, Malom-piacz egyik,
Széna-piacz, Fa-piacz negy edik
Vagyon bennem, Kés-piacz ötödik
Aros-piacz, Rác-piacz heetodik.

fora:

quorum haec fere sunt nomina: Forum maius; molendinarium; ferri; lignorum; imaginum; nundinarum; ac denique Rascianorum. Vicos deinde recenset:

Veszet dolog én bennem lakásod,
Üczáimnak ha nevet nem-tudod
Nagyfel-Üczát, Képfel-Üczát járod,
Melkyék-Üczát oda fel számlárod.
Romlásából, az Jo-Fejér Várnak
Fejér-vári Üczátis adának
Verésről az len mag olajnak,
Olaj-veró neven edgyet hírnak
Alá térvén Nagy-All-ücza egyik
Akaszó fás, Makofalva másfik
Oldal-Ücza, Szék-ücza második,
Sz. Miklós-ücza az ötödik.

vici quid

Haec, antiquitatis Hungaricae amor, fuisse adscribere. Tempora tradit fuisse tria, *Abrahami* vnum, quod Hungaris mansit; *Visitationis B. M. Virginis* alterum, quod *Rasciani*, anno circiter MDX. ab Hungaris aedificari coeptum, consumauerint; tertium autem, *Sanctae Crucis*, condidit anno MDXXXVI. *Barrabus*, quidam incola, foenore, quod

h.) Fuit, MATTHAEVS hic SKARICAEVS, Keveni natus, vir, ea aetate doctissimus: quippe qui, praeter morem gentis nostrae, Italia, Heluetia, Gallia, Anglia, Batavia, & Germania, studiorum caussa, peragratis, eximiam sibi, & doctorum virorum noticiam, & eruditionis apparatusum, conquisiuit. Scripsit vitam STEPHANI SZEGE-

DINT, reuera, ut eum eius memoriam commendat potteris, suam simul propagaret. Praemissa est, locis Theol. SZEGEDINI, qui tertium prolicere Basileae, A. MDXCVI. sol. Multa illic Keveni, & istorum eius, mentio reuerit; tamen, nunquam Rátzkevi adpellatur, quod eum, auertatione gentis, putarim fecisse.

quod itineris vnus mercatione acquisuerat. Voto se is, cum celebraret nuptias, obstrinxerat, totum id, quod anno eodem indeptus fuerit, lucrum, exadificando templo impensurum. Cum ergo, vnus profectiois labore, tantum est lucratus, quantum educendo templo sufficiebat; alterius itineris focus, in turrim impendit. Hæc, SCARICARI atate, fuere templa. Hodie itidem trina, sunt, quæ superfedemus recensere.

§. VI.

FLoruit autem, ea fortuna, atque incremento, *Rácskeve*, vsque ad occasum *LVDOVICI II.* regis. ex eius enim interitu, cum tota hæc regio, tum oppidum quoque, pessum iuit. Nempe, ciues *Hungari*, non minus, quam *Rasciani*, atque *Itali*; nam & hi colebant oppidum, mercatum causa; qua quemque fors ferebat, dilapsi, vacuum reliquerant. quod demum grassantes hostes ingressi, flammis deleuerunt. Diutius in ruderibus iacuit, neque potuit, nisi lentis profectibus, instaurari. Plurimum reuiuiscenti oppido, ex *Albaregalensi* colonia, incrementi accessit. Cum enim, vrbis eius ciues, metu hostium perciti, de nouis sedibus circumspicerent, *Kevinium*, cum reculis, accedere ad habitandum. Accepti heic in ciuitatem, plateam, ex suo nomine, *Albaregalensem* dictam, copiosis ædibus, instruxere. Sed ne hac quidem accessione effici potuit, vt in pristinam fortunam reponeretur oppidum: quando, factis sæpius barbarorum, & nostratium impressionibus, fatigabantur incolæ. Nunquam *Buda* obsidebatur, quin nouæ in *Kevinium* tempestates defæuissent. Maxima ea fuit, quam anno *MDCLXXXIII.* pertulere. Pulsis nempe, ab obsidione *Viennensi* *Turcis*, cum fugitium hostem, *Poloni* insequuntur, palantes, in insulam, barbaris vacuum, delati, oppidum, militari censu mulstant: securitatem ciuibus spondentes, si, quod imperatum est, mature dependerent. Fecere illi, pro temporis iniquitate, quantum facultates permisere; cum *Poloni*, nec seruata fide, oppidum inuadunt, fornices extundunt, & quidquid passim occurrit, quam diligentissime conuertunt, inque currus, & iumenta ciuium, iniectis, sarcinis, in malam crucem abeunt. Doluit facinus, populabundo passim *Germano*. Ergo, is quoque aduolat, & quod erat a *Polonorum* rapacitate residuum, prorsus conuasat. Sunt inter ciues, qui eam cladem, sequuti anni *MDCLXXXIV.* quam irrito conatu obsideretur, *Buda*, calamitatibus auctam, meminere. Ne tunc enim, a pabulatoribus, exinanito iam oppido, parcebatur. Ergo, vt expilati roties, ciues, vitæ consulere, in insulam, *Angyali* nomine, perfugiunt, totamque illic æstatem, tamquam in lustro quodam, commeatu inopia fere eneati, transmittunt. Accessit, acer auctumnus, & rigida hiemis primordia, quibus tantum non confecti, neque exire poterant, neque durare vterius. Et, quamuis spem fecit miseris redeun-

Occasus
Ludouici
II. oppi-
do succumbit

incolitur
Albarega-
lensi colo-
nia:

calamitates
oppidi,
ex *Buda*
obsidioni-
bus profu-
erunt.

deundi, obsidionis *Budensis* solutio: tamen, maior spe metus erat, quem postea *Turca* incusserunt, quum missis mox nunciis, repeterent censum eum, qui durante obsidione, adcreuerat. Mitigandis ergo barbaris, corraso quantulocunque ære, ad *Vesenses*, coadunandæ colonix causa, transire statuunt; cum nouus iterum oppugnandæ *Bude* rumor, vulgari cœpit. Itaque, ne iterata hac tempestate, obruerentur penitus, cum septendecim pagorum exulibus, in proximam insulam *Somlyó*, confugiunt, iterumque fame macerati, vsque in serum auctumnus, illic hærent; dum possent ad suos redire.

§. VII.

Post expugnatam *Budam*, feliciora sibi fore omnia, spondebant *Kevinenses*; at, successu, non modo nullo, sed multo etiam, quam reris, infeliciore. Redierant ciues, vt hibernarent in oppido. Id, simul *Turca* *Albenses* cognouere, missis armatis nunciis, censum, quo tenerentur, repetunt, ac, nisi properarent iussa exsequi, ferro ignique delendos, crudelissime interminantur. Abiere illi ad suos; at *Rácskevienses*, in ea æris penuria, consiliu inopes, incingere fossis oppidum occipiunt, vt se tueri possent aduersus *Turcarum* impressiones. Verum, nondum perfecerat opus, cum adsunt hostes, oppidum inuadunt, censum, nullo non cruciatuum genere, extorquent, maleque mulctatos ciues, propemodum opprimunt. Pessimam hanc fortunam, consequuta annonæ caritas, multo fecit acerbiorem. Tanta enim rerum fuit inopia, vt ne fama quidem frumenti superstitere, milii cubulus vnus, duobus florenis, ægre coemere-tur: compluribus, carnem caninam, felinamque, in deliciis fuisse, ex tabulario oppidi, condocti sumus. Postea, pacatis sensim rebus, oppidani quoque conquieuerunt. Biennii ea fuit requies: nam, anno quidem *MDCLXXXIX.* cum bellum traheretur adhuc, dissipabantur iterum ciues, *Rascianis* *Földvarum*, in vicinos vicos *Hungaris*, elabentibus. Residuos, anni *MDCXCI.* pestilentia, fere omnes confecit. Itaque, tot malis fracti, atque diminuti *Rácskevienses*, ex pristino ciuitatis flore, in vici inopis habitum, degenerauerunt. Paruerunt tum *C. Stephano Eszterházy*, qui eos, anno *MDCXCV.* *Häuslero* permisit possidendos. Is tamen, vix annis duobus oppido dominabatur, quum, anno *MDCXCVIII.* ditioni *EVGENII PRINCIPIS*, adfereretur. sub cuius moderatissima dominatione, non oppidi tantum nomen retinuit; sed spe etiam sustentabatur, fore, vt tam clementis principis beneficio, auitæ restitueretur libertati; saltem, repareretur, ad qualemcunque pristinae felicitatis habitum. At enim, spem eam, mors (i.) herois incomparabilis, frustrata est, vt sit, cur indoleas, cum rebus *Kevinensium*, tum insulæ totius.

Uuu 3

§. VIII.

i.) Incidit ea, in annum, quo hæc procu-
duntur, *MDCXXXVI.* mensis Aprilis
d. *xxi.* magno orbis melloris, atque

subditorum in primis, luctu: quippe
quos, quantum in se erat, benignissi-
me habuit.

Buda ex-
pugnata,
quæ suc-
cumbit *Ke-
vinii* sape:

urgens fa-
me:

recreatur,
iterumque
adicitur,
bello, &
pestilentia:

quæ hero-
habuerit?

se, *Cæsaris*
indulgen-
tia, *EVGE-
NI PRINCIPIS*.

§. VIII.

Hodie, quo
sit habitus:

ciuium no-
cupatio &
vicius:

agri indo-
les, & ar-
gastia:

oppidano-
rum gene-
ra, & in-
genium:

Nundinae:

insignia.

EXigua hodie, oppidi positio est. Nam, cum olim in multa fora, & vicos, murata & ditia aedificia, diuisum fuerit; iam vna tantum insigniori platea, definitur, aedulam autem, quae sit habitus lautioris, vix vllam ostendit. Certe, quae praecellunt aliis, *dominii* sunt. Mercatorum, vno plures, non vidimus; quamuis, & is nomen, non rem inlitoris mereatur, quum viuere commerciis nequeat. Ciues reliqui, vitam degunt, ex agro, qui eis tamen non in oppidi terreno, sed in alieno est, trans Danubium. Enim vero, quod ad oppidum spectat in insula, exile est, vixque maius, quam dimidii milliaris ambitus, inter ramos vtriusque Danubii, & vicinorum pagorum, *S. Martini*, & *Betse*, terminos, qui dimidiae horae distident intervallo. Sed, haec etiam in merum abeunt fabulum, neque, siue segetibus, siue foenifeciis, sunt idonea. Etsi namque, hinc & illinc, per fluminis ripam, modica se praebet foenifecandi commoditas: tamen, eadem quoque, crebris Danubii eluionibus, ita vitiatur saepe, vt id etiam, quod fieri posset, intereat. Bubulum, quod alunt, pecus, hinc illinc, pascuorum causa, pellitant, raro tamen eiusdem incremento, proficiunt. Paucae eis vineolae sunt, in occidentem. Itaque, ex agris exteris quarant, & victum, & lucelli quidpiam, necesse est. Lignandi nulla eis, nisi ex *virgultis*, facultas sufficit, eaque cum suffragio herili, sine quo, nulli dumeta saltem adtingere licet; praeter exigua quadam in insula. Ciues *Hungari* sunt plurimi, qui in templo *S. Abrahami* sacris operantur. Reliqui, partim *Germani* sunt Catholicici, quorum est aedes *S. Crucis*, partim *Rasciani*, ritus Graeci, in *B. M. V. Visitationis* sacrario, cultui diuino vacantes. Pulchra inter omnes confessio est, quam indulgentia principis optimi, egregie confouit. Neque velle multum discrepant, tamen vnius cuiusque nationis peculiaris, & in his, obseruetur modus. Nundinae eis annuae celebrantur, diebus *Pauli conuersi*, *S. Marci*, *Duodecim* item *Apostolorum*, atque *S. Emerici*, exili mercantium frequentia. Insignia oppidi, sigillum ostendit. Fisso id est scuto, cuius latere dextro, gladium vagina nudum, cumque humi quasi defixum; quatuor trabes, seu fluminum alueos, sinistro videas. Circumit inscriptio: VITA MIHI CHRISTVS, RERVM CONCORDIA FISCVS.

§. IX.

Castelli, pro-
pe oppi-
dum, deso-
les:

ADedit tenui oppido, magnifici operis castellum, PRINCEPS EVGENIO, conditore. Vilitur id supra oppidum, in eadem fluminis ripa, loco plano, erectiori tamen, quam depressiori, & maxime lati aspectus. A fronte namque, tota ei patet insula, a tergo, annis fluctuat, vastamque vltra ostendit planitiem. Licet vero, vno tantum emineat substructionis ordine, altius tamen adpa-

ret,

ret, ab longinquo, quam, duarum contignationum moles alia. Ad litterae M. videtur positum esse similitudinem: recuruum enim in medio, protrahit a fronte in arcem, magnificum quoddam opus, cuius intima tenent, diatam, & splendidum buleuterium. Enim vero, spatium est apprimè laxo, solo marmoreo, parietibus eleganter incrustatis, abside alta, & vermiculati operis, valuis & fenestris, infra supraque, augustis, & nil nisi eximium quid ostentantibus. In summo, turris turbinatae habet speciem, & super ea, circa rectum, ea parte, qua in arcem respicit, subdalem porticum, quam saxei clathri, & super his statuae, *Mercurii*, *Herculis*, *Aenea*, atque *Anchise*, aliorumque poematum, circumueniunt, & ornant. Reliqua aedificii, procurrunt vtrinque ad hoc medio; in aquilonem hinc, Principis habitaculum, cum procoeto, & reliquis conclauibus; illinc, pro hospitibus, & ministris, perpetua, & splendida cubicula. Et, quemadmodum litterae, quam indicavi, a tergo cedunt latera; ita haec etiam conclauia continuantur versus ortum, quorum vtriusque finem, turriculata iterum, & turbinata, laxioraque paullo prioribus, definiunt hospitia. Singula haec, area intercedit, ampla satis, & ob solum, quod instratum est, vegetumque plane aera, opportuna. Totam eam murus pracludit, ad floris modum, flexuoso instructus opere, porta autem cancellata. Paucis, nihil haec est, quod non Augusto, & magnifico opere, de conditoris sui, magnanimitate testetur, & gloria.

II. Vici Insulae.

NOuem horum esse diximus, habitus olim eximii, dum integrae fuerunt res Hungarum, frequentabaturque insula, Regum, & Reginarum, Augustalium item comitatum, secessibus. Iam, ex innumeris cladibus, ita sunt facti tenues, vt vix umbram referant, copiae atque decoris pristini. Qualescunque sint, describemus eos ex vero.

1.) *Csepel*, vicus est, a quo insula nomen trahit. Insidet ripae aluei maioris, e regione promontorii, dimidiae horae itinere, infra insulae principium. Olim, maiorem, & celebriorem fuisse non modo fama indicat, sed etiam rudera domuum, fusius dispositarum, in quibus, nobilis cuiusdam aedificii exstat vestigium. Crebris, postea vicissitudinibus beliorum, adeo exinanitus est, vt primus cum sit, situs ordine, coloniarum tamen copia, vicis eiusdem insulae reliquis, multum postponi debeat. Paucis, & humilibus aedulis, sparsim, per ripam fluminis, confedit. Rus pago modicum in insula est. In septentrionem, & orientem, nonnihil facit sementis, humo tamen sabulosa, & non tritici, sed mixti frumenti, quomocumque patiente. Latamen profecto terra haec poscit, & arationem triplicem. Pratis caret: quidquid enim est foenifecii, ad herum id adinet. Neque siluae ei sunt, nisi modica virgulta, quae fluminis & pagi interstitium, in-

intermittit. Trans anem, in promontorio, nonnihil ei ad agricolandum, opportunitatis suppetit. Ibidem & vineolæ sunt, nuper ponni coeptæ. Pascuorum modus tenuis, qua re, pecus domesticum macrum sit, & hibernis stabulationibus, fere exanguæ. Incolæ partem maximam *Rasciani* sunt, ante Iustra aliquot, *Germanis* etiam admixtis, quibus superiori vici parte sunt ædiculæ. Mixti hi incolæ, omnes *Romano-Catholici* sunt, qui sacrorum causa *Budam* adeunt.

2.) *Sz. Miklós*, distat a priori, in orientem hibernum, modico milliari, in altera ripa Danubii, qua is, ab *Haraszti*, versus *Taxon*, voluitur: huic tamen quam illi, accedit propius. Meliuscula paullulum positione est, crebrioribusque ædificiis, obsidet flumen; sed vero, pari & hic fortuna, temporibus *Turcicis*. Ea maxime tempestate, qua *Buda* obsidebatur, in insulas diffugit, propter incursiones, nunc *Turcorum*, nunc hos persequentium *Germanorum*, & *Hungarorum*. Domus pagi, vico vnico, ab occidente, prodeunt in orientem, versus flumen, a quo multum accipit, interdum detrimenti. Nam, quoties intumescit, effusis aquis, non tantum, vico inundato, ad templum vsque pertingit, sed etiam agros vitiat extra modum. Alioqui, territorium loci exiguum, vix tertiae parti pagi sufficeret, nisi ex vicinis vallatibus subleuaretur. Adest enim eis, a septentrione, *Szólós*, & ab occidente *Háras*, quorum huius parte tertia, illo, ex integro, potiuntur. Solum & heic sabulosum est, mixtum tamen passim gleba meliori, & frumenti vulgaris ferace, præsertim, dum fimo perspersum, ter aratris sexiugis subigitur. Siluæ, & heic nullæ, nisi dumeta, pascuaque haud magnæ gloriæ. Crebri tamen sunt arenarum tumuli, iunipero, & quercetis oblitici vsus. Ea parte, qua insula recedit in meridiem, rus vici, *Tökölensium* finibus terminatur.

3.) *Csep*, descendit eadem ripa in meridiem, milliari vnico intervallo a priori, Danubio autem adeo prope, vt eodem exundante, parem cum *S. Miklós*, nonnunquam maiorem perniciem accipiat. Per longum ripæ, ædicularum est positio, paucis, & exilibus ædificiis propagata. In his, modico annis incremento tuti haud sunt *Rasciani* incolæ. Eos, partim vetus *Thracum* colonia, huc adducta, post se reliquit; partim vero, adtulit noua: crebris enim hostium grassationibus, adtriti sunt veteres illi. *Turcicis* certe, & ciuilibus tumultibus, sapius dispersi, rarissime redierunt, quin alibi perierint plurimi. Postquam *Buda*, ad Christianos rediit, aduenerunt, haud pauci ex *Sernia*. Sed vbi & hi tumultu *Rákócziano*, incursiones, & depopulationes tolerare non poterant, vico desolato, sparsim alii ad viciniam, *Tökölum*, alii alio, diffugerunt, manseruntque sub alienis tuguriis, annis septem, donec sedatis motibus, redirent iterum, & rudera desolati, atque humo æquati vici, pro modo possessionis, rur-

sus

sus instruerent. Est eis, ædes sacra, ritus eiusdem, quam beneficio suorum erexerunt. Reliqua, faciem habent pauperiei. Præterquam enim, quod ex terreno, modicam, & vix sustentandæ vitæ sufficientem, agricolationem, poterunt instituere; aliunde, vix suppetit, quemadmodum emergant ex ea miseria. Id etiam, quod soli adfert, exigua & sterilis, cultura, eluies sæpe, aut subripit, aut vitiat. Par & foenesciorum eis ratio est: quippe quæ, in riparum marginibus sunt tota, ideoque, modicæ cuius eluioni obnoxia. Ceteroquin, quod a flumine recedit, abit in sabulum, & informes arenarum tumulos. Itaque, nec sementi faciendæ, idoneum est, nec pascuis. Ea parte, qua *S. Miklós* confinis est in septentrionem, modicis dumetis, per eosdem tumulos, vigescit, multamque fert iuniperum. Sed ea quoque, feris sunt destinata herilibus, quarum frequens heic copia. Ab occidente, accedunt eis termini *Tökölenses*, dumoso itidem, & sabuloso terreno. A meridie, *Sz. Márton* est, nec non vicus *Ujsalu*, a quo tamen, dimidii milliari intervallo, submouetur.

4.) *Szent Márton*, locum inter *Csep*, & *Ráczkeve*, occupat medium, fluminis ripa eadem; ita tamen, vt ab hoc, quam illo, sit seiunctior. Remouetur ab *Ujsalu*, vnico quadrantis horæ itinere, in septentrionem. Terrenum, formam habet trianguli, inter eosdem tres vicos. Exiguus is est, & vix domuum quindecim numero amplior. Olim, a *Thracibus* insidebatur; qui, vbi defecerunt, a *Germanis* occupatus est: *Thracibus*, qui superabant, partim in oppidum *Ráczkeve*, partim alio, translatis. *Germani*, ex *Fraconibus* sunt, & *Sueuis*. Infestus vico Danubius, quoties intumescit, in agros, atque prata effunditur. Interdum, totum pagum circumluit, solis ædiculis, quæ sunt erectiori positu, intemeratis. Atque, hoc maxime eis damno est, cum ob rem familiarem, tum in primis, quod ea aquarum molestia laborantes, nusquam ad sacra valeant demigrare, nisi scaphis cucuti. Ceterum, neque hinc abest sabulum, & steriles arenarum cumuli. Itaque, heic, nisi stercoreta humus, & ter aratris subacta, fert prorsus nihil, saltem negligenter. Lignandi abest facultas, vnica virgultorum, hinc & illinc siluescentium, regione, quæ tamen ipsa, haud vbiq; ab herili administratione, permittitur. Vitam ponere ceperunt, sed paucissimam, & quæ duabus, ad summam, vineolis, fructum ferre parat; reliquis sensim adolescentibus.

5.) *Ujsalu*, recedit in alteram insulæ partem, estque contra *Sz. Márton*, in ripa aluei Danubialis, qui, a maiori illo diuisus, insula minore facta, in hanc oram, reflectit. quæ, quod vicina est vico, ab eodem, *Ujsalusiana* vocitatur. E regione ipsius, trans maiorem ramum Danubii, visitur *Ercsen*, possessio *Czapariana*, ad quam nostri, interdum, sacrorum causa, consueverunt excurrere. Ipsum *Ujsalu*, ab *Hungaris* veteribus, transierat ad *Rascianos*. qui tamen, quod postea, ob crebras bellorum vicissitudines, defecerunt, & nonnihil aliquot exilibus familiolis continebantur, *Germanica* colonia sunt

Tom. III.

X x x

per-

permixti. *Austriaci* erant, qui primum, ea tempestate, vicum inflaurunt. Quorum societatem, cum ferre nollent *Rasciani*, ad suos, huc & illuc, sunt dispersi. Magnæ postea calamitates, excepere *Uffalustenses* Germanos, cum *Rákóczi* tumultuarentur. Aediculas, ex laterculo crudo instruxerunt. Etsi vero exiguo sint rure, coque, quam *Sz. Mártonenses*, minori; tamen, student agro, quantum poterunt, diligenter. Vitem etiam ponere occeperunt, fructus rubei, pro insulæ situ, & natura, per erectiores quaspiam adclivitates. Solum eorum, pariter sabulosum est, atque tritici impatiens. Fert vero frumentum, si fimo, & araturis trinis, subigatur. Silvæ nullæ sunt, sed medica tantum dumeta, per ripam Danubii. Eadem parte, etiam foenifecia habent, nisi eluic corrumpantur. Cohibetur ager huius, ab oriente, terreno *Rácskeviensi*; *Sz. Mártoniensi* autem, & *Csepiensi*, a septentrione; ab occasu, *Danubio*.

6.) *Lórév (k.)*, vno milliari Germanico est infra *Uffalu*, in eisdem maioris alvei ripa, paulo tamen remotius a flumine. Nam, huic, & pago, pratum, seu lucus intercedit, virgultis salicum, & id genus arborum, siluifcens. Vicinus ei, eadem in ripa, locus est, nomine *Cseroicz*, cuius tamen nihil videtur reliquum, nisi rudus & hortuli culinares, quos *Rácskevienses* informant, tametsi eum *Lórévenses*, ad se pertinere aiant; est enim supra *Lórév*, quadrantis milliari interstitio; tantundem distat, immo paulo remotius, a *Rácskevi*. Hoc autem, a *Lórév*, remotum est in septentrionem, leuæ vnus itineris: reliqua, vti *Becs*, sunt ei in orientem, in meridiem vero, vicus *Makád*, pari fere inuervallo. Itaque, his etiam terrenum arctum, sabulosum, & planum est, neque, nisi fimo, & triplici aratione recolatur, frumenti ferax. Ex ea parte, qua in meridiem spectat asiuum, intercedit quædam modica pars terræ pinguioris, quæ triticum patitur, tametsi & ea poscat industriam, adcuratoris agricolationis, & sæpius, aquis vitietur, dum flumen exundat. Par, & prata, fortuna manet, quæ parte illa, marginem fluminis tenent. Eadem ora, insula exigua visitur, in qua arbuta habent incolæ. Alioquin, modus lignandi, heic quoque, & tenuis est, & adstrictus ad herile arbitrium. Itaque, stramine ignem fouent, & virgultis. Ob ruris pascui inopiam, armentis haud proficiunt. Incolæ, *Rascianis* constant omnes, paucis familiis definiti. Sunt autem in eis, qui, post recuperatam *Budam*, ex *Serua* huc accessere. Riturum obtinent religionis suæ, *Græcum*, cuius & ministrum inter se, & templum habent, suo ære, siue exstructum, siue reparatum ex parietinis.

7.) *Makád*, abest a priori, quadrante milliari in meridiem, eadem ripa Danubii. Extremus insulæ huius vicus est, ea parte, qua ad finem properat, & vtrinque propius coeuntibus *Danubii* alueis, sensim coarctatur. Nam, a ramo fluminis sinistro, vsque ad *Makád*, plus,

k.) Vocatur sic, ab equitio regio, quod eo loco, siue transposi olim consue-

uit, in vltiorem ripam Danubii, siue aduari.

plus, dimidii milliari intercapedine, haud est; alueus autem fluminis maior, accedit vico, intermissa silua, & palude, quam idem repellit *Danubius*, a fine insulæ, vsque ad pagum, repercusso quodam armo, qui siluam eam circuit, & in nouæ insulæ similitudinem, a continente, rescindit: dum, ad vicum vsque, peruenit, ibidemque, crepidine cohibitus, in vastam paludem effunditur, quam demum lacunam, perpetuo stagnantique alueo, in orientem, ducit, versus *Dömsöd*; atque inde rursus redit, in meridiem, retractoque iterum ductu, cum suis aquis, in insulæ extremo, coadunatur. Alioquin, inde a *Lórév*, submititur alueus alter, vulgo *Holt-Duna*, qui ab insula *Lórévensi* pomaria, pari, vt prior, aquarum circuitu, nemus rescindit, & reuera, insulam format siluestrem, tametsi eandem, parte illa, vbi ad *Makád* peruenit, reflexo in *Danubium* fluxu, mediam quasi diuidat. Itaque, vicus totus aquis circumfunditur, & quasi in noua quapiam insula, hæret. Pro more autem amnis, nunc exundantis, nunc alueo suo cohibiti, pari, cum reliquis, modo, nunc perdit, nunc tenet, agricolationis qualemcunque commoditatem. Silua tota heri est, neque licet *Makádiensibus*, nisi accepta indulgentia, lignandi facultate vti. Itaque, stramen, & virgulta, arundoque, ex palude, quæ vicina est, vicem lignorum explent. Alioquin, incolarum singularis industria, his etiam in angustiis, vicum ita conseruauit, vt non tam habitu, quam situ, extremus sit in hac insula. Nam, quod suo in territorio habere nequit, in alieno id quarritat. Scilicet, ære conducit agros, vicini, in orientem, prædii, quod vulgo *Gyal* nominatur. Ergo, coniuncta huius, cum suæ terræ, rullicatione, qualicumque cura studet conseruare, gentis atque vici sui, perennitatem. Incolæ, *Hungari* sunt, posterii eorum, qui olim hanc oram inhabitabant.

8.) *Becs*, *Hungaris* *Becse*, est e regione prioris, ad ripam alvei *Danubii* minoris, quadrantis, plus minus, milliari inuervallo, in septentrionem hibernum. Tantundem distat, & a *Rácskevino*, in eadem ripa, & a *Lórév*, quod recedit a *Becs*, in occidentem. Ipse vicus, erectiorem locum occupat, vix vicenis domibus constans. Ea parte, qua in orientem spectat, obiicit se ei insula, exili ramo *Danubiali* intercedente. In ea nonnullis, modicus arborum fructiferarum, atque graminis, reditus est. Nam reliqua sunt *Rácskeviensium*. Infra vicum, prata quidem agris intermittit flumen: sed, quæ sæpe vitiat exundationibus. Quare, nisi ripis cohibeatur, foenifecia, aut nulla fiunt, aut limo fœda. Inde, agelli sinibus accedunt *Makádiensibus*; atque, vti ea parte, in meridiem procurrunt, ita, repelluntur post a *Lórévensi* termino, in occidentem, & septentrionem. Solum eis sabulosum quidem, sed sic satis fertile est, tametsi pariter lataminis, & triplicis arationis, indigum. In medio agrorum, nemus siluifcens, adolescente adhuc, sed densa quercu, lignationis tamen vetitæ, propter siluarum inopiam. Est heic, & herilis villa, laxo,

muratoque opere instructa, eo loco, qui inter nemus, atque vicum, intercurrit. Ultra, quod in occidentem & oppidum *Raczkevi*, recedit sterilium arenarum turgent cumulis, iunipero tamen virentibus. Vicum incolunt *Germani*, ex Styriis, Austriacis, Sucusque huc deducti. Olim, *Thracæ* cum inhabitabant. Sed, ubi primi *Germani*, ante annos fere triginta, aduenerunt, nescio, quam ob rationem, conclamatis, nocte intempesta, vasis, secundo amne, recesserunt, colonia *Germanis* vnice relicta, lente admodum proficientibus

9.) *Tököly*, recedit ab oppido *Raczkeve*, milliariis duobus, in occidentem, versus maiorem Danubii aluicem, a quo, passus vix mille, remotus est, insidetque sabuloni edito, a ventis olim, aquisue congesto. Id eo valet, vt nequeat ab excedente ripas Danubio, euasari; tametsi sæpe, ad domos vsque, eluiones pertingant. Sunt autem ædiculæ vix triginta, fortis tam pressæ, & egenæ, vt alias decem, forma atque facultate, haud exæquent. Eas, *Rasciani* posuerunt, ex colonia *Dalmatica*, & *Seruiana*, quæ post desolatam *Hungaros*, huc delata erat, residui. Fata, communia vico fuere, cum insula, & huius inquilinis. Parca ei est territorii portio. Ab oriente, finibus terminatur *Csepionsibus*, quadrantis vix milliariis intervallo; tantundem, ab eo distant limites *Sz. Mihály* in meridiem, neque multo longius in septentrionem, *Sz. Miklós*. Interfunt quidem flumini, insulæ duæ, sed parui fructus; minuta enim tantum virgulta, & arundinem educant, sapillimeque obruuntur aquis. Par fortuna manet, eam quoque continentis partem, quæ flumini est proxima. Itaque, eadem & heic agricolationis est difficultas, quam ad vicos reliquos, memorauimus.

Ad famam vici pertinet, quod gens *Tökölyorum*, hinc prodierit. Neque vero tam sunt nuperæ, familiæ iam extinctæ origines, quam id existimauimus alias. *MATTHIA* certe *Coruino*, rerum potente, non in familiaribus modo regis censebantur *Tököli*, sed erant etiam, virtute bellica insignes: quod vtrumque de *Nicolao*, & *Andrea*, *Tököliis*, ipse *MATTHIAS* prædicat, in ea epistola, quam ad Cardinalem *Agriensem*, tunc Romæ agentem, *Nándor Alba* dederat, de expeditione *Pauli Kinisy*, in *Seruiam*, feliciter suscepta. Fragmentum eius, quod illuc adinet, huiusmodi est: *Secundo die festi Omnium Sanctorum, quæ erat dies Veneris, Paulus Kinisy, ita antea, cum omnibus gentibus nostris, puto, duobus & triginta millibus hominum, bono modo preparatis, ex castro nostro Tömösvár, discessit, & omnibus, qui domi suæ parati, iussionem illius expectabant, intimauit, ad diem Dominicam, qui proximus erat, in vado Haram, ad se conuenire; quod & factum est. Sed eadem die, cum multi domo profecti, diuersis itineribus, ad illud vadum conuenirent, accidit vnus casus, qui tametsi hostibus non incruentus exstitit; nobis quoque, ob amissionem vnus notabilis familiaris nostri, fuit non*

pa-

parum insaufus. *NICOLAUS & ANDREAS TÖKÖLY*, cum centum equitibus, ipso die iter adgressi, dum alio itinere, ad vadum contendunt, quadringenti *Turci*, qui in insidiis latuerant, subito ex nemore effusi, in eos irruunt, & nihil tale formidantes, repente circumdant. Tum illi, tanta multitudine conspecta, cui se impares videbant, currus oneratos, ex templo circumlocant, seque, intra curruum ipsorum septa, concludunt. *Turci* vero, nemori, quod curribus contiguum erat protinus ignem iniciunt, vt flante contra nostros vento, currus comburerent. Vbi igitur currus nostrorum ardere coeperunt, nostri in pugnam cum illis congressi, ab hora nona, vsque solis occubitum, viriliter pugnant. Cecidit in illo conflictu magna pars *Turcorum*, & nemo, vt fertur, sine vulnere discessit. *NICOLAUS TÖKÖLY*, duabus hastis, in ipso pugna principio traiectus, non desistit, quin vsque ad finem diei, cum eisdem acriter confingeret. Deinde, conuersis illis in fugam, ipse multis vulneribus confectus, vna cum fratre suo *Andrea*, qui similiter plura vulnera accepit, domum suam reuersi sunt; & ipse quidem *Nicolaus*, eodem die, tantummodo suscepta confessione & communionem Sacramenti, ex hac luce decessit; *Andrea* vero grauius decumbit: de quo adhuc incertum habemus, vtrum reconalescere possit? Quinquaginta ex nostris, in loco certaminis fuerunt trucidati, nec aliquis, exceptis tribus, sine vulnere reuersus est. En! magnificam *Tökölyorum*, iam tum, ætate illa, mentionem. Sed, quemadmodum *Kasmarckinum*, sequutis temporibus penetrarint, emerferintque vsque in Comitum fastigium, dum ludibria fierent fortunæ, alibi expromendi erit locus. Hactenus de *Eugeniana* Ditione.



XXX 3

MEM.

MEMBRUM IV.

DE

Processu Soltbensi.

PROOEMIUM.



Omen, PROCESSVS hic, ab oppido, seu castro *Soltb*, accepit. Regio quondam fuit haud exigua: quippe, laxè, per vtramque partem *Danubii* se diffundens, & quidquid *Cumanis Minoribus*, *Albensique* provinciae intercesserat, complexa. Cum res *Hungariae* nondum a *Turcis* fuissent contemeratae, ad *Albensem* Comitatum, SEDIS *SOLTHENSIS* nomine, referebatur, vnaque cum eodem, coibat ad concilia, dum *Albenfi Comitatu*, ab hoste occupato, *Pestiensi* & *Pilisiensi*, lege publica, (a.) adiungeretur. Quoniam Comitatus *Szolnok exterior*, & *Albensis* sedis *Soldt*, a *Turcis* occupati, carent *Vice-Comite*, & *Iudicibus Nobilium*; varia vero contingunt causae, in eisdem Comitatus reuidentur: decretum est, vt in posterum Comitatus *Szolnok exteriori* per *Hevesiensem*; *Albensis* vero sedis *Soldt*, per *Pestiensem* iudicia administrantur: verba sunt sanctionis (b.). Ex eo tempore, limitibus sensim coarctatis, amissaque tota, quam vltra flumen habebat, regione, oram, vix tria milliarum latam, intra flumen & *Cumanos*, retinuit. Longa satis est; a vico enim *Dömsöd*, ad *Bajam* vsque, duodecim milliaribus procurrat: sed, quia *Danubio* vicina, id etiam quod obtinet, creberrimis aquarum exundationibus, deperdit saepe. Itaque, licet solo gaudeat pullo, & pingui, vnaque conuersione, semi-

a.) LEOPOLDI Decreto I. ART. LXXVI. AN. MDCLIX.
 b.) Decreto MAXIMILIANI III. ARTIC. LIII.

Atque mansere omnino, iidem illi Comitatus, coadunati. Vide, Decretum LEOPOLDI, A. MDCLIX. ART. LXXVI.

feminum omnis generis, sine latamine, feraci; gloriam tamen, quam habet, fertilitatis, & tunc, ob annis iniurias, perdit, quum maxime spondet. Euenit hoc, cum alias frequenter, tum anno MDCCXXX. (c.). Luxuriabant segete, agri frumentarii; iamque, diuitis messis confidentiam colono ingerebant; cum subitæ eluiones, agros anni vicinos, & depressos, ad eum modum offundunt, vt passim, ne spicæ quidem prominere, pleraque autem omnia, partim limo pessundarentur, partim elutis segetum radicibus, gurgite haurirentur. Quia enim aduersa *Danubii* ripa, toto hoc tractu, altior est firmaque; depressior contra *Sol'thensis*, aquæ illinc repercussæ, obruunt oram citeriorem, eduntque damna, & magna ea, & frequentia. Neque segetes tantum, calamitas hæc perdit, sed fœnifecia quoque, & siluas ripenses. Nequeunt nimirum, solito incremento, proficere; quando, vel reuelluntur radicitus, vel incumbentium aquarum mole, sternuntur humi, difficiliter postea adfurrecturæ. Itaque, raræ heic sunt siluæ, si insularum saliceta alnetaque excipias: quæ passim, *Danubii* margines obsident. Fit præterea, eluionum his iniuriis, vt regio, etiam remotior a *Danubio*, lacunosa euadat, inundeturque, late porrectis stagnis, ora potissimum *Sol'thensi*. Ea *Hungaris* vocatur *Sárköz*, quod *cæno circumfusa*, haud pateat cultui humano. Alit vero, immensam vim aquaticarum auium; sed & porcis idonea est, qui erosus arundinum radicibus, in magnam crescunt molem, facileque pinguescunt. Relatum accepimus, quandoque ad quatuor *centenariorum* pondus ingrauescere. Ceteroquin, colligas hinc, *Processus* partem optimam, pessime habere passim, fructumque, aut nullum ferre,

c.) Atrocior multo, ea fuit eluio, quæ eodem hoc anno MDCCXXXVI. mense Iulio, cum Germania partem potiorrem, cum Hungariam in partibus nostram, *Danubio* confinem, & situ depressam, adflixit. Nam, & demersas late segetes, fœnumque in acervos

congestum, abstulit, & totam qua incubuit regionem, inutili sabulone, obruit: vt hominum, pecudum, ædium siluarumque damna, & subrutos passim, excisosque aggeres & ripas, taceamus.

re, aut exilem. Qua aratri patiens est regio, si annus faueat, fert triticum longe omnium nobilissimum, quodque, a Budensium, & Pestiensium pistori- bus, maioris fiat, quam reliquorum Processuum. Neque viti inimica regio est, qua ea colitur. Vbertim enim fert vinum; sed, neque generosum illud, neque perenne. Ergo, vix remuneratur, operas, eo, quod ætatem ferre nequit. Fit ea re, vt parcius vacent vineatico cultui, regionis huius incolæ. Colitur vero Processus Solthensis, paucioribus, quam pro longitudine, oppidis vicisque: atque id fere in fluminis tantum vicinia. Reliqua, solitudines sunt vastæ, armentis, quam hominibus, amiciores. Præcipuam ei, ARCHIEPISCOPATUS COLOCSSENSIS, gloriam, longa retro ætate, peperit. Id quod videndum iam fuerit.

SECTIO I.

DE

Vrbe, atque Archiepiscopatu Colocensi, & huius Præsulibus.

SYNOPSIS.

Vrbis COLOCSÆ etymon: an sit Coletianorum opus? Lazii coniectura, de Statuis Colossis: de Colosso Pannonie præfecto: quid in eo laudandum? §. I.

Indagandarum Colocæ originum, ac nominis, difficultas: Cellarii sententia: Colossorum fragmenta, hodieque hic notata: rem non conficiunt. §. II.

Fit Colocæ Episcopatus sedes, sub S. Stephano: tanta rei occasio. §. III.

Timonis, de re tota, iudicium: auctoris disputatio: & sententia: Otrokocsi, & Timonis verbis adstru- cta: illustratur porro: Geysa II. Archiepiscopatus, conditor. §. IV.

Archiepiscoporum Colocensium catalogus. §. V.

Colocæ habitus olim florens: sata, post Ludouici occa- sum, aduersa: subit Tur- carum tyrannidem, una cum Archiepiscopi ditione: pessundatur nostrorum im- pres-

pressione: a Turcis deradi- tur penitus. §. VI.

Pristinum vrbis florem Csákyus, ex longænis incolis condidit: horum atas: vi- gor præcipuus, & in obeun- do opere rustico assiduitas: benignitas in eos Csákii. §. VII.

Res Colocæ, post captam Bu- dam, reparari capte: Leo- poldus M. Archiepiscopa-

tum instaurat: primi eius, post Turcas abactos, præsu- les: pratorii, quod excita- uit Szetsénius, facies & commoditas: situs amari- tas. §. VIII.

Romani lapides, qui in castel- lo visuntur: Emericus Csáky, præcipuam vrbis celebri- tatem conciliavit: quam ho- die auget, Gabriel Metro- polita. §. IX.

§. I.



COLOCSÆ, Archiepiscopalis vrbis nomen, do- cti varie deriuant. A Coletianis populis accessunt, non plane nulli (a.). quos PTOLEMAEVS (b.) inter Saurum & Drauum, Petouio haud procul, sedes habuisse, memo- rat. At enim, vix diuinare possis, quomodo in alieno solo, colo- ciam posuerint Coletiani. LAZIUS (c.), more suo, nunc hanc, nunc aliam iterum, vocabulo tribuit originem, & partim a Statuis Colossis, partim a Colosso quodam, denominationem accessit. A Statuis Co- lossis, inquit, barbara pronuntiatione, Hungaris Colocza nominatur, quod ad Statuas simpliciter Antonius dixit: vbi nominatim Scotus, equi- tes Dalmatas, atque auxilia Vrsariensia, Arcadio & Honorio ad cla- uum sedentibus, statua habuisse scribit. Refert Spartianus, in vita Antonini Pii, hunc ea lege fuisse ab Hadriano adoptatum, vt ipse sibi Marcum ac Verum Antoninos, adoptaret; filiamque suam, Vero aut Marco, daret uxorem. Et subiicit: Nec diu vixit, grauatus languo- re, ac diuerso genere morborum, sepe dicens; sanum principem mo- ri debere, non debilem. STATVAS sane, AELIO VERO, per totum or- bem COLOSSAS poni iussit, templa etiam nonnullis fieri vrbibus. Verifi- mile est igitur, eo tunc tempore, & hoc Statuarum Municipium, ini- tia habuisse. Ita ille. Ac posteaquam, ex PLINIO, QUINTIANO & MARTIALI, de colossis dixisset quidpiam, pergit: ab huiuscemodi igitur turrilis statuis, eo loci, ab Pio Antonino collocatis, AD STATVAS in itinerario Antonini, & labentibus seculis, Colocia, ab Hungaris, mu- nicipium, de quo loquimur, adpellatum fuit. Nihil reluctaremur, in

TOM. III.

Yyy

re,

a.) Vide BOXENIUM, Dec. 1. Lib. 1. p. 27. 53. & veteris geographiæ consultissi- mum: ABRAHAMVM ORTELIVM, in Thesauru Geographiæ Antiquæ.

b.) Lib. III. Cap. XLII. Legis Criticæ

SCHÖNLEBENI, de COLETIANIS, in Carniolæ Antiquæ Apparatu, Cap. III. §. III. p. 90. b.

c.) Commentationum Reipubl. Romanæ, Lib. XII. Cap. IX. p. 1117.

Vrbis Co- locsæ ety- mon: an sit Cole- tianorum opus?

Lazii con- iectura, de Statuis Colossis:

de Colosso
Pannonia
praefecto:

re, neque habente momenti quidpiam, neque damnosa cuiquam, si constaret sibi LAZIVS. Vix enim haec dixerat, cum noua diuinatione vsus, dubium relinquit auctorem, huicne, an alteri, quam subtexit, opinioni, adsentiri debeat: inquit enim: *Quamuis fortasse, vel a Colosso, comite illo, & Pannonia praefecto, nomenclaturam sortitam fuisse, existimari potest, cuius Cassiodorus, Lib. III. Variar. cog. meminit, in epistola Theodorici regis Gothorum, reliqua. Sed, quid quaeso, praefecto Pannoniae, cum aduersa Danubii ripa, negotiū? quid virium, ad condendam illic urbem, denominandamque ex suo nomine? Anni certe intercludendo, inuutilis fuisset, importune posita colonia. Illud meretur laudem, quod, quum coniectationes expromsit suas, permittat lectori, quid velit deliberato statuere. Virum igitur a Statuis Colossis, inquit, vel COLOSSAEO, praefide Pannoniae inferioris, Colocza, apud Hungaros, denominata existat, liberum lectori iudicium permittimus. Quamquam, si de sensu meo dicere debeo, priorem magis coniecturam adprobemus, quod in ipsissimo, veteris Statuarum municipii situ, istud hodie positum, cernatur. Haec LAZIVS (d.), coniectatorum liberalissimus.*

quid in eo
laudandi.

§. II.

Inlagenda-
rum Co-
locza ori-
ginem, ac
nominis
difficultas:

Cellarū
sententia:

Colossu-
rum fra-
gmenta ho-
dieque hic
notata:

rem non
conficimus.

Atque, difficile est omnino, sine formidine erroris, de urbis originibus, nomineque, statuere. Saltem, vix possis adduci, ut ad Statuas isthic quaeras. Itinerarium certe ANTONINI (e.), aduersa ripa, mansionem eam collocat, hoc est, in Pannonia inferiore, haud vero apud *Lazges*. Quam difficultatem, uti tolleretur CHRISTOPHORVS CELLARIVS, (f.) translatis *Statuas Colosseas* eo esse ait, ubi iam est *Colocza*. Sed, recte monet WESSELIINGVS (g.): *mibi perquam dubium hoc & incertum videtur.* Alioquin, hodieque, fragmenta haec colossorum, superant. De his diligentissimus notitiarum, per hos Comitatus, conlector, IOHANNES MATOLAY: *Vidi, inquit, ibi fragmenta, inusitata magnitudinis columnarum. Earum singula, ibidem iam diu iacentia, & infracta, ambitum duarum orgyiarum crassitie complectebantur, erantque, alia aliis, longiora, saxo duro, colore fusco, opere autem rotundo. Si verum est, quod multi volunt, Colossos, haec Romanorum, aut Statuas stetisse, fragmenta haec, a tanta molis ruina, haud discrepant; tametsi, malim ea ad templi ruinas, quod ibidem S. STEPHANVS condiderat, referre. Nam, & penes eiusdem templi rudera, visuntur, & haud obscure, sacrae adis columninae fuisse, ostendunt: nisi forte, ex Romanorum rudibus, educendo templo, diuus rex, lapides eos adhibuerit. Haec ille, quae faciunt sane qualicumque coniectura locum. At, ne sic quidem euiceris, hic ideo, ad Statuas,*

sc-

d) Loco, quem citauimus, p. 1118.

e) Edente, PETRO WESSELIINGO, Amstelredami, A. MDCCXXXV. for. quadr. pag. 244.

f) Lib. II. Geogr. Ant. Cap. VIII. p. 559.

g) Loco citato in nota.

fedisse olim, cum supra dictum sit, ex SPARTIANO, *Statuas* eiusmodi *Colossas*, per totum orbem Romanum, positas fuisse. Quid? quod & in aliis locis effodiantur per *Hungariam*, colossorum (h.) illiusmodi fragmenta.

§. III.

Quidquid eius sit, exultam non modo, sed & Archiepiscopatus sede nobilitatam fuisse, a S. STEPHANO *Colocsam*, plerique omnes credunt. Hinc, non dubitat BONFINIVS (i.), metropolim adpellare. *Coletia, est metropolis quidem ciuitas, metropolitamque habere solet, non ignobilem.* Atque, erat omnino in iis *Episcopatus*, quos regum optimus, sub seculi vndecimi exordia, inlittuit; sed quem breui post, mira factorum indulgentia, in Archiepiscopatum euectum aiunt. Tantae rei occasionem, ex LVDOVICO THOMASSINO (k.) didicimus. SEBASTIANVS, inquit, qui primus Archiepiscopatus Strigoniensis Archiepiscopus ordinatus fuerat aliquamdiu; post oculis orbatus, successorem habuit, Colocensem Episcopum, ita dispensante Papa. Quo rursus similiter dispensante Sebastianus, triennio post, receptis oculis, absterisque cecitatis morbo, pristina restitutus est sedi, remigrante quoque in suam priorem Ecclesiam Episcopo Colocenti, una cum pallio, quo exornatus fuerat. Facile auguramur, ea occasione factum esse, ut & Colocensis Ecclesia, in metropolim adurgeret. Et consentientes sane habet, qui ea de re scripsere, auctores, *Inchofferum, Szentroanium, & Ladislaum Thieroczium*: quorum hic ait: *Vngariam vniuersam summis precibus id a Pontifice contendisse, ut ne viro optime de patria, ecclesiaeque merito, pallium eriperetur; quin potius in metropolitam eueheretur ASTRICVS: praesertim, cum adiecta nuper Transilvania, ea esset imperii amplitudo, quae duos, minimum, ex- polcret Archiepiscopos.*

Fit Colo-
csa, Archi-
episcopatus
sedes sub S.
Stephanu:

tanta rei
ocasio.

§. IV.

Haec ille, sic satis confidenter, quia non sine praambulonibus. In dubitationem, haud temere, TIMON, rem omnem vocat. An hic ASTRICVS, inquit, sine Anastasius, unquam fuerit ARCHIEPISCOPVS COLOCENSIS, dubium magnum emergit, ex insigni priuilegio, canonico S. Martini, anno ML. a S. Rege, anno regni secundo concessio, inter priscorum Hung. RR. decreta, Hannoveriae MDCV. edito, quod incipit: *Credimus, & vere scimus. In quo vnicus solummodo Archiepiscopus exprimitur; ANASTASIVS vero, sine vlla alia dignitate nominatur. Neque placet coniectura P. Mart. Szentivani, qui hunc, ut Abbatem,*

Timonis,
de re tota,
iudicium:

Y y 2

di-

h) Euenit hoc Pestini, cum Liber Baro SZALECZKY, domus suae fundamenta iaceret.

i) Loco nunc citato.

k) De Veteri Nouaque Ecclesiae Disciplina, Tom. I. Lib. I. Cap. LXV. n. 6.

dictum ait ASTRICVM, ut Archiepiscopum, ANASTASIVM. Si lubido esset, de his THOROCZII, iuxta & TIMONIS verbis, disputationem inlittuere, facile foret cumulare coniecturas, quod eo minus putamus committendum, quo magis arduum est, rerum origines eruderare, quas dudum sepeliuit obliuio. Si tamen diplomati eiusdem STEPHANI regis, quo *Cœnobium S. Martini*, in monte *Sacro Pannonia*, partim fundauit, partim dotauit primus, cum TIMONE inhæreas, Anastasius profecto, cuius inibi fit mentio, anno *Millesimo primo*, purus putus Abbas, eiusdem monasterii fuit, dignitatis alterius, penitus expers. Certe, si tum *Archiepiscopum Colocensem* obtinuisset, superuacua fuisset, in laudato diplomate, eius, tanquam *Abbatis*, mentio, quæ tamen semel atque iterum recurrit. Placet, LADISLAI SZÖRÉNY (l.), Syrmien- sis, dum hæc recognoscimus, Episcopi, viri docti, adsertio; *Episcopatum Colocensem, successue, in Archiepiscopatum sublimatum fuisse.* Quod si est, non sibi constabunt, quæ LADISLAVS THOROCZIVS (m.) in disputatione, de *Episcopatum, & Archiepiscopatum natalibus*, ad annum DCCCCXC. de *Episcopo Colocensi*, adfirmat; surrexisse eam, S. STEPHANI beneficio, vna cum metropoli *Strigoniensi*, & præsulibus aliis. Nimirum, committi oportebit, SYLVESTRI II. summi Pontificis, ad STEPHANVM, litteras, ab INCHOFFERO vulgatas, cum regis optimi diplomate, causa cœnobii *Sacri Montis Pannonia*, edito. Illic enim ASTRICVS, præsul Colocensis, adpellatur; contra, in diplomate regio, *Abbas tantum*. quam sane prærogatiuam, non siluisset, Rex, Ecclesiarum studiosissimus, si quæ tunc fuisset in rebus humanis. Sed, de his, viderint alii, atque hi in primis, qui pro SYLVESTRI litteris faciunt, a IOHANNE LYCIO (n.), iam pridem vocatis, cum ratione, in dubium. Ergo, potuit quidem S. STEPHANVS, Episcopatum Colocensem, instituire; Metropolitanam sane non instituit: quippe qui, post seculi duodecimi medium, coepit innotescere: sicuti ex OTROKOCZII (o.) schedis, TIMON (p.), subacti iudicii scriptor, prorsus euicit. *Postremis*, inquit, D. STEPHANI temporibus, *unicum in Hungaria fuisse Metropolitanam, collegit Otrokotius, ex scripto, anni MXXXVII. in quo notatur, Dominicus, Archiepiscopus, Cancellarius regius, & quia reticetur eius sedes, Strigoniensem esse oportebat. Addito postea tempore, Bâthiensis sedes, ad amplitudinem Metropolis euecta est. Nam, ut cognouimus, ex*

Historia
disputatio:

sententia:

Otroko-
csii, & Ti-
monis ver-
bis adstru-
it:

- l.) In Vindiciis Syrmienibus seu Descri-
ptione Syrmii, vna cum Episcopatu.
pag. 73. seq. Prodit libellus Pofonii
mcccxxiv. for. 8.
m.) In Hungaria, Compendio data, p. 109.
seq.
n.) In Notis, ad MARCI MARVLI, Pe-
trii Spalatenis schediasma, de Patria
H. HIERONYMI, quod ad DALMATIAM,
& CROATIAM suam, adtexuit,
p. 459. b.
o.) Historiam Ecclesiasticam Hungariae
scribendam sibi sumserat OTROKO-

CSIVS, supremis vitæ annis, de cuius
laboris habitu, prolixè nos, in mu-
seo nostro, A. mdcxxvii. coram do-
cuit. An consummarit opus, vel
ei immortalis sit, non habeo dicere.
Optarim vero, uti, viri alicuius erudi-
ti opera, in lucem edantur, elabora-
tissima hæc commentaria.
p.) In Imagine NOVAE HUNGARIAE, P. II.
Cap. VIII. p. 71. Adspexit, vti si quis
liber, publicam lucem, Parte priori,
A. mdcxxxiii. posteriori, mdcxxxiv.
Cassovis, for. 8.

monumentis *Zágyábiensibus*, anno *MLXXXV.* Archiepiscopus *Bâthiensis* erat *FABIANVS.* Anno *MCXI.* diploma a *Colomanno R. Arbeni ecclesia in Dalmatia datum*, subscripsit *TVLBERTVS*, Episcopus *Colocensis.* Anno vero *MCXXIV.* diploma *STEPHANI regis*, quo concessa quædam *Spalatenfibus, & Tragurenfibus*, roborauit, subscripsit *GREGORIVS*, *Bâthiensis Metropolita.* Deinceps vero, *Primatum consecuti sunt Colocenses, ut patuit in MICONE, confirmantque rem littera Stephani III. regis, quas anno MCLXXIX. scripsit ad Lucam Strigoniensem, & Cosmam Colocensem, Archiepiscopos; de bonis demortuorum antistitem, & vacantibus in Hungaria sacerdotiis. Earum notitiam, qui habere vult, adeat Baronium, aut librum; in Bibliotheca Vaticana repositum, qui inscribitur CENCI CAMERALIS.* Hæc ille, extra erroris periculum. Sed, qui quæso! *Bâthiensis sedis prærogatiua illa, in Colocensem commigravit?* Nimirum, ita reor; constitutum, in *Bâthiensis Ecclesia, Archiepiscopatum;* cum ob vicinitatem sedis *Colocensis*, quæ propemodum nimia est; tum, ob diceceleos vtriusque angustiam, in compendium missos fuisse, eo quod, ab vno eodemque viro, commode, non minus, quam cum fructu administrari posse, geminam cathedram, experimento forte constabat. Consentientem iterum habeo, laudatum *TIMONEM.* Maioris, ait ille, *splendoris atque amplitudinis causa*, *Bâthiense Sacerdotium adiunctum est Colocensi, idque, ante annum MCLVI. factum fuerit. Neque enim post illum annum, inter nomina episcoporum reueritur separatim nomen Bâthiensis; sed vnus idemque Antistes significatur illa formula, Colocensis & Bâthiensis, canonicè vnitarum, Archiepiscopus. Hæc tamen formula admodum raro vsurpatur.* Plane hinc colligas, prouidentia *GEYSÆ II. regis, & bello, & pace, laudatissimi: quippe, qui ab anno MCXXXIX. vsque ad annum MCLXI. hoc est, annis XX. rerum positus, non vna significatione, studia sua, in Ecclesiam testatus est. Nitriensem certe, & ad cathedralis dignitatem euexit, & laute donauit; ut pronum sit existimare, eadem illa bonitate ductum, Bâthiensem, cum Colocensi cathedra, coadunauisse. Neque nos, ab hac sententia, dimouet historicorum silentium: quibus solemne est, siue per oscitantiam, siue per ignorationem rerum gellarum, euentus, plerumque etiam momentosissimos, silentio præterire. Alioquin, si certiora nos docuerint eruditi, & quibus antiquitates patriæ cordi sunt curæque, faciles nos, in concedendo, gratosque habebunt.*

illustratur
perro:

Geysa II.
Archiepi-
scopus,
conditor.

§. V.

Hæc, de originibus *Archiepiscopatus*, dicenda erant. Iam, rei nos dignitas admonet, ut, cum isthuc, disputando delatissimus, more nostro, catalogum summorum virorum, adtexamus, qui cathedram huiusmodi, sua ætate ornauerunt. Quod quidem optarem, posse, pro eo efficere, atque id, decus Metropolitanæ Ecclesiæ deposcit; at, cum præcæ illius ætatis, rara extra modum

Archiepi-
scoporum
Colocensem
cathedram
legat.

dum sint monumenta, suffecerit nihil omittere, quod cruderasse, datum nobis est. Sed, neque ita morosi erimus, & tenaces coniecturarum, quin lubentes cedamus, inueteratis opinionibus; dum suffecerint exploratiora, & posita, extra dubitationis aleam.

I.

I.
Astricus.

ASTRICVS, primus Colocensium Episcopus. Euectus ad eam dignitatem est, si LADISLAVM THŪRÓCZIVM (q.) audias, anno M. sin ALEXANDRYM SZÖRÉNY (r.) anno MVI. sedente tunc Romæ, IOHANNÉ XIX. annum tertium: iam tum enim, administrator Ecclesiæ Strigoniensis esse desierat. De eius in Hungariam aduentu, BONFINIVS (s.): Principes, inquit, S. STEPHANI nomine multi, e remotissimis, in Pannoniam, partibus, euocabantur, in primis ASTRICVS, vir sanctitate conspicuus, cum discipulis, aduenit. Et post pauca: ASTRICVM, & discipulos, Rex honorifice excepit, & ad radicem montis ferrei collocavit, ubi D. Benedicti canobium, magnifico sumtu exadificare permisit. reliqua. Quin & illud meminit, quemadmodum Colocensem Episcopum constituerit: Mox, ait ille, Colocensem Basilicam statuit, eiusque pontificem, ASTRICVM, designavit, quem moribus & doctrina præstantem esse nouerat; eumque, post initum pontificatum, ANASTASIVM adpellauit. Satis adparet, ex CHARTVITIO (t.) hæc mutuatam esse historicum, quæ iam non disputamus, tamen haud nos fugiat, dari in doctis viris, qui nominis hanc conuersionem negent. quis enim confectetur singula? LADISLAVS interim THŪRÓCZIVS, non dubitat his Chartuitii partim, partim Bonfinii, & qui sequuntur utrumque, testimoniiis fretus, ducem Archiepiscoporum facere. Colocensem urbi, inquit, non minus, ac Bácsiensium, Diuus STEPHANVS, Episcopum intulit; sed illi in ipso anno millesimo, quo verosimilius, Rome consecratus est ASTRICVS, siue ANASTASIVS, primus ille, & magnus Colocensis Episcopus, iure, Pater Patriæ, adpellandus. Qui, euectus haud multo post, in metropolim hac sede, agmen similiter ducit Archiepiscoporum, doctrina, & vita integritate, orbe Christiano celeberrimorum, deque republica optime meritorum. Triplici functum legatione reperio. Plurimum momenti, Romana illa habuit. Mittebatur, nimirum, a rege STEPHANO, ad summum Pontificem, ut ab eo, Hungaris, qui nuper sacris Christianis fuerant initiati, Apostolicam Benedictionem imploraret; atque gentem, inter oues S. Petri cooptandam, rogaret; Strigoniensem Basilicam, metropolitanam esse iuberet; confirmaret, erectos, nuper, a STEPHANO episcopatus; cumque potestas omnis a DEO sit, & maxima coepta, sine eius ope consummari nequeant, regalia insignia, cum pontificia benedictione, piis precibus, impetraret. quemadmodum

q.) In Hungaria sua, p. 129.

r.) In Archiepiscoporum Strigoniensium Nova Serie, p. 1. Prodit libellus Tyrannia, A. MDCXXVII. for. 8.

s.) Décade II. Lib. I. p. 174, 20.

t.) In vita S. STEPHANI, que est, Iohannis Thüróczi Chronico, adnexa, p. 271, 48.

dum (u.) legationis hæc capita, BONFINIVS inibi memorat. Defunctus eo munere ASTRICVS, Coronam Roma retulit (v.), quod iam non vacat recognoscere. Legationum altera, ea fuit, qua Giselam, Henrici III. Imperatoris filiam, Henrici IV. sororem, ad nuptias STEPHANI, & deposcebat, & impetrauit. Quo ille munere, tam gnauiter & ingenue defunctus est, ut anno sequente, ab eodem Henrico Imperatore, ad Francofordiensem Synodum inuitaretur, accederetque illuc, quod volunt nostri scriptores, Archiepiscopi dignitate, iam tum insignitus. quam eius profectionem, tertiam, merito, legationem possis dicere. Lacunam heic SZENTIVANIVS interserit, Colocensem, quemadmodum eos vocat, Archiepiscoporum. quam nequiuimus explere. Tum vero collocat:

II.

FABIANVM, quem tamen anno MLXXXV. Archiepiscopum fuisse Bácsensem, indice TIMONE, ex OTROKOCSEI lucubrationibus, supra docuimus: fidem, monumentis Ecclesiæ Zágrabiensis, adfirmantibus. Alioquin, non iniuria hic recensendus, eo quod Archiepiscopo Bácsensis, in Colocensem sedem, translata est postea. Hunc excipit.

2.
Fabianus.

III.

DESIDERIVS, incertum, Archiepiscopusne Bácsensis fuerit, an Colocensis tantum præsul. Tribuitur ei annus MXCIII. cum scilicet rebus præfuit S. LADISLAVS. Eius, enim vero, ætate, adhuc Archiepiscopalis tiara, penes Bácsiensis Archiepiscopos fuit. Tollit dubium omne, oculatissimus TIMON (x.), nunquam, nisi cum honoris præfatione nominandus, qui nobis DESIDERIVM, ad hunc modum intimat: Adde, inquit, dictis de Metropoli Colocensi, regnante D. Ladislao, occupataque iam ab eo Slavonia, Episcopum Peucensem, seu Quinqueecclesiensem, fuisse STEPHANVM; Colocensem DESIDERIVM; inter quos controuersiam quandam motam, diremerunt, Timotheus, & Laurentius, Saccellani Tschasmensis, duoque Comites. Prodit hæc, PAVLLVS RITTER, in Natalibus Ladislai Regis. Indicat utrumque Episcopum Martinus Szentivanius, in catalogis. Cum Colocensis, sit postpositus Quinqueecclesiensi, patet illum non fuisse Metropolitanam. Iuuit, hæc non siluisse. Sequitur:

3.
Deliderius.

IV.

VGOLINVS, ei annum MCII. SZENTIVANIVS adscripsit, de cuius actibus, tamen elaboratum a nobis fuit, nihil hucdum reperimus, præter nudum nomen.

4.
Vgolinus.

V. TVL-

*) Qui legationem hanc, obitam, ab ASTRICO, suscipiantur, videant, quemadmodum subdixerint rationes suas. Certe, Archiepiscopatus Colocensis impetratio, nulla est; uti ex dictis patet.

v.) Leges BONFINIVM, loco citato, p. 174, 48. seq.

x.) Ad calcem Addicamentorum, ad Imagines, Antiquæ & Nouæ Hungariæ, que tribus epistolis conlanc, ad L. B. PETRYM Apoc. de Altorja, exaratis.

V.

5.
Tulbertus.

TULBERTVS, Episcopus Colocensis. Adseruit nobis eius memoriam LVCIVS (y.), ex diplomate Colomanni, anno MCXI. Ecclesie Arbeni, in Dalmatia perscripto. Diplomatis initium tale est: Anno Dominica incarnationis, IV. Indictione IV. Epacta non concurrentibus. Ego COLOMANNVS, Dei Gratia Rex Hungarorum per misericordiam Dei, potitus Dalmatia atque Croatia, assentimus, & quantum ad nos pertinet, confirmamus Ecclesie Arbeni, suas parochias. reliqua. Exit vero ad hunc modum: Datum est hoc privilegium, dicta Arbeni Ecclesie, per manus Venerabilis Laurentii, Strigoniensis Archiepiscopi, perpetuo ex concessione Colomanni, Regis Hungaria, Dalmatia atque Croatia, in presentia suorum Episcoporum & Comitum, quorum nomina hac sunt, Marcelli Vacienfis Episcopi, Simonis Quinqueecclesienfis Episcopi, Matthæi Vesper. Episcopi, Georgii Georgenfis Episcopi, Sixti Varad. Episcopi, TULBERTI, COLOCENS. EPISCOPI; Comitum vero, Iohannis Palatini Comititis. cetera. Duo hinc momenta possis arguere. Alterum est, nullam Bártensis Archiepiscopi mentionem fieri; siue, quod aberat a regis curia; siue, quod vacabat forte sedes: alterum, Tulbertum, Episcopum Colocensem, ultimo loco recensitum: quod indicio est, surgente seculo XII. in Episcopatibus, Colocensem adhuc fuisse vltimum; haud vero metropolitani axiomate insignem. Alioquin, Tulberti nomen ipsum, satis condocet, alienigenam fuisse, non Hungarum. quod admonet, plerosque tunc Episcopos, in tanta, apud Hungaros, doctorum inopia, ab exteris, aut Roma ipsa, arcessitos fuisse.

VI.

6.
Gregorius I.

GREGORIUS I. Bártensis iterum Archiepiscopus. Cognitum nobis fecit laudatus nunc LVCIVS (z.), ex tabulis STEPHANI R. Colomanni filii, quibus diploma Tragurienfisibus a patre datum, solemniter ac fide, adfirmavit. Sic vero habent: Ego, STEPHANVS Colomanni Regis filius, Rex Hungaria, Croatia ac Dalmatia, anni Dominice incarnationis 1124. Indictione secunda, mense Iulio, Nono anno regni mei, eandem libertatem & pacem, a patre meo, vobis Tragurinis & Spalatensibus civibus stabilitam, cum Episcopis & comitibus, & omnibus regni mei principibus, sub eiusdem sacramenti obligatione, confirmo & corroboro; ego Marcellus, Strigoniensis Archiepiscopus, laudo & confirmo; ego GREGORIUS BAACSENSIS ARCHIEPISCOPVS laudo & confirmo; ego Simon Quinqueecclesienfis Episcopus, laudo & confirmo; ego Claudinus Comes laudo & confirmo; ego Marcus, laudo & confirmo; ego Nicolaus, laudo & confirmo; ego Lambertus Comes, laudo & confirmo; ego Buzco Comes, laudo & confirmo; ego Iacobus Comes, laudo & confirmo; ego Sergius Comes, laudo & confirmo. Hac de eo legas.

VII. FRAN-

y.) Dalmatiae & Croatiae, Lib. III. Cap. IV. (z.) Loco cit. p. 117, 6. p. 117. & 118. a.

VII.

FRANCITA, interferitur a Szentivánio, ad annum MCXXXI. qui ad Colocensem hanc sedem, ex Zágrábiensi translatus sit. Ex aetate colligas, in iis praesulibus numeratum fuisse Francitam, quos STEPHANUS II. orbitas permouit, ut Belam caecum, providentia regulorum quorundam servatum, in regem, Stephano commendarent. Quamdiu sederit, ignoramus; sicuti illud quoque, iamne metropolita fuerit, an episcopus tantum Colocensis; tametsi illud malim. Post eum, desiderari episcoporum huiusmodi nomina, idem Szentivánio queritur: nos, indice OTROKOCISIO, apud TIMONEM (a.), expleri lacunam posse, existimamus. Nempe, surrogatus FRANCITAE est:

VIII.

MIKO, primus coadunatarum ecclesiarum, Colocensis & Bártensis, Archiepiscopus. Ad reliqua progredienti, facem mihi praesert OTROKOCISIVS (verba sunt TIMONIS) qui ait in tabulario Strigoniensi, exstare litteras, anno MCLVI. conscriptas, vi quarum MARTYRIVS. metropolita, collegio suorum sacerdotum, quasdam decumanas dedit, aut donatas ratihabuit. In iis vero testes largitionis esse; MICONEM COLOCENSEM METROPOLITAM; Antimum Quinqueecclesiensem episcopum; Ypolitum, Váciensem; Waltherum Ultrasilvanum; Lucam, Agriensem electum; Stephanum, Sanadiensem electum; Petam, Beszprimiensem electum; Geruasium, Georgiensem electum; Michaellem, Váradiensem electum; & Gottschaldum Zágrábiensem. Non facile crediderim, vetustiore Archiepiscopatus Colocensis mentionem, repertum iri. Ut proinde suo quodam iure, id sibi vindicatum, eo usque habeat Miko, dum antiquiores producantur tabulae; primum, scilicet, fuisse, in Metropolitae Colocensis. Superabat adhuc, anno MCLXV. sicuti didicimus, ex STEPHANI III. diplomate, quod in Pisoniensis urbis historia (b.) recitavimus, hic vero, eo curatius & ad membranam, quam ipsi excrisimus, intemeratam fidem, recolimus; quo magis nobis dolet, oscitantia scribae, MICONIS Archiepiscopi nomen, importune illic fuisse omissum. Ita vero exorditur diploma: Noffe desidero omnes homines, & presentes & posteros, Ego STEPHANVS Dei gratia Rex Hungaria, sublimis ac triumphatoris GEYZAE Regis filius, paterno successus folio; istos homines, suburbanos Pofonienses. Recitantur postea, Scythica, XX. virorum nomina, praerogativa nobilitatis donatorum, quae memorato loco recensuimus. Tunc vero, diplomati robur adstruitur: Qua causa, ut firma sit, presentia meorum nobilium, Lucae Archiepiscopi, NICONIS Archiepiscopi, Ompud Palatini, cetera. Nempe, Lucas Bámfy, Strigoniensis, Nico, seu Miko, id est Nicolaus, Colocensis fuit Archiepiscopus, tantae uterque, iam tum, dignitatis, ut inter regios arbitros censerentur. Annus, quo designatae sunt tabulae, sic adscriptus legitur. Factum est

7.
Francita.8.
Miko.

TOM. III.

Z 2 2

au-

a.) Loco cit. p. 67.

b.) Tomo I. Operis nostri, Parte Spec.

Membr. I. Sect. I. Histor. Vrbis Pofoniens. Cap. III. §. VI. p. 114.

autem hoc instrumentum, anno Dominica Carnationis, MCLXV. Huius rei testes sunt Egidi & Lecha.

IX.

^{9.} Petrus I. PETRVS I. ex Spalatensium Archiepiscopo, Colocensis metropoli-
polita, anno circiter MCLXXXVI. factus. Id vero tunc crediderim
euenisse, cum BELA III. de maritima Dalmatia, cum Venetis, necquid-
quam dimicabat. Alioquin, quis fuerit PETRVS hic, ex THOMA AR-
CHIDIAcono (c.) addidimus. Quo defuncto, (GAUDIO scilicet, abro-
gato Archiepiscopo) tertius quoque substitutus est Archiepiscopus, PE-
TRVS (d.) Lombardus, qui cum ad eundem Gaudium, gratia visitatio-
nis accederet, vidit adhuc episcopalem annulum gestare in digito: quam
ob rem, vehementer eum redarguens, extraxit annulum de eius digito,
& abscexit. Fuit autem PETRVS iste, primo Episcopus Naruiensis, vir
magna scientia, & bonorum morum artibus decoratus. Erat autem
præcipue eruditus in scientia physicali, ita, ut respiciendo in faciem sa-
ni hominis, prænosceret, quo egritudinis genere, & quo foret tempore
inuadendus, quoque medela antidoto posset languoris euitare discrimen.
Hic itaque, cum aliquot annorum curriculis, Salonitanæ feliciter præfuis-
set Ecclesia, profectus in Vngariam, mortis debitum soluit, sepultusque
est in ecclesia Sancta Maria in Alba. Ob cuius laudabilis vitæ conuer-
sationem, in magna veneratione, ab incolis regionis illius, eius tumulus
habebatur. En! gentem, mores, doctrinam, & aduentum PETRI, in
Hungariam. Id dolendum est omnino, nullam, seu anni, quo de-
latus in Hungariam est, seu metropolitanæ dignitatis mentionem,
THOMAM iniecisse. Quidquid eius sit, hæc de eo expromisse, volu-
ptati habuimus.

X.

^{10.} Saul. SAUL, floruit sub EMERICO Rege. Nihil de eo catalogi, sed
neque decreta habent. Nos, nomen, & axioma viri, ex diploma-
te eruderauimus, quo EMERICVS Rex, Zerzowojum, filium Sbima, ca-
stri Pisoniensis subditum, in nobilibus viris recensuit. Tabulas ipsas,
suo loco (e.) exhibuimus, ut iam non sit opus recognoscere.

XI.

^{11.} Vgrinus. VGRINVS (f.) post Santum collocatus est ad eum modum, ut
in tempora incidat ANDREAE Hierosolymitani. Adscriptum nomen
cum Archiepiscopi Colocensis axioma, in celebri decreto illo, AN-
DREAE II. legas, in hunc modum: Datum per manus Cleti, Aula
nostra Cancellarii, Ecclesie Agriensis Præpositi. Anno Verbi incarnati,
Millesimo, Ducentesimo vigesimo secundo. Venerabili, Iohanne
Strigoniensi; VGRINO COLOCENSI, Archiepiscopis existentibus. ceteri.

6.) Historiæ Salonitanæ, quæ est adnexa
IOHANNIS LVCI Dalmatæ & Croa-
tiæ, Cap. XIX. p. 327. a. b.

7.) Apud TIMONEM, Nouæ Synops. Chro-
nol. Part. I. p. 59. seq. Hungarus di-
citur publicis monumentis.

8.) Operis nostri Tom. II. Comit. Polo-
niens. Part. Spec. Memb. III. Sect. III.
ad num. 1. nota a. p. 232.

9.) Male VGRINVS, a Szentivânio scri-
bitur.

ri. Reperias frequentem eius mentionem, in diplomatibus (g.)
ANDREAE II. quæ iam non vacat recensere, tametsi plura in adparati-
bus nostris habeamus.

XII.

UGOLINVS II. in BELAE IV. ætatem incidit, successisseque Ugrino
creditur. Vir fuit acris ac militaris, id quod bello Tartarico,
testatum fecit. Crebra eius, apud ROGERIVM (b.) est mentio. VGO-
LINVS, inquit, Colocensis Archiepiscopus, pro se ac quibusdam suffraga-
neis suis, Venetias miserat pro galeis: fuerunt per regem, contra volun-
tatem eorum ab itinere reuocati. Nimirum ad primam, de Tartaro-
rum impressione, auditionem, adparatus bellicos, inuito etiam rege,
conquirebat. Grassantibus vero iam in Pesti vicinia Tartaris, primus
fuisse perhibetur, qui facta in hostes procurfione, militaris quidpiam
facinoris, iniquo licet Marte, edidit. Meminit rem gestam ROGE-
RIVS (i.): Cum, ait, prope ad Pest, ad mediam dietam, ante Domi-
nicam de passione Domini, die Veneris, Bathus peruenisset, statim quos-
dam usque ad villam misit, comburendo, interficiendo, prout eis innata
malitia ministrabat. Sequenti die misit alios, vel eosdem, qui perage-
bant similia, vel peiora. Sed Rex exire ad eos aliquos, ad faciendum
congressum, nullatenus dimittebat. Id vero, siue metus fuerit BELAE,
siue prudentia militaris, auctoramento tamen fuit VGO LINO, ut in
hostem iret, animo sane meliore, quam successu. Pergit enim ROGERIVS.
Cumque Die Dominico facerent idem; VGO LINVS Archiepiscopus, hoc
grauè ferens quamplurimum; quod quidem quasi pradones, tot bonos ho-
mines confundebant; & grauius, quod rex sibi & suis pusillanimus vide-
batur. Propter quod contra mandatum regis, cum paucis de suis foras
exiens, congressum habere voluit, cum eisdem. Sed illi terga vertentes,
paullatim retrocedere inceperunt. Hoc Archiepiscopus intuens, incepit
eos equorum insequi pleno cursu. Tandem, terra paludosa reperta, illi
velocius transuere paludem. Hoc Archiepiscopus non aduertens, cum
proximus illis esset, festinus intrauit; & cum esset cum suis armorum on-
ere pressus, transire vel retrocedere nequiverunt. Sed illi ad eos velocius
reuertentes, circumdederunt paludem, & in ipsos sagittas velut pluuiam
emittentes, eosdem ibidem totaliter necauerunt. Cum tribus autem,
vel quatuor evadens Archiepiscopus, sic confusus, remeavit ad villam;
non modicam iram habens, tam de suis perditis, quam de eo, quod rex
non fecit aliquem in subsidium sui properare. Prælusisse VGO LINV-
M, infelici hac eruptione, funellissimo, ad Sayonem, prælio, crederes. qua
ille tamen adeo non est fractus animo, ut & regem perpulerit (k.) vti
cum exercitu in hostem moueret, & feruente ad Sayo amnem, pu-
gna, non ducis minus, quam militis munere, fortiter perfunderetur.
Ancipiti nimirum pugna, & ad nostrorum cladem inclinante:

Z z z a

Rex,

g.) Vide supra, Historiæ Pesti, Cap. III. |
§. IV. p. 98.

h.) De Destructione Hungariæ per Tarta-

rus, Cap. XVI. p. 182, 35.

i.) Ioco cit. Cap. XXI. p. 184, 44.

k.) Ibidem Cap. XXV. p. 186, 15.

Rex, inquit (l.), & COLOCSSENSIS Archiepiscopus, qui anxii formidabant, nec minis, neque adulationibus, ac monitis iam ad pugnam poterant aliquos destinare: ab aurora usque ad meridiem, in tali angustia existentes. Fas est hinc coniecere, secundas, in eodem cornu, a rege vices, VGOINVM (m.) obtinuisse; nam in cornu quidem altero, Colomannus, dux, Bela frater, mascule, sed euentu haud meliore, depugnabat. Illud doleas, occubuisse in fuga, excelsi animi virum. Enim vero, in his a ROGERIO (n.) censetur, quos, cruenta ea clades, sustulit. Maiores de clericis cecidere, Matthias Strigoniensis Archiepiscopus, quem rex, tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutriti erant, diligebat, & eius consiliis, magna sub confidentia, in rebus arduis, utebatur. VGOINVS Colocensis Archiepiscopus, nobilissima ortus prosapia (o.): magna & ardua mundi negotia, omissis minimis, disponens. Hic erat, sub cuius fiducia, nobiles Hungarie respirabant. hic erat, sub cuius fiducia, maiores & mediocres, humiles se reddebant. reliqui. Ista de Vgolino. Successit ei

XIII.

BENEDICTVS, ex Albeni Præposito, iam tum anno MCCXLIII. & Cancellario regio, in Archiepiscopum Colocensem (p.) subiectus. Didicimus id ex Bela IV. diplomate, quo Comitibus Philippo, & Demetrio, filiis Matthæi, ob bene de se, fratreque suo, Colomanno, Halitiæ rege, & Duce Slauoniæ, merita, insignem honorum portionem adfirmavit. Ita clausula habet: Datum iuxta Budam, insula, que dicitur Leporum, per manus Magistri BENEDICTI, Præpositi Albenis, Aula Regie Cancellarii, electi in ARCHIEPISCVVM COLOCSENSEM, reliqua. Recurrit eius mentio, in numerosissimis tabulis, quas BELA, regionem instauraturus, rogantibus cumulate impertiri solebat. Eius aetatem, ad annum vsque MCCLXV. producit SZENTIVANVS, quod ex diplomatibus an possit elici, non habeo adfirmare. Interim ad BENEDICTI merita referri oportere existimari, quæ anno MCCXLVII. adscripsit TIMON (q.): Ob impendia facta, & labores exhaustos in extirpandis hereticis in Bosna a Colocensis Archiepiscopo, Episcopatus Bosnensis subiicitur Archiepiscopatu Colocensi, mandato INNOCENTII IV. Alioquin, in bulla aurea, (r.) qua Præposituram Thurocziensem, anno MCCLII. instituit BELA, adhuc fuisse superflitem legas. At enim,

anno

l.) Cap. xxviii. p. 187, 52.

m.) Legendus omnino est, THOMAS ARCHIDIACONVS Historiæ Solonitanæ Cap. xxxvii. sequentibus, vbi infelix bellum describit, Vgolinum autem Vgrinum constanter vocat, quod nobis indicio est, eundem, forte, cum Vgrino antegresso, VGOINVM hunc fuisse: sola scriptiois variatione ab eo discretum, de quo, videant alii.

n.) Iubi Cap. xxx. p. 188, 44.

o.) ARCHIDIACONVS, virum formosissimum

appellat, loco citato, p. 342, & sub fin.

p.) Vide THOMAS ARCHIDIACONI Histor. Salonitanam, Cap. xxxix. p. 356, b.

q.) Nouæ Synopsis Chronol. Parte 1. p. 91.

r.) Dedimus eam, Operis nostri Tom. II. Historiæ Comit. Thuroczienis, Parte Speciali, Membr. IV. Sect. III. §. III. p. 351. sequ.

anno MCCLXII. PHILIPPVS, Archiepiscopus Strigoniensis, eo munere apud BELAM fungebatur. Tunc vero Colocensis Archiepiscopus,

XIV.

SMARAGDVS fuit, antea Præpositus Albenis, & aulae regie Vice-Cancellarius (s.), iam vero a STEPHANO, rege iunior, in sedem Colocensem adscitus, & axiomaticè Cancellarii donatus, paci, inter patrem BELAM, & STEPHANVM filium, conciliandæ, vtilem nauauit operam. Dedimus diploma, ex membrana tabularii Archiepiscopatus Strigoniensis, depromptum, in historia (t.) Urbis Pisonicæ, cuius exordia sic habent: Nos STEPHANVS, Dei Gratia, Junior Rex Hungariæ, Dux Transiluanus, Dominus Cumanorum, significamus omnibus presentium per tenorem; quod ad habendam, redintegrandam, & conseruandam nuper in Posenio habitam, anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Sexagesimo secundo, Kalend. - - inter Dnum Regem, Charissimum patrem nostrum, & Nos, pacis & concordie unionem, mediantibus venerabilibus Patribus, Philippo, Dei Gratia Strigoniensi, Aula Charissimi Fratris nostri Cancellario, & SMARAGDO, Colocensi, Aula Nostræ Cancellario, Archiepiscopis. cetera. En Smaragdam, Archiepiscopum Colocensem, cumque Stephani tunc, cum male ei cum Bela patre conueniret, sequacem, posteaque, pacis & concordie, arbitrum. Excepit cum:

XV.

STEPHANVS I. ignotus Szentivanio, nobis vero, ex diplomate Ladislai Cumanii cognitus, quo possessionem Kuchmaallya, Comitibus, Thoma Ite, & Andrea, per, Colomanum regem ademptam, iure possidimini, restituit. Eius clausula sic habet: Datum per manus Magistri Benedicti, Budensis Ecclesiæ Præpositi, Aula Nostræ Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis nostri, anno Domini MCCLXXIV. Regni autem nostri anno secundo: Metropolitana sede Strigoniensi vacante, & Venerabilibus Patribus, STEPHANO Colocensi, & Iohanne Spalatensi, Archiepiscopis, Lamberto Agriensi, Briccio Csanadiensi, Iobo Quinqueecclesienis, Paulo Veszprimiensi, Aula Nostræ Cancellario, Philippo Vacienis, Aula Domine Regine consortis nostræ charissima Cancellario, Lodomerio Varadiensi, Timotheo Zagrabienis, Dionysio Iaurienis, & Petro Transilvano, Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Post Stephanum,

XVI.

IOHANNES I. in sedem Colocensem surrogatus est, id quod nos diploma ANDREAE Veneti, edocuit, ad hunc modum finiens: Datum per manus discreti viri, Magistri Theodori, Albenis Ecclesiæ Præpositi, Aula nostræ Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis nostri, Anno Domini MCCCLXXX. quarto Calendas Augusti, Indictione secunda, Regiminis nostri anno primo. Venerabilibus Patribus, Ludouico Strigoniensi, IOHANNI Colocensi, Archiepiscopis. Andrea Agriensi, Gregorio Csanadien-

Z z z 3

st,

s.) Sic habent innumeræ Tabulæ, a BELA IV. perscriptæ: Datum, per manus dilecti & fidelis nostri, MAGISTRI SMARAGDI, Præpositi Albenis.

t.) Tom. I. Operis nostri, Parte Spec. Membr. I. Sect. I. Historiæ Urbis Pison. Cap. III. §. v. p. 118.

14.
Smarag-
dus.

15.
Stepha-
nus I.

16.
Iohannes I.

13.
Benedi-
ctus.

si, Paulo *Quinqueecclesiensi*, Haab *Váczensi*, Benedicto *Veszprimiensi*, *Aula Domina Regina Consortis Nostra Charissima Cancellario*, Benedicto *Varadiensi*, Poka *Sirmiensi*, Andrea *Lauriensi*, & Petro *Transiluanensi*, *Episcopis Dei Ecclesias florentes gubernantibus*. In errore est SZENTIVANVS, quando, ad Archiepiscopum Strigoniensem, translatum ait. Aliter M. IOHANNES THURÓCZIUS (u.) cum *Wenceslai*, regis pueri electionem, & inaugurationem, memorat: *Dominicus*, inquit, *filius Stephani*, *dicti Porch*, *magister Thaurnicorum quondam Regis Andree*, *Demetrius*, *filius Nicolai*, *Henricus filius Henrici*, *viri valde magnifici*; cum IOHANNES Archiepiscopo *Colocensi*, & Andrea, *Episcopo Agriensi*; Emerico, *Episcopo Varadiensi*; Haab, *Episcopo Váczensi*; Antonio *Episcopo Csanadiensi*; Nicolao, *Episcopo Bosznensi*; & Iacobo, *Episcopo Scepsensi*, cui usque vitam (v.) concessus erat *Episcopatus*; in mense Iunio versus *Bohemiā* processerunt, ad regem *Wenceslaum*, ut regni susceperet *gubernacula Hungarorum*: NE REGNI LIBERI LIBERTATEM AMITTEKENT, IN SVCCESIONE PER ECCLESIAM DATI REGIS. Nempe, Pontifex Romanus, viuo adhuc *Andrea Veneto*, *Carolus*, annos natus XI. iam tum anno MCCXCIX. *Hungaris* in regem destinaret, *Matthaeo Omodeo*, & *Vbrino*, potentissimis principibus, destinationi velificantibus. Aliter, cum asseclis, IOHANNES, animatus fuit, ne libertati *Hungariae* derogaretur quidquam. Adducto ex *Bohemia*, *Wenceslao* iunior, *Albam regalem*, ad *solemnia inaugurationis*, IOHANNES Archiepiscopus *Colocensis*, cum *episcopis aliis supranominatis*, honorifice eum coronarunt. *Sedes namque tunc Archiepiscopatus Strigoniensis vacabat*. Inde *Budam* venerunt; ibique IOHANNES Archiepiscopus obdormiuit in Domino; & Iacobus *Episcopus Scepsensis* quieuit in pace. Tumulantur autem in *Ecclesia S. Iohannis apud fratres minores*. Hæc anno MCCCII. accidere.

XVII.

17. Ladislaus I. LADISLAUS I. a *Szentivánio* illuc interfertur: quippe qui, ex *Zagrabiensi Episcopo*, ad *Colocensem sedem*, sit translatus. *Doleas*, non addidisse iratem, qua id euenerit. Sane, si *Iohanni*, anno MCCCII. mortuo successisse credi debeat, breuem ei oportebit *metropolitane huius sedis usuram* fuisse: eo quod,

XVIII.

18. Stephanus II. STEPHANVS I. rectius II. ab eodem *Szentivánio*, anno sequenti a describitur. Neutrius in *diplomatibus* mentionem adhuc reperi: ut fas sit existimare, *potitum ea dignitate* utrumque fuisse, cum sub puero *Wenceslao*, susque deque ferrentur omnia. *Stephanus* certe, *Ortoni* potuit superuixisse.

XIX.

19. Demetrius. DEMETRIVS, creditur, in *exordia Caroli I.* incidisse. Hunc, recensente *Szentivánio*, XX.

a.) Parte II. *Chronici*, Cap. LXXXIV. p. 81, 33.
v.) *En!* temporarium, in *Scepusiensi Ca-*

pitulo, *Episcopatum*, vnius *Iacobi* *vite* *curriculo*, *definitum*. quod *notent* *sane*, *antiquitatum* *curiosi*.

XX.

LADISLAUS II. excepit, ex ordine *Minorum*, a IOHANNES XXII. confirmatus, iussuque eius, *Roma* consecratus, anno MCCCXVII. Habemus eius mentionem, cum alibi passim, tum in eo *Caroli* diplomate, quo *Feliciani* facinus execratus, sospitatori suo *Iohanni*, possessiones *parricidae* illius, *perenni iure*, adtribuit. Exit vero ad hunc modum: *Datum per manus honorabilis viri Magistri Tatanci, Albensis Ecclesie Prapositi, Aula Nostra Vice-Cancellarii, pridie Calendar Martii, Anno Domini Millesimo, tercentesimo, trigesimo sexto, regni etiam nostri, anno similiter trigesimo sexto. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Csanádi Strigoniensi, Fratre Ladislao Colocensi, Aula Nostra Cancellario, Archiepiscopis. Nicolao, Lauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Andrea Transiluanensi, Ladislao Zagrabieni, Andrea Varadiensi, Rodolpho Váczensi, Nicolao Agriensi, Iacobo Csanadiensi, Meskone Veszprimiensi, Aula dicta Domina Regina Consortis Nostra Charissima Cancellario, Fratre Vito Nitriensi; Bosznensi & Sirmiensi sede vacantibus; nec non Fratre Paulo, Albensi de Nándor, Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Patet hinc, & Cancellarii dignitate functum, & lustris circiter quatuor, tiara potitum fuisse Ladislaum.*

20.
Ladislaus II.

XXI.

STEPHANVS III. ignoratus a *Szentivánio*. Nobis indicium eius fecere, *Lvdovici I.* eadem illa tabula, quibus *laudatum* nunc *diploma patris Caroli*, recognouit, ratumque habuit. quæ sic concluduntur: *Datum per manus honorabilis viri Tatanci, Albensis Ecclesie Prapositi, Aula Nostra Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis nostri, Anno Domini Millelesimo, tercentesimo Quadragesimo sexto - - Mensis Aprilis, Regni autem Nostri anno quinto, Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Csanádi, Strigoniensi, locique eius Comite perpetuo, Stephano Colocensi, Dominico Spalatensi, & Nicolao Iadrensi, Archiepiscopis. Nicolao Agriensi, Andrea Transilvano Fratre, Vito Nitriensi, Petro Sirmiensi, Colomanno Lauriensi, Iacobo Zagrabieni, Laurentio Bosznensi, Gregorio Csanadiensi, Michaeli Váczensi; Quinqueecclesiensi & Veszprimiensi sedibus vacantibus, ac Demetrio Varadiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Ut iam diplomata, quæ cumulata habemus, alia, taceamus.*

21.
Stephanus III.

XXII.

DIONYSIVS, exstat viri memoria, in *Lvdovici I.* Decreto I. anni MCCCCLI. quam non est opus multis recognoscere, cum illic posuit legi.

22.
Dionysius.

XXIII.

THOMAS, innotuit nobis, silentibus *catalogis*, ex *Lvdovici I.* tabulis, quibus *peculiaria iura Gólnitzensium* (oppidum est *Scepusiacum*, idemque *montanum*) ad annum MCCCCLIX. perscripsit, quasque postea *Capitulum Scepusiense*, recognouit, anno MDCXCIX. Earum epilo-

23.
Thomas.

epilogus iste est: Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai, Dei & Apostolica Gratia Archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem perpetui Comitis, Aula Nostra Cancellarii, dilecti & fidelis Nostri, Anno Domini MCCCLIX. tertio Nonas Mensis Maii, Regni autem Nostri, anno XVIII. Venerabilibus in Christo Patribus eodem Nicolao, Archiepiscopo Strigoniensi, Vglino Spalatensi, Nicolao Iadrensi, & Elia Ragusino Archiepiscopis, & Thoma Archielecto Colocensi, confirmato Nicolao Agriensi, Demetrio Varadiensi, Dominico Transilvano, Nicolao Quinqueecclesiensi, Colomanno Iauriensi; Csanadiensi sede vacante, Ladislao Veszprimiensi, Michaeli Vácziensi, Petro Bozneni, Stephano Zágrabiensi Fratibus, etiam Nitriensibus, Thoma Sirmieni, Ioanne Timieni, Marco Traguriensi, Demetrio Nouensi, Valentino Makariensi & Farenensi, Matthæo Sirmieni Fratibus, Michaeli Cobaniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus.

XXIV.

24. Stephanus IV. reperimus eundem, in diplomate, quod Libethensibus, LVDOVICVS I. anno MCCCLXXXII. sibi, ad d. XII. Septembris emortuali, cum hac clausula impertitus est: Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris, & Domini Demetrii, miseratione Diuina Tituli Sanctorum quatuor coronatorum, Sacrosancta Strigoniensis Ecclesia gubernatoris, locique eiusdem Comitis perpetui, & Aula Nostra Cancellarii, dilecti Nobis & fidelis, Anno Domini MCCCLXXXII. tertio Idus Febr. Regni autem nostri anno Quadragesimo primo, Reuerendissimis & Venerabilibus in Christo Patribus, eodem Domino Demetrio dictæ S. Ecclesia Strigoniensis gubernatore; STEPHANO Cancell. Aulicano, Coloczensis & Bachiensis Ecclesiarum unitarum Administratore, &c. In alio eiusdem LVDOVICI diplomate, Cassouiensibus impertito, inusitatum ei tribuitur axioma. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris & Domini Demetrii, &c. Anno Domini MCCCLXXX. Quinto Idus Octobris, Regni autem Nostri anno XXXIX. Reuerendissimis in Christo Patribus & Dominis, Dño Demetrio Cardinali, Gubernatore Ecclesia Strigoniensis, Fratre STEPHANO, Patriarcha Hierosolymitano, Administratore Colocensis & Bachiensis Ecclesiarum unitarum, reliqui. Excepit Stephanum

XXV.

25. Ludouicus. LVDOVICVS, Maria, LVDOVICI I. filia, sponsa Sigismundi, ad gubernacula Hungariæ admota: sicuti est in Decreti, quod Anno MCCCLXXXIV. edidit, clausula, quam non est opus adscribere. Ad Ludouici huius ætatem, retulerim, BONIBACH IX. P. M. (x.) collatam Ecclesiæ Colocensi Metropolitanæ, PRIMATIS & LEGATI NATI, insignem, & alias, soli propriam Strigoniensi, prærogatiuam. Vacauit, post Ludouicum sedes Colocensis, sicuti est in clausula Decreti SIGISMUNDI, quod anno MCCCCV. consignatum est, & secundum dicitur Ludouicum hunc,

XXVI.

x.) Superat Bulla, A. MCCCLXV. Pontificatus sexto, in eam rem edita.

XXVI.

ANDREAS excepit, post longiorem sedis vacationem. Eruimus 26. viri nomen, ex iis SIGISMUNDI tabulis, in quas iura Pauli, filii Blasii de Andreas. Vidas Telek, Vice-Magistri Dapiferorum BARBARÆ reginæ Hungariæ, prolixè retulit, posteaque rata habuit. Ita enim in clausula diplomatis legas: Datum per manus Reuerendi in Christo Patris, Domini Eberhardi, Episcopi Ecclesia Zágrabiens. Aula Nostra Maiestatis eximii Cancellarii, fidelis & dilecti nostri, anno Domini MCCCCXXI. octauo Kalendas Octobris, Regnorum autem nostrorum anno Hungaria XXX. Romanorum vero VII. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Iohanne Strigoniensi, ANDREA Colocensi, COZMO Spalatensi, & ANDREA Raguziensi Archiepiscopis; Iadrensi sede vacante. Eodem Domino Eberhardo Zágrabiensi, ANDREA Varadiensi, Stephano Transilvanen. Styborio Agrien. Iohanne Quinqueecclesiensi. Benedicto Besnen. Fratibus, Philippo Vácziensi. Dosa Csanadien. Hincone Nitrien. & Thoma Seghinien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Veszprimien. Iaurien. Sirmien. Tragurien. Scardonien. Timinien. Sabinicen. Nouen. Macaren. Pharen. & Chorbauien. sedibus vacantibus. Quis non miretur hanc tot Episcopatum, orbitatem? Ceterum,

XXVII.

IOHANNES II. eodem hoc caractere insignitur, vti est in eius 27. anni sanctionibus, quas decretum SIGISMUNDI sextum adpellant, in Iohannes II. clausula, ad annum MCCCCXXXV. memoriæ proditum. Iohanni

XXVIII.

PETRVS II. de Rozgon, a Szentivánio sufficitur, nulla ætatis, 28. quam facere decuisset, mentione. Si is est, quem in catalogo Veszprimiensium, ad annum MCCCCXXIV. refert, & ad sedem postea Agriensem, anno MCCCCXXV. translatum, vixisse adhuc anno MCCCCXL. memorat; post hunc annum Metropolitanam factum fuisse oportuit. In SIGISMUNDI decreto, quod anno MCCCCXXV. conditum est, adhuc Episcopus Agriensis dicitur.

XXIX.

STEPHANVS V. Varday. Habes eius mentionem, ad annum 29. MCCCLXIV. neglectam, quod mirere, a Szentivánio, in secundo Stephanus V. MATTHIÆ Coruini decreto, vbi simul, summus Aula Cancellarius, nominatur. Adde, infinita eius ætatis diplomata. Emicuit excellens viri animus, in eo tractatu, quo MATTHIÆ Coruini, & Ordinum iussu, sacra Regni Hungariæ Corona, a Friderico III. redimebatur. In capite tabularum sic legas (y.): Nos STEPHANVS Colocensis & Bachiensis Archiepiscopus. Qua autem gente fuerit proditus, iisdem tabulis (z.) exprimitur: nobis, inquit, STEPHANO Varday Colocensi. Ante vero, quam legationem eam, oppido arduam, neque honorificam minus, quam vtilem patriæ, obiret, solemnè senatus consulto, a Rege & Ordini-

TOM. III.

A a a a

dini-

y.) Apud BONFINIVM, Dec. IV. Lib. VIII. | z.) Loco citato p. 657, 40. p. 655, 40.

dinibus, ad eam prouinciam (a.) additis collegis designabatur. Summi Cancellarii munus administrasse, præter decretum, supra citatum, ex GEORGIO RATRAY (b.) de Nagy Thábor, didicimus, idque diplomatis Matthia Coruini indicio: Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris Domini STEPHANI CARDINALIS, Colocensis & Bachiensis Ecclesiarum Archiepiscopi, Aula Nostra Cancellarii, Anno MCCCCLXXIX. Kalendaras Martii. Silendum non est, quod de eo, quisquis est, Purpura Pannonica auctor, in litteras retulit. STEPHANVS de Varda, sive Varadius, obscuro (c.) loco in Hungaria exortus, artibus tamen litterarum & belli admodum inclariuit. Doctoris enim legum nomine, gausus & fructus est, finesque Hungariae (ut est apud Bonfinium) ab excursionibus Turcarum tuitus. Ex Preposito Ecclesia Agriensis, Archiepiscopus Colocensis, tum Presbyter Cardinalis SS. Nerci & Achillis, a Paulo II. MCCCCLXVIII. Septembris renunciatus est. Non adsequor, porro qui euenerit, cum suffragante, (ut scribunt auctores exteri:) Ludouico XI. Francorum rege, sacro collegio adscriptum esse; nisi forsitan apud eum regem, legationem obiisset: quandoquidem Antonius Bonfinius memoria commendauit, Marcum Timiensem Episcopum, a MATTHIA Rege Hungariae, oratorem missum Romam, cum ad alia negotia procuranda, tum ad sollicitandum Stephano Cardinalatum. Migravit e vita in natali solo: ex libro Diuisionum in Vaticano seruato, circa mensem Iunium MCCCCLXXI. ex CIACONIO uero, & AVBERIO, MCCCCLXXIII. Videatur FELIX CONTELORIVS. Hæc de Stephano. Si BONFINIO fides, exceptit eum

XXX.

^{30.} GABRIEL I. Diserte eum Colocensem metropolitam (d.) adpellat, missum cum Iohanne Vngor, ad Turcarum impressiones a Sirmio propulsandas. Hæc, ad annum forte MCCCCLXXI. incuntem referri oportebit, si cum fati Stephani Vardai, uelis concilianda. Casimiriana inualecente coniuratione, BONFINIVS, fidissimum fuisse ait GABRIELEM. Conturatio, inquit (e.), ita uehemens & facunda fuit, ut in ulteriore Hungaria, præter GABRIELEM Archiepiscopum Colocensem, Michaellem Palatinum, cum paucis optimatibus, nemo superferit, qui a regia fide, ad Polonum non defecerit. Quin, & rebus iam ancipitibus, in iis recenset, qui de regis salute, cum cura, fuere solliciti. Nec interea MATTHIAS obdormiuerat (f.): quippe qui, comparauerat pro uiribus exercitum; principes multos Buda coegerat. Illuc enim Palatinus, GABRIEL Archiepiscopus, item Emericus, & Iohannes Alemannus, Varadiensis antistes, multique alii ex coniuratis etiam conuenerant: clam a rege, opido-

a.) Ad BONFINII Dec. III. Lib. x. p. 552, 34.

b.) In MEMORIA Regum & Banorum Dalmatiae, Croatiae & Slauiæ, Lib. III. p. 98.

c.) Nescio an obscurum fuerit nomen Vardaiorum, ante STEPHANVM hunc.

Certe, si nomen de Varda, tulit, nequiu loco edii obscuro: id quod norunt rerum Hungaricarum consulti.

d.) Decade IV. Lib. II. p. 562, 29.

e.) Loco eodem, p. 564, 16.

f.) Inibi, p. 566, 14.

pidorum villarumque largitionibus, reconciliati. Diplomata, quibus adscriptus esset, nulla nobis adhuc occurrere.

XXXI.

GEORGIUS I. floruit MATTHIA Coruino, rerum potente, a quo, arduis legationibus, semel iterumque adhibitum, BONFINIVS memorat. Prima ea fuit, quam Beatricis desponsandæ causâ, cum Nicolao Bausio, Neapolim (g.) obiit: altera, quam ad Olomucensem conuentum suscipiebat. Rex, inquit, (h.) GEORGIUM Colocensem Metropolitam, & Protasium Olomucensem episcopum, item Stephanum Comitem Scepsiensis, Wenceslaum Bosconium, & Nicolaum Zeechensem, oratores pronunciat. Quæsturam administrasse regiam, post Iohannis Ernesti, solertissimi uiri fata, antequam metropolita fieret, idem BONFINIVS memoriæ prodidit, cum de morte eius, ad annum MCCCCLXXIX. (i.) retulisset: GEORGIUS, inquit, Archiepiscopus Colocensis diem obiit: uir grauissimus, & summa laude dignissimus semper habitus (k.). Peculiare est, quod de Colocensis metropolitæ prerogatiua (l.) addit: Metropolitanus Colocensis, suo iure scriba regius, & Secretarius, ut aiunt, esse debet. quæ tamen dignitas, sensim, ad Strigoniensem translata est.

XXXII.

PETRVS III., quemadmodum Georgio fuerit surrogatus, cum encomio uiri, ex BONFINIO addiscas. In Georgii locum, ait, PETRVS a rege susceptus, uir libero acrique ingenio, & animo, pro adserenda sepe ueritate, & utilitate publica, usque adeo uehementi, ac intrepido, ut formidolosam regis iracundiam, quandoque non expauerit. Accedebant litterarum studia, quibus in Italia, diu operam dederat: hic enim, ab ineunte pueritia, Iohanni Vitæzio, Varadiensi tunc episcopo, usque adeo placuit, præ ingenii dexteritate, optimaque indole, ut diligenter inter pueros suos educarit: ad Strigoniensem hic Archiepiscopatum euectus, canonicatu, haud quaquam inhoneflo, donarit: propria quoque impensa, Bononie, optimarum artium studiis excolendum curauit: contra, hic patronum nactus indulgentissimum, a tanti uiri educatione non degenerauit. Inerat omnino, summum in uiro ingenium. sed, quod fit plerumque, magnis uitiis permixtum, ac subactum; ut ideo, PETRYM cognomento Insanum, nihil dubitet LYDOVICVS TVBERO, quem infra audiemus, adpellare.

Quatuor fere in sede Colocensi, annos exegerat, simul iure axiomatis eius, munere summi Cancellarii, functus. quæ cum dignitas precipitauit in pessimam fortunam; quando a MATTHIA, non exaudoratus tantum fuit munere utroque; sed datus etiam in uincula. Causam tanti mali, PETRVS DE RéVA (m.) prolixè describit, quam silente BONFINIO, in lectorum gratiam, adscribemus. Intermedio, in-

A a a 2

quit,

g.) Decad. IV. Lib. III. p. 577, 24.

h.) BONFINIVS, Dec. IV. Lib. V. p. 604, 42.

i.) Ibidem p. 608, 29.

k.) Inibi linea u.

l.) Linea 26.

m.) Coronæ Hungaricæ Centuria v. p. III. 49.

31.
Georgius
I.

32.
Petrus III.

quit, cum Bajazete, sancitarum induciarum tempore, tyrannus, ad dolos & artes conuersus, duas nobilissimas arces, Kyllen, (quam olim Achilleam, ab Achille Graco conditam & dictam credunt) & Nester Albam, (illa ad Danubii, hac ad ostia Tyra, siue Nestri sita (n.) est) limites nimirum Hungariae obseruantes, lesa induciarum fide, in potestatem suam redegit. Ea de re MATTHIAS, a Stephano principe, accepto nuncio, exposulat cum Bajazete, violata induciarum fidei probro obiecto, & litteris foederis, falsi criminis, (quae forte interciderant) accusatis, urgebat tyrannum, ut sibi restitutione locorum, pristino imperio Hungarico, non aliter, satis faciat; alioquin bellum iustum, & quo semper Martem equiorem MATTHIAS expertus erat, interminari. Mollius a barbaro responsum; mortem sibi priorem futuram, quam crimen lesa fidei ac pacis, paratamque se excusationem habere; bello expugnatas esse arces, nequaquam inductione fallaci; neque enim in conditionibus induciarum, atque litteris ipsis, de Transalpina, aut Moldauia prouincis, vel de arcibus praedictis, quidquam cautum aut scriptum esset; quibus ita constanter inhereret, ut ne latum unguem, ab illis dimoueri se pateretur; multo minus violata fidei crimen incurreret. Et quando arces illae, non sine multorum suorum sanguine parte essent, iuste a se possideri, quod felici Marte parasset; nec ergo postulata restitutionis necessitatem, aut consensum, sibi imponi uelle, aut debere. Haec ille, ex vero quidem; sed, optime tamen, ex litteris (o.), quas mutuo, MATTHIAS, & Bajazetes, dederunt, rem condiscas, dignis oppido, quae haec legantur. Et CORVINUS quidem, in hunc modum ad Turcam: *Potentissime Princeps, Domine Domine Amice Noster dilecte! Constat Vestra P. M. quod nuperime inter nos treuga fuit disposita, & fide matura, litteris median-tibus, confirmata. Quibus nos omnino adherentes, alia facta nostra his temporibus peregrimus. Vestra tamen P. M. fidem pro nihilo reputans, terram Transalpinam, & duo castra, in confiniis Moldauiae existentia, & ad Regnum Nostrum Hungariae iuridice pertinentia, interim expugnari fecit. Vnde, fide taliter obseruata, sperabamus, fore, ut Vestra P. M. regnum dictum non infestaret. Sed cum amplius Nostra Serenitati, Eidem cedere non liceret; igitur Vestram hortamur P. M. quatenus, si fidei Vestra satisfacere intenditis, ex tunc, castra praedicta, sicutim quasi recepta, remittere dignemini; sin autem alias, Vos, Dominum Imperatorem, in hostem proponimus, & per praesentes publice denunciamus. Sentimus enim, iuxta fidei nostra opinionem, ut regna praedicta, a Vestra P. M. per Nostram Serenitatem, in breui fient recuperata, & iniuria nobis illata, percipietis talionem; prout etiam a Bayolis Vestra P. M. ore tenus nunciauimus. Haecenus MATTHIAS. Iam, quid responderit Bajazetes, uideamus: Serenissime Princeps & Domine Amice noster dilecte! Misas, quas tam inconsulte Vestra Nobis intimat Serenitas, minime curamus.*

Signi-

u.) Ita, cum TIMONE malumus, quam cum REVA, ad ann. MCCCCLXXXV. p. 63.

o.) Excerptimus eas, ex schedis, uti adparet ex caractere, aetate RYVALL, multis modis vetustioribus.

Significatis etiam Nobis in litteris Vestris, quodammodo fidei fractiorem. Sciatis, quod prius eligeremus mortem, quam fidem nostram frangere. Et quamuis, habitatione a Nostris familiaribus, Regnorum Moldauiae & Transalpinae inclusionem, ad Treugam praemissam agnouimus; in litteris tamen Vestris, regna praescripta, specialiter sunt exclusa: quas pro maiori cautela, Vestra Serenitati, in specie remisimus. Ex quibus clare agnoscere potestis, si fides ac treuga per nos exstitit violata. Nos enim plus litteris Vestris, quam famulorum nostrorum uerbis credidimus. Igitur, si Vestra placet Serenitati, adhuc pro ipsius fidei stabilimento, tanquam uobis exhibemus amicitiam, quod de regnorum praedictorum expugnatione desistimus; sed illa duo castra per nos, magno labore, & multorum fidelium nostrorum peremptione, iam obtenta, pro praesenti remittere nolumus, nisi occasio euenierit efficacior. Committimus tamen Capitaneis nostris, in castris praedictis constitutis, ut treuga praemissa durante, regno Moldauiae, ex iisdem nulla molestia inferatur; sed familiares nostri stipendiis propriis utantur, in custodia castrorum praescriptorum. Haec Bajazetes, profecto mitius, quam id fert indoles barbarica, sed uafre tamen & nequiter.

Sit uero ita, exclusas, quocumque fato, ex tabulis induciarum fuisse, Moldauiam, & Transalpinam, Bajazetes profecto, in iis litteris, quibus quinquennii cessationem ab armis, primus a MATTHIA, implorabat, alia sponderat omnia. Exhibebimus eas, ut historiae Coruini-mae momentum illud, praepostere neglectum a Bonifacio, fiat luculentius. Bajazetes ad MATTHIAM: *Serenissime Princeps ac Domine Amice Noster dilecte! Vestra notificamus Serenitati, quod rex Sultanus, qui tempore patris nostri defuncti, nostro subditus erat imperio, nunc, quocumque ductus motiuo, a Nobis se diuertit. Agnouimus etiam, ut & Vestra Serenitas, cum Imperatore Romanorum, agere habet. Voluimus igitur, si Vestra placet Serenitati, ut usque ad quinque annos, immediate sequentes, inter Nos treuga pacis firmetur, ita, ut usque terminum praefixum, Vestra Serenitas, aduersus potentiam nostram non insurgat, nec Nos contra Serenitatem Vestram insurgemus, fide Nostra mediante. In aliis autem mundi partibus, sicut Vestra placet Serenitati, secure agatis; similiter & Nos, pro parte Nostra, secure optata nostra perficere ualeamus. Non autem existimet, Vestra Serenitas, ut ex eo uobis intimauimus, quod Vestram formidauerimus potentiam; sed cum ambo pluribus simus occupati negotiis, Nostris contrariis, facilius obstare possumus. Tandem, si Vestra placuerit Serenitati, uobiscum pacem sempiternam componere promittimus. His tunc uerbis, & in has condiciones, conceptae fuere preces Bajazetis, ut debuisset omnino se abstinere a bello; tametsi, in tabulis pacis, haud fuerit, memoratorum regnorum, expressa mentio. Neque aliter adfensit barbaro, MATTHIAS; sicuti palam fit, ex responsoria eius epistola. *Potentissime Princeps & Domine Amice Noster dilecte! Intimata eiusdem Vestra Potentissime M. Nostra transmissa Serenitati, pro parte fiducia seruanda, plane percepimus:**

mus: qua, sicuti Vestra P. M. ita etiam Nostra placent Serenitati; cum nonnulli forent contumaces, qui nostris recusent parere mandatis, quos etiam nos corrigere opus est. Igitur ad eiusdem Vestrae P. M. vota, treugam usque ad annos praefixos, indulsumus, fideque nostra, qua fungimur, Christiana, promittimus mediante, firmiter observandarum. Ita tamen, quod regnis fidem nostram obseruantibus, nullibi noceatis: & signanter, ex ista parte maris, more exercituantium, pro parte Vestrae P. M. nullus exire debeat; demitis infirmitatibus, qui cum suis mercantiis, ad confinia regni nostri, libere venire possunt, & redire, treuga praedicta durante. Demum, si Deo placuerit, & Nostrae parili voluntati, treuga pacis perpetuae, inter nos poterit radicari. Ergo, pessime, & contra has pactiones, factum a Bajazete est, dum obtentu quocunque alio, fines Hungariae contemnerat, neque postea restituit pristinae integritati. Adeo, parati esse solent barbaris, ad lacessendos Christianos, seu praetextus, seu occasiones.

Ita, MATTHIAM inter, & Bajazetem, de occupatis arcibus, exposculabatur, maximo Petri metropolitae, & propemodum perniciabili malo. Exacerbatus enim his litteris MATTHIAS, inquit porro REVA, compertoque dein litterarum errore, seu negligentia, seu oblivione, ac artibus, seu alio quouis casu, sui Cancellarii, Petri Archiepiscopi Colocensis admissis, arcesque infelici eius praetextu amissas dolens, amarum bilem, quam in hostem conceperat, (p.) in eundem Petrum Archiepiscopum, effudit, verberibusque grauius sua manu datis, ipsum in carcerem sedum, ac angustia cuius hominis latum tetrumque (qui etiam nunc, in arce Aruensi, cuius possessor est, Comes Supremus & Perpetuus Emericus Thurzo, quondam regni Hungariae Palatini filius, visitur) coniecit: dum prius fortuna inconstantiam ei exprobrasset, his verbis: ARVA FVISTI PETRE, ARVA ERIS, ET IN ARVA MORIERIS. Hunc enim fortuna, humanarum rerum domina, fauorque regis, ex humili sorte, ac egestate, (quod voce Arva notatur) in summum fastigium extulerat; rursusque, infesto vultu, ac impetu in aduersum ac ignobilem casum, precipitavit, sedumque ergastulum, ex quo sexto anno sua captiuitatis, post mortem demum MATTHIAE, liberatus est, fauore Iohannis Coruini, cuius postmodum sectator acerrimus erat, ut parem beneficii vicem rependeret. His ludibriis, Petrum, iniquior fortuna exposuerat. Dubiam REVA fidem facere admittitur, in tota hac narratione, TIMON, quasi iniquior in praesules, sincere minus, rem memoriae prodidisset. Credo, verbera Petro inflictis a MATTHIA, & foedos, apud Aruam, carceres, quod vtrumque narrat REVAJUS, abesse, ab historia hac, TIMONEM voluisse, inductum, BONFINII potissimum silentio. At enim, quis non nouit, prauam, in BONFINIO, adferendi, MATTHIAE in primis, cuius propemodum contubernalis fuit, libidinem? Nempe, siluit re-

p.) BONFINIUS Dec. IV. Lib. IX. p. 664, | 38. BEATRICE causa compactum in vincula, adseruat; quod non ab-

ludit, seu ab regis, seu ab regiar ingenio: sicuti patebit mox ex TYBERONE.

gis violentiam, ne ei se faceret obnoxium, neue, in fautorem Petrum, videretur acerbior. Qui penitus Coruini animum introspererunt, habentque cognitum, quemadmodum Archiepiscopum Strigoniensem, Ianum Pannonium Quinqueecclesiensem, & Nicolaum Bathori, Vácziensem, episcopos habuerit, dure non minus, quam inclementer, vix ii quidem inficiabuntur, bile correptum subita, manus intulisse metropolitae. Certe, si ob male suppeditatas fides (q.) letum sibi, efferuescente ira, accessit, facile (r.) ei fuisse reberis, duarum arcium iacturam, indigna rege ultione, Petro rependere. Sed haec nihil moramur amplius. Locum carceris, siluit iterum BONFINIUS: (s.) TYBERO, Visegradum fuisse scribit, inueterata plebeiaque traditio, cum ISTVÁNFY (t.) & REVA, Aruam pertinaciter memorat.

Alioquin, male de Petro variatus est MATTHIAS, quasi qui Arua esset moriturus; ipse enim, morte praeventus immatura, vincula carceresque metropolitae laxauit inuitus. Tametsi namque, Pontifex Romanus, datis, anno MCCCCLXXXVI. pridie Nonas Martii, ad MATTHIAM litteris (u.), pro eo, ac decuit, monuerit eundem; Petrum, uti e vinculis dimitteret, redderetque sedi Colocensi; ea tamen re, nequidquam, apud iratum regem, profecit: dum filius suus Iohannes, patris eam duritiem, pessima sua fortuna, luere cogeretur: quippe qui, dimissum e custodia praesulem, amentissimis consiliis suis innexuit. Breuiter BONFINIUS (v.), ac forte vere minus, rem gestam recensuit; plenius, LVDOVICVS TYBERO, cuius locum, ne frustra a lectoribus requiratur, adscripsisse iuuabit. IOHANNES Coruinus, inquit (x.), quo plures sibi adscisceret fautores, PETRUM, cognomento (y.) INSANVM Colociensem Pontificem, Visegradensi educit custodia, in quam, ob ferox maxime, ac intractabile ingenium, a rege MATTHIA, aliena insolentiae impatientissimo, adnitente etiam Beatrice eius uxore, qua & ipsa, praesuli, ob intolerabilem hominis, in se acerbiter, erat infensa, coniectus fuerat. Quamquam sunt, qui Petri arrogantiae, pro-

q.) BONFINIUS Dec. IV. Lib. VIII. p. 649.

r.) Profecto, in veterrimis schedis, quas supra laudavi, ita reperio: Comperitum est postea, quod cum super inducis, seu treugis praenotatio, litterae hinc inde datae fuissent, & loca confinium adnotata, tunc, sine errore, sine quocunque alio casu, Regius Cancellarius, PETRVS Archiepiscopus Colocensis, arces duas praefatas, adscribi in litteris omiserat. Vnde MATTHIAS Rex, ultra verbera, quae illi manu sua inflixerat, carceri eum perpetuo includit; ex quo nonnulli post mortem demum MATTHIAE tunc eliberati.

s.) Decad. IV. Lib. VI. p. 623. vbi, honestissime, per arces regias adseruatum ait. Lege illic causas custodiae, alias,

ab ea, quam ex PETRO de REVA, nunc excusimus.

t.) Lib. I. p. 17, 46.

u.) Exstant ea apud ODARICVM RAYNALDVM Hist. Eccles. ad an. MCCCCLXXXVI.

v.) Loco citat. Lib. IX. p. 664, 40.

x.) Commentariorum, de Rebus sui Temporis, Lib. I. p. 24.

y.) Hungari, GYÜMÖS PETR, adpellabant; non quod reuera insanus mentis fuerit; sed quod natura intractabilior & morosior: sicuti DIMITIO cui-dam, homini docto, & celebri, in urbe Roma, Grammatico, cognomentum INSANI habuisse ideo, A. GELLIVS, Noct. Atticar. Lib. XVIII. Cap. VIII. auctor est.

ditionem quoque consiliorum Regis MATTHIAE, cuius a secretis, & magister epistolarum fuerat, adiiciunt: licet alii, id illi, ab inimicis, falso obiectum arbitrentur. En! aliam custodiam, & arcem, & caulam. Nolim tamen Aruam, eo honore exclusam, cum potuerit, ex arctiore ea custodia, subita hac rerum conuersione, isthuc deportari, ut esset, praesidio adolescenti Coruino, non consilii modo, sed fide etiam amicorum, (z.) fluctuanti. At enim, irritum fuisse ceptum, haud diffidetur TVBERO. Verum, Pontifex Petrus, domi se priuatim continuit, nec in senatorum concionem inferri ausus est; eo, quod inimicos timeret, qui ei, si publicis rebus se ingessisset, malum minabantur; quodque praesulatu, nondum recuperato, nullam fere inter proceres auctoritatem erat consequutus: quum, vel ex eo comitiis, nequaquam fuisset adhibitus, eo, quod amota mentis esset habitus, quamuis illum, ut ego arbitror, (etenim usus sum eius familiaritate) magis insita superbia, quam mens insana, furere aliquando coegisset. Tantum est, meliore fortuna, in rem deteriore abuti. Proinde, digna est monitio, quam suam faciant, eiusdem farinae homines, cum pergit TVBERO: Quod sane malum, plerisque nouis inest hominibus, qui scilicet obscuro loco nati, cum fortuna, non autem virtute, insperatum virtutis gradum consequuntur, obliuiscuntur demesticae humilitatis, nimiumque fortuna, cui se permisere, elati fauore, his, per insolentiam praesumere nituntur, quos merito colere deberent. Profecto ergo verum est poetarum illud.

Asperius nihil est humili, dum surgit in altum.

Ceterum, ex ingenio viri, ficta consilia, uti violenta fuere omnia, ita nihil valere, ad adolescentis Coruini ambitum. Pergit TVBERO: Petrum, quum ab ipsius inimicis, tum ab his maxime, qui regulo aduersabantur, non modo praetextu insaniam, regis submotum fuisse comitiis, sed etiam, eo, quod ob salutis beneficium, regulo vicem redditorum, fauoremque putabant. Qui quidem, tametsi opibus suis, ac fauore, nondum, ut dictum est, pontificatu recuperato, MATTHIAE filio, tunc adesse nequiverit, multum tamen consilio, audaci illo quidem, & minime probando, nec ab eius ingenua atrocitate abhorrente, profuturus fuisset forsitan, si ei fuisset obtemperatum: quippe, cuius erat sententia, ceteris fere reguli amicis, id vehementer, propter rei turpitudinem, improbantibus; comprehensos in regia optimates, qui comitiorum initio ad regulum saepe commeabant, positos custodibus, tantisper detinere, dum Ianus, an militari studio, regnum posset inuadere, experiretur. Immite oppido consilium, quodque ab liberae reipublicae natura, extra modum alienum est, & abhorrens; ut dubium reliquerit TVBERO, reuerane id, a Petro profectum, an confictum sit ab inimicis. Hoc autem, utrum Petri odio, ab inimicis confictum sit, in vulgusque editum, moribus eius

(z.) ISTVANFYVS, loco nunc citato, rogatu ALEXANDRI Pontificis, a WLADISLAW

carcere dimissum ait. quod equidem malum, de recuperata dignitate intelligere.

eius crimen adfirmantibus, an ab ipso Petro cogitatum, in ambiguo pono: nihil enim mihi de hac re satis compertum est. Hæc ille.

Rebus Iohannis Coruini profligatis, rediit, ad sanitatem Petrus, & WLADISLAI Poloni beneficio, ad sedem simul Colocensem. Enim vero, memoratur in epilogo Decretorum Wladislai, anni MCCCCXCV. MCCCCXCVIII. & MD. Iam enim, post reiectos a WLADISLAW adulos, pristinae dignitati restitutus fuit, redibatque sensim ad ingenium; uti habent querelæ ISTVANFYVI: In comitiis, inquit, anni MCCCCXCII. PETRVS Archiepiscopus Colocensis, veteris sua dicacitatis, & vaniloquentia, non oblitus, cuius, uti diximus diuturno carcere penas dederat, Beatricis reginae querelas refricuit, rogatis ordinibus, ut eandem, WLADISLAW in coniugem ducendam, commendarent. Alioquin amplissimo Petrum hunc elogio, PHILIPPVS BEROALDVS, dilaudat, prolixam nimium epistola, qua ei commentarium in Apuleii Metamorphosin dedicat. Adeo, mortalibus nobis, neque adscitatores in vitiis desunt; neque vituperatores, cum excelso animo, in virtutum studia incumbimus. Alioquin, tenacem fuisse iurium sedis metropolitanae, decretum anni MDIV. (a.) loquitur. Repudiabantur tunc lege publica, Abbatiarum, & Praepositarum regularium, profani possessores, adferebanturque singulorum ordinum sacri viri, in earum administrationem, ad quos fundatorum instituto existimabantur adtinere; cum elaborante, procul dubio, Petro, sola Petrovaradiensis Abbatia, ab ea sanctione eximeretur: Denta, habet lex, Abbatia, seu Ecclesia Petrovaradini, qua ex annuentia regiae Maiestatis, Dominorumque praetorum, & Baronum, ac uniuersorum regnicolarum, Archiepiscopatus Colocensi, honestis ex causis & rationibus, iam pridem adnexa existit: in qua nihilominus diuina officia, sedulo integerrime peragantur. Plus forte satis de Petro.

XXXIII.

LADISLAVS II. GEREB, de Wingart, post annum Milleimum quingentesimum, Petro, indulgentia WLADISLAI, suffectus, cum hucusque Episcopus fuisset Albensis: uti ex epilogo Decreti, quod anno MD. vulgatum est, adparet. Dabimus ipsum WLADISLAI diploma, quo Ladislao, dignitatem hanc metropolitae, haud sine laudum praerogatio, adfirmavit: ut simul constet, quibus formulis, iam tum, uti fuerint reges, in Archiepiscopatibus conferendis: habet autem hoc modo: Nos WLADISLAVS Hungariae, Bohemiaeque Rex, cetera: memoria commendamus, quibus expedit uniuersis: quod, cum Nos, virtutes illas, & singulares animi dotes, generosamque prosapiam, atque honestissimam vitam integritatem, & praeclaram doctrinam, fidelis nostri dilecti, Reuerendi in Christo Patris, LADISLAI DE GEREB, Episcopi Albensis Transilvaniae, nobiscum saepe reputassemus, cumque induxissimus etiam in animum, quanta fide, & fidelitate, in primis, Spectabilis & Magnificus Petrus GEREB de Wingart, Regni nostri Palatinus, frater carnalis ipsius Domini Episcopi, cum eodem Domino Episcopo, per plures annos ab ineunte aetate,

TOM. III.

Bbbb

te,

(a.) Artic. XVII.

te, sacra Corona, huicque uniuerso regno, Nobisque, fideliter & constanter seruiuerit, singularem curam & sollicitudinem de ipsorum ornamento & commodo, honorisque & officii accessione, habendam duximus. Inducti igitur pramissis virtutibus & meritis eiusdem Domini Episcopi, quibus eundem ornatum esse, propria nostra experientia comperimus; eundem, tanquam probatum, & de Nobis, atque hoc regno, cum praefato fratre, scilicet Domino Palatino, optime meritum, de ipsa Ecclesia Transiluanensi, ad Archiepiscopatum Ecclesiarum, Coloczensis & Bachiensis, nunc per mortem Reuerendi quondam Domini PETRI, earundem Ecclesiarum, ultimi, veri, legitimi & immediati possessoris, de iure & de facto vacantis, auctoritate Iuris Patronatus Nostri regalis, duximus transferendum, eligendum & nominandum, ipsique Archiepiscopatum, simul cum castris, ciuitatibus, oppidis, villis ac prouentibus deuenire, & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, eidem dandum & conferendum. Imo transferimus, eligimus, nominamus, & confirmamus, praesentium per vigorem. Quocirca, vobis fidelibus Nostri, Venerabilibus & Honorabilibus Capitulis N. Ecclesiarum, & uniuerso Clero & populo, firmiter precipientes mandamus, quatenus a modo deinceps, praefatum LADISLAVM DE GEREB, pro vestro legitimo, & indubitato prelato & Domino, tenere & recognoscere, illique, in omnibus debitam reuerentiam, & obedientiam, semper exhibere debeatis & teneamini. Secus non facturi. Haec tenus diploma: nam annum diemque, neglexit scriba, qui id in aduersaria sua retulerat. Quod tamen, viuo adhuc Petro Palatino, subiectus in Archiepiscopum Ladislaus in tabulis dicitur, argumento est, surgentis seculi XVI. anno primo, aut sub initia secundi, tiaram capessuisse. Nam Petrus quidem Palatinus, anno MDII. magno Regis & Ordinum luctu, ipso comitiorum tempore, quae Budae agitabantur, in arce sua Valpone, spiritum reddidit, vt est apud ISTVÁNFYVM (b.). Illud, ad praesulis Ladislai commendationem facit; quod MATTHIAE regis consobrinus (c.) fuit: cuius ideo beneficio, episcopem Albensem, iam tum anno MCCCCLXXXVI obtinebat, fuitque Apostolica Sedis Legatus: sicuti est, in conclusionem decreti eiusdem anni, quod vltimum edidit Coruinus: quam ob rem, sede Strigoniensi vacante, Petro, Colocensi Archiepiscopo, praepositum illic videas. Caeteroquin, breuis, Ladislao, sedis Colocensis, vsura fuit. Tamen enim, de anno dieque eius emortuali, nihil reperi adhuc; tamen, quia in eorum comitiorum epilogo, quae anno MDIV. habebantur, Gregorii Frangepani, metropolitae Colocensis exstat mentio, duci inde potest argumentum, fato suo, eodem, an superiore anno, Ladislaum concessisse. Ignoratur, vir multae celebritatis, ab ISTVÁNFY, iuxta & Szentivánio.

XXXIV.

GREGORIUS II. quem alii errore calami, Georgium dicunt, sicu-

ti

34.
Gregorius
II.

b) Lib. IV. p. 51, 29.

c) Idem, Lib. III. pag. 45, 49. vbi

simul laudes PETRI Palatini legas.

ti est facilis lapsus in his vocabulis permutandis. Primam eius mentionem, in WLADISLAI V. Decreto, quod MDIV. condebatur, reperio. Praescriptum viri nomen legas, sanctioni illi, qua rege Vladislao conueniente, anno MDV. Status & Ordines, alienigenas, a regiae dignitatis fastigio, excludebant. Ita enim exordiantur tabulae: Nos, Thomas S. Martini in montibus SS. Ecclesia Romana Presbyter Cardinalis Strigoniensis, & GREGORIUS de Frangepanibus, Colocensis & Bachiensis, Ecclesiarum canonice unitarum, Archiepiscopi, ac Sigismundus Thurzo Transiluanensis, Georgius Varadiensis, Cancellarius Regius, Franciscus Jauriensis, Nicolaus de Csaak, Csanadiensis, Nicolaus de Báthor, Vácziensis, Stephanus Nitriensis, Episcopi, & Iohannes Ország, electus Sirmiensis, Ecclesiarum Prelati, ac Bartholomaeus, Prior Aurana, Comes Dubicensis. Item Emericus de Perén, Comes Perpetuus Comitatus Abaujvarensis, Regni Hungariae Palatinus, & Iudex Cumanorum, reliqui. Datum in campo Rákos praedicto XV. die (d) congregationis nostrae generalis antedictae. A. Domini MDV. Moderabatur ecclesiae Gregorius, ex familia S. Francisci, ad tiaram promotus, toto eo tempore, quo rerum potiebatur WLADISLAVS. Praecipuam regi nauasse operam, in connubiali foedere, de quo Pisonii, anno MDXV. inter WLADISLAVM & MAXIMILIANVM I. magna partis vtriusque contentione, tractabatur, in ephemeridibus eius comitii (e.) expromissimus. Enim vero, in iis arbitris, census est, quibus rem suam omnem, WLADISLAVS crediderat: fuere autem, sacri triumviri, Thomas Strigoniensis, Gregorius Colocensis, Archiepiscopi; Episcopus item Quinqueecclesiensis, Georgius, Szakmári.

WLADISLAI, anno, qui sequutus est, proximo, rebus humanis exempto, adolescenteque, inter iuueniles illecebras, quas Georgius Marchio Brandenburgicus, impie sufficiebat, LVDOVICO rege, Gregorius, nunquam, quantum eius in ea perturbatione aulae fieri potuit, a reipublicae cura se abstinere: legatione simul, ad CAROLVM V. Imperatorem, & Electores Germaniae, cum laude perfunctus. Misit etiam LVDOVICVS paullo post, anno scilicet MDXX. mense Aprili, ex concilii, seu comitiorum decreto, legatos, ad CAROLVM Caesarem, ac principes Germaniae, quos Electores vocant, Vormatiae congregatos, GREGORIVM monachum Franciscanorum, ex nobili & clara Comitum Frangepanorum familia, Archiepiscopum Colocensem, ac Ladislaum Sternbergum, Bohemicum Cancellarium, & Hieronymum Balbum (f.), Praepositum Pisoniensem, vt contra Turcas auxilia implorarent. verba sunt ISTVÁNFY. (g.) Sed ei legationi vix biennium superuixit, Gregorius: quippe qui

Bbbb 2

no-

d.) Inierant comitia, iussu regis promulgata, ad diem D. Michaeli Archangelo, sacrum.

e.) Tomo I. Operis nostri Parte Spec. Memb. I. Sect. I. in Histor. Urb. Pol. Cap. III. §. 2. p. 178, seq. vbi Caspina-

num sequuti, GREGORIVM appellamus, cum GREGORIVS fuerit omnino.

f.) De BALBI laudibus, diximus in Historia Urbis Pisoniensis. loc. cit. Cap. V. Art. VII. §. VI. seq. p. 550. seq.

g.) Lib. VII. p. 101, 24.

nostro, emortuali, naturæ debitum persoluit. Ita de utroque idem (h.) historicus: *Erepto fati* Georgio, *Strigoniensem dignitatem adeptus est*, *Ladislau* Saltanus, Ludovico carus, quem suorum consiliorum moderatorem habebat. *Excessit, non diu post, e viuis*, Gregorius quoque Frangepanus, *Colocianus Archiepiscopus*, quem annis antea circiter duobus, *Vormatiam*, ad Carolum Casarem, missum fuisse diximus. (i) Properasse fata crederes, uti viros summos, aut rebus humanis eximerent; quam sanguinolenta procella, quæ brevi post inundavit Hungariam, ingrueret.

XXXV.

PAVLLVS TOMORAEVS, funestum, in historia Hungarica, nomen, eoque exprimentum diligentius, quo magis posterorum interest, nosse viros, quorum ministerio, perditæ, restitutæque sunt res patriæ. Quia vero in eo penitus describendo, nihil residui fecit ISTVÁNFYVS, sequemur eius fidem, & tuto, & cum cura. Fuit *Tomoræus*, nobili & honesta familia, in Comitatu Abaujváriensi (k.) editus, cognomen autem, a vico *Tomor*, trahens. Ab incunte iuventute, castra sequutus, prima militiæ rudimenta, bello Siculo, in Transilvania posuit, multamque postea, & fortem operam nauavit, rustica illa tumultuatione, contra *Georgium Székely*, nefandum nobilitatis violatorem. Sed & aliis præliis, consilio, iuxta & manu, documenta dedit, virtutis militaris. Ingens viro animus, destinationes excelsum fere. quibus exsequendis, cum latini sermonis scientiam, atque patriorum iurium peritiam, necessariam in primis existimaret, totum se adultus iam, litterarum studiis tradidit. His demum, pro seculi ingenio, quomodocumque excultus, animum, ad incundum matrimonium adiecit, cumque nobilem in vicinia, gentis *Putnoky*, virginem sibi despondisset, illa vero, ante nuptias, intempesta morte, rebus humanis eximeretur; prædiuitem viduam, datis acceptisque annulis pronubis, sponsam sibi delegit. At enim, cum & illa, ante quam domum duceretur, præcipiti fato, vita decederet; duarum sponsarum importuna morte territus, quasi diuinitus, ab incundo coniugio, reprehenderetur, se perpetuo calibem victurum, atque sacrum quecipiam ordinem amplexurum, nuncupatis votis, palam professus est. Dabat se mox, prona sane occasio, uti institutum illud, cum decore exsequeretur, nisi *Ludouici* regis durities, contraiisset. Nempe, *Bartholomæus*, Prior Auranzæ, ex *Rhodiorum* equitum, calibem vitam degentium, ordine, fato suo functus fuerat. Eius dignitatem, multis precibus, nequidquam im-

plo-

b.) Iulii, p. 102, 46.

i.) Meminit GREGORI mortem, RYKAI quoque, in Memoria Regum & Banorum Dalmatiæ &c. p. 118, ubi; *virtus grauem & republica amantem* appellat: in eo falsus: quod THOMAE, Cardinalis Strigoniensis mortem, in

eundem annum conicit, quo Gregorius extinctus est, ut parochronismos viri alios, circa idem tempus, taceamus.

k.) ISTVÁNFYVS, Lib. VII. p. 105, II. Cömörriensem prouinciam nominat; tæuera tamen Abaujváriensis est.

plorabat *Tomoræus*: quippe, quod eam, *Matthia Baracio*, dispensatori suo, iam pridem sponderat. Ergo, voti, in hoc quoque ambitu, frustratus, *Ujlakum*, ad Cserim, quæ in Sirmio sunt, se contulit, ibique circumrasi coma, apud celebre *Capistrani*, inter diuos relati, templum sepulchrumque, monasticum *D. Francisci* habitum, deliberato sumit, seque torum, austero illi vitæ generi, intimaui, *eique*, uti ait, *ISTVÁNFYVS*, *singulari in DEVM fide & pietate, omnibusque officiis, quæ sacro viro conueniunt, satisfecit.*

Iam vero, mortuo *Gregorio Frangepano*, atque *Belgrado* amisso, non *Bácsia* tantum & *Coloclia*, Archiepiscopi sedes; sed etiam proxima circum regio, frequentibus hostium impressionibus rapinisque, exposita erant. Proinde, acri & industrio viro, qui non solum sacerdotii auctoritate, sed armis quoque, & militari virtute, regionem tueretur, metropolitæ dignitas, omnium, qui circa regem erant, iudicio, tradenda existimabatur. Diu, quem esse oporteret, disquisitionem fuit, cum *Paullus Tomoræus*, præclarus antea equitum ductor, arcisque *Budensis* præfectus, *LVDOVICO*, pluribus nominibus commendaretur. Eum igitur, tametsi ingenue se excusantem, immo reluctantem etiam, rex, adhibita simul, ut obsecundaret procliuus, legati Pontificii auctoritate, e familia *S. Francisci* exemptum, *Colocensia* tiara, & earum partium, militari præfectura, honestauit: magno profecto, sicuti tristis euentus condocuit, & suo, & Hungariæ, immo totius Christiani orbis, malo.

Simul *Colocsam* venit, *THOMORAEVS*, *Paullo Bakithio*, & huius quatuor fratribus, *Clemente*, *Manuele*, *Demetrio*, & *Michaele*, in partes *LVDOVICI* pertractis, belligerandi sibi necessitatem impositam vidit. Res, ut eam in compendio referamus, istiusmodi fuit. *Ferbates*, *Bosna* præfectus, collecto insigni exercitu, adulto iam auctumno, *Sauum* superauerat, in *Sirmium*, igne ferroque sæuiturus. Cognouerat per exploratores, sanguinolenti hostis consilia, *Tomoræus*, ante, quam is impressionem susciperet. Itaque, ut vicem barbaris redderet, militem & ipse cogit, fortissimos quosque duces, cum copiis euocat. Confluxere alacres, *Bakithus*, cum fratribus, *Radicus Bosithius*, classis Danubianæ præfectus, *Jacobus Bánffy* de *Lindva*, *Franciscus Bárdy*; cum interim *Ferbates*, parte exercitus media, ad nauium custodiam relicta, cum expeditissimo octo millium equitatu, regionem, quaquauorsum peruadit, & ultra barbaræ feritatis modum, in tecta hominesque sæuit. Educit ergo suos *Tomoræus*, atque, *Georgio Battyánio*, Petri *Varadini* gubernatore, ad disperdendas hostium naues, cum selectissima equitum manu, dimisso, ipse, cum reliquis copiis, *Ferbati* se obicit, cumque eo congressus, cruento prælio victum, ad internecionem cedit: *Ferbate* ipso, latrocinantis multitudinis duce, *Bárdii* virtute, occiso. Quos fuga e prælio subduxerat, aut *Sauus*, ad cuius traiectum naualem, iam ante exustum a nostris, properabant, hausit, aut imminentium *Tomoræanorum* ac-

Bbbb 3

naces,

naces confecere. Erepta hostibus fide, signa XL. captiuorum multitudo ingens, præda item, quam coegerant, omnis. Missas, ad *LYDOVICVM*, manubias, *Stephanus Bárdy*, præcipuæ virtutis ductor, detulit; sed quem ea legatio infelicem postea fecit. Quid prædæ interceptum est, *Colocsa* id, sub hasta venditum, & ex æquo, inter duces militesque, dispersitum fuit. Ista tunc, *Tomoraiane* expeditionis fortuna erat; rebus *Hungaricis*, vnice opportuna.

Nihil inde, toto quadriennio *TOMORAEVS*, quod narrari mereretur, insignis gessit, quam, quod solertem, aduersus *Turcas*, excubatores egerit. In iis certe ducibus numeratur ab *ISTVÁNYFYO*, qui *Solymani* adparatus bellicos, & suscepta, aduersus *Hungariam* expeditionis consilia, frequentibus missis nunciis, anno in primis, fatali illo, *MDXXXVI*. ad regem *LYDOVICVM*, referebant: qua re, cum parum se videret proficere, ipse ad regem procurrit. Adparebant iam pedetentim, haud dubia veris signa, inquit, *ISTVÁNYFVS (l.)*, quum *Thomoræus*, non contentus, ea per litteras, & nuncios frequentius significasse, leuioribus ad celeritatem quadrigis conscensis, mense Martio, ad *LYDOVICVM* venit, qui tunc in *Vissegrádensi*, ad *Danubium*, palatio amœnissimo, cum regina erat, retulitque; *Solymanum* propediem, cum exercitu, in *Pannoniam* omnino venturum: posse eum transitu *Sauu* prohiberi, castellis in ceteriori ripa, idoneis in locis, e materia exstructis, ac mediocri colubinarum adparatu, & presidio munitis; sed, ad tantum opus perficiendum, vires sibi exiguas esse. Opera quidem & diligentia, quam reipublica pariter, ac regi debeat, se minime parsum, si iusto, ad resistendum, comparato exercitu, rebusque necessariis, iuuaretur. At enim, frustra fuit *Thomoræi* hæc vigilantia, cum essent, qui irritas putarent, consilii eius rationes has; post captum ab hoste *Belgrádum*, atque *Szabácbium*; pronum fore adferentes, superare amicum tyranno, tanto cum exercitu, si res vera sit, *Hungarie* imminenti. Quæ cauillatio, quin in iis rebus ponenda sit, quæ vadum adaperuerunt barbaro, ad inuadendam perdendamque *Hungariam*, is forte dubitarit, quem later, quantum retardatio hostilium destinationum, etiam minima illa, valeat ad summam rei. Profecto enim, si ad *Sauum* detentus aliquantispe fuisset hostis, non consilia tantum *Hungarorum* maturescere, sed cogi etiam vndiquaque potuissent auxilia, suis iam sedibus excita. Quidquid eius sit, laudanda fuit *Tomoræi* hæc prouidentia. Nam, quæ postea gessit, in exercitus ducem subiectus, præcipitis dubiique consilii plena fuisse constat. Huc referas, castrorum suorum, a regis, dissociationem. quæ, tametsi studuerit postea, re in discrimen adducta, coadunare; tamen, in irritum cadebat conatus omnis, ductoribus militum, cæco iam impetu, non ratione, in bellum euntibus. Hinc, enim vero, manuit pernicies exercitus, & pugna præcipitatae maleficium. quod, quia diserta oratione explicatum ab *ISTVÁNYFYO* est, non habemus necesse, isthæc recognoscere, nisi velimus forte, acceptæ, ne-

l.) Lib. VIII. p. 115. 47.

[m.) *ISTVÁNYFVS*, loc. cit. p. 129, 46.

que hucdum penitus reparatae cladis, vulnus refricare. Id tamen, errorem *Tomoræi* honestasse, credi potest, quod procuratam intempestiue pugnam occasu suo nobilitarit. *TOMORAEVS*, cum collega *Scepusensi*, infausi pugna auctores, & duces, ac *Iohannes Drágus*, pratorio præfectus, idem & signifer pratorianus, in prima acie cecidisse dicuntur. Tanti est, nolle sequi, sed præuertere velle fortunam! Addit *BRODERICVS*: *Monachus*, in prima acie fertur cecidisse, fortiter pugnans. cuius caput a trunco abscissum, postero die, per castra hostium, loco triumpho, fuit circumlatum, longe hasta affixum, quod postea, ante tabernaculum *Caesaris* stetit aiunt. Et *Tomoræi* quidem iste fuit exitus, ferendus animo forti, nisi regem, regnum, & florem nobilitatis, immo, rem Christianam, propemodum omnem, præcipitauisset in exitium.

XXXVI.

FRANCISCVS de Comitibus Frangepani. Beneficio regis *IOHANNIS*, ad eam sedem emeruisse, excelsi animi virum, vix est cur dubites; tametsi, quo id anno sit factum, haud possis designare. Enim vero, catalogi episcoporum, quos habemus, a *Szentivánio* conditos, mire discrepant. Nam, ad annum quidem *MDXXXIII*. *Archiepiscopus Colocensis* dicitur; ad annum autem *MDXXXIX*. inter *Episcopos Agrienses*, relatum legas; vt necesse sit, annorum alterutrum, in mendo cubare: quando constat ex *Lazio*, crebris & difficilibus legationibus, *Vainode IOHANNIS* nomine perfunctum, *Archiepiscopen* promeruisse. Ita (n) ille: *IOHANNES*, sacris initiatus, monasticum habitum induit, & apud *IOHANNEM Wayuodam*, & *FERDINANDVM Austrum*, *Hungarie* reges, legationibus crebris ac difficillimis, perfunctus, in *Archiepiscopum Colocensem*, consecratur: ac ex articulari morbo, diu confictatus, obiit circa annum salutis *MDXLII*. *IOHANNEM* adpellat, quem *FRANCISCVM* debuisset dicere; nisi forte geminum *Iohannis Francisci* nomen, gessisse existimandus est. Vtinam, sicuti emortualem, sic & annum, quo fuit metropolita factus, designauisset *Lazius*. In epistolis *IACOBI SADOLETI Cardinalis* (o.) tres, quas ad nostrum hunc dedit, reperias; quarum priores, anno *MDXXXIX*. exaratae sunt, posterior, anno *MDXL*. singulis autem præscriptum legas: *Iacobus Sadoletus Cardinalis, FRANCISCO FRANGEPANI Vngaro, Episcopo Agriensi*. Non ergo tunc, *Archiepiscopus*, *Romæ* habebatur; alioquin non siluisset, tanti momenti axioma, *SADOLETVS*; maxime, cum de *Pontificia*, *Hungaricarum* *Eccliarum*, dignitatis item *Francisci* adfirmatione, scribat.

Sed *SADOLETVM* ipsum, virum, non minus eloquentem, quam consciunt, calamitatis eorum temporum, audiamus, quemadmodum ad *FRANGEPANVM* scribat: „Accepi Tuas litteras, mihi gratissimas, in quibus „ illud perhumanum, quod tunc erga Te officia, plurimi facere videris. Quasi vero, non ego ita agere debeam: aut sit quidquam,

„ quod

*) De Migratione gentium, Lib. VII. p. 186; | o.) Lib. XI. Epist. XV. XVI. XVII. p. m. 502. edit. Colonienf. An. MDLXXII. for. oct.

„ quod a me, Tuæ eximie virtuti, & amori erga me, non debeat
 „ tur. Imo vero, quæcunque mihi dabitur, Tibi commodandi,
 „ & rem gratam faciendi occasio, sic ea utar, vt eodem tempore,
 „ beneficium me abs Te accipere sim arbitraturus. Quid enim
 „ est, quod potius agamus, quam vt faucamus bonis, & virorum
 „ insignium virtutes, cuiusmodi tu profecto es, iustis honoribus af-
 „ ficiamus? præsertim, tanto amicitie fundamento, inter nos iacto,
 „ quod non solum benevolentia mutua, sed iure etiam hospitii, san-
 „ citum sit. Noli enim putare, me obliuisci posse illius humanitatis,
 „ qua Tu adductus, Carpentoraacte, vt me inuiseres, diuertere vo-
 „ luisti. Quo quidem tempore, cepi fructum permagnum e conspe-
 „ ctu, & sermonibus Tuis. De quibus scripsi ad Pontificem, ea,
 „ quæ mihi videbantur: illic præcipue spectans, vt si quid antea ille
 „ forte in Tua natura fuisset offensus, animaduerteret & sciret, inter
 „ elationem animi, & libertatem, plurimum interesse. Quod de ec-
 „ clesiarum dilatione confirmationis scribis, cum mihi Tuæ litteræ
 „ sunt redditæ, vna item Roma scriptum a Iohanne Marsupino Tuo
 „ est, omnia esse iam transacta: præsertimque quod ad Te adinet,
 „ fuisse perfectum. Quo equidem nuntio, valde gauisus sum. Il-
 „ lud tantum dolui, me non fuisse in senatu, cum mentio de Te fa-
 „ cta est: iustis enim, & debitis laudibus, dignitas & virtus, non
 „ caruisset. Quanquam illa quidem, sine cuiusquam nostrum testi-
 „ monio, per sese splendida ipsa est. Ego illa verba in litteris Tuis
 „ maximopere probo. Tibique in primis conuenientia esse duco: qui-
 „ bus Te confirmas, nullis vnquam iniuriis, ab honore & cultu sanctæ
 „ sedis apostolicæ, esse discessurum. Certe, sic facere decet eos,
 „ qui Deum, non qui homines intuentur: quique, vt Tu grauissi-
 „ me & sanctissime scribis, spectant ea, quæ non videntur, non ea, quæ
 „ oculis vt sensibus subiecta sunt: in quibus homines falli & errare,
 „ iam quotidianum est. Sed de his satis. Tuæ epistolæ longissimæ,
 „ mihi forent suauissimæ. Nam, quas accepi, perbreues mihi visæ
 „ sunt, tanta a me cum voluptate sunt lectæ. Qui, si Romæ essem,
 „ lacesserem Te crebro meis scriptis. Nunc, longe gentium absum,
 „ neque sane mihi constat, quod ad tempus sim in urbem reuersurus:
 „ nam, neque quidquam adhuc video, quod me illuc attrahat: &
 „ multa sunt hic, quæ me detineant. Proinde, scito, labare meum
 „ illud primum consilium Romam redeundi. Quicquid tamen egero,
 „ faciam Te certiore. Tu me, vt diligas, Regique Tuo, meam,
 „ & fidem offeras, & obseruantiam, Brodericumque, plurimum meis
 „ verbis salutes, valde Te rogo. Carpentoraacti, VII. Idus Iulii,
 „ MDXXXIX. Sic se habet epistola: cuius indicio, pronum fuerit
 „ conicere, offensum fuisse Papam, siue sermonibus, siue gestis FRAN-
 „ CISCI, tanquam insolentibus: quæ vtraque, nomine libertatis animi, ex-
 „ cussit, apud Pontificem Sadoletus. Crediderim, legatum IOHANNIS
 „ egisse nostrum, Romæ, vbi facile fuit, pro rerum habitu, offensam
 „ collegisse. Nunc,

Nunc, epistolam alteram cognoscamus, priori illa, neque di-
 ctionis elegantia, inferiore, neque pietate. Habet vero in hunc
 modum: „ Accepi Tuas litteras, datas Vienna, extremo mense Iunio,
 „ ad me, Septembri incuute, perlatas. Ex quibus cognoui, quod
 „ mihi fuit iucundissimum, Te recte valere, & apud regem Romano-
 „ rum esse reipublicæ causa: accepisseque optatum nuntium, de con-
 „ firmatione vestrarum ecclesiarum. Quæ diu ante debita, aliquot de
 „ causis dilata, postremo tandem, a summo Pontifice facta est. Qua
 „ etiam ego de re, dederam ad Te litteras, quas Te accepisse postea ar-
 „ bitror, & meam, de omnibus Tuis commodis, lætitiæ ex eis
 „ cognouisse. Etenim, noli existimare, optime Francisce! quid-
 „ quam mihi posse euenire optatius, quam audire taleis viros, ad gu-
 „ bernacula ecclesiarum deligi, & vocari: qui tantum onus, & con-
 „ silio regere, & virtute tueri, & religione ac pietate, illustrare etiam
 „ possint. Cuius quidem generis hominum, quæ sit penuria, his ad-
 „ flictis temporibus, vtinam potius priuatis incommodis nostris, quam
 „ publicis calamitatibus, sentiremus. Sed, de his viderit Deus, quem
 „ tantum orare atque obsecrare, reliquum nobis factum est. Quid
 „ autem geratur, quid pareatur, quo tantis damnis eatur obuiam, ni-
 „ hil dum cernimus. Sed, vt ad propositum redeam: ego, hono-
 „ rem Tibi delatum, vel comprobatum potius, & Tibi honestum, &
 „ reipublicæ Christianæ vtilem fore, non dubito: mihi quidem certe,
 „ qui Te vehementer diligo proboque, iucundissimum. Qua eadem
 „ in causa, Broderico etiam nostro, gratulor: a quo habeo litteras,
 „ quibus ille a me quiddam petit; nimirum, Romæ me nunc esse suspi-
 „ cans. At ego, nondum de ecclesia mea decessi: vbi multas habeo
 „ commorandi causas, nullam adhuc alio me conferendi. Quod si
 „ Romæ fuisset, & vobis id significassem, & nullum meum officium,
 „ quod ad vos quidem pertineret, desiderari essem passus. Nunc, ab-
 „ sens, id quod quero, vos absenteis amo. Vbi proficiscar ad urbem,
 „ omnis meæ, & operæ, & diligentie fructus, vobis in primis prom-
 „ ptos atque expositos esse intelligetis. Iohannes Marsupinus tuus, pla-
 „ ne mihi satisfacit: est enim, in scribendis ad me rebus vrbis, ad-
 „ modum diligens. Idem Tibi, apud me maximas sæpe agit gratias,
 „ Tuæque erga se benevolentie, & liberalitatis, complura iam indicia
 „ non desinit prædicare. Quæ mihi quoque ipsi grata sunt, eaque,
 „ vt persequere, a Te vehementer peto. De rebus Turcicis, nihil ha-
 „ beo, quod placeat mihi ad Te nunc scribere. Tu, quo propior
 „ illis es, hoc melius nosse omnia potes. Nos illud timemus, (in quo
 „ vtinam fallamur) ne iam de nobis, ac Christiano nomine, actum
 „ pene sit: ita laboramus intestinis externisque malis, nec quidquam
 „ firmi auxilii paratum nobis esse, vlla ex parte cernimus: nisi, quod
 „ in Deo vno sunt omnia. Sed hæc hæc hactenus. Vina Gallicana, Te
 „ interdum optare, suauem admodum mihi est, intelligere ex Tuis lit-
 „ teris. Quod longe esset suauius, si Te illorum possem facere parti-
 „ Tom. III. Cccc ciperi.

„cipem. Non enim mihi bibere illa, tam foret iucundum, quam Te-
 „cum bibere. Quod forsitan *Rome* aliquando licebit utrique no-
 „strum. Regi Tuo, optimo & clarissimo Principi, plurimam meis
 „verbis salutem dic. Vale. *Carpentoracti*, III. Idus Octobris. Nem-
 „pe cum *Vindobona*, ad *Sadoletum* scripsisset noster, pacificandi causa,
 „illic diuersatum fuisse reor. Certe, adparet satis, nondum metropoli-
 „tam, sub idem tempus, *Rome* habitum fuisse: quippe cui, *Agrienses*
 „tantum honores, a Pontifice confirmatos, *Sadoletus* gratulatur.

„Ita nos iam cepit litterarum *SADOLETI* amor, ut nequeamus no-
 „bis temperare, quin ultimas quoque expromamus: quandoquidem, &
 „eorum temporum indolem palam faciunt, & in luce collocant, *Franci-*
 „*cisci* laudes, suntque argumento, nondum fuisse, Archiepiscopo poti-
 „tum, cum eas acciperet: erant autem in hunc modum perscripta: „Et-
 „si littera, Tuae tardissime ad me fuerant perlata; tamen, cum esset
 „ocasio *Romam* scribendi, nolui praeterire, quin ad eas responde-
 „rem. Quanquam, mutata temporum conditione, Te iam, extra
 „periculum, & timorem huius anni esse, suspicaret. Nihil enim ho-
 „stes adhuc mouerant, quod quidem fama ad nos pertulisset. Ne-
 „que dum tamen, pax inter vos, dicebatur esse constituta. Cum
 „autem praecipitante aestate, hiems ante videatur adfutura, quam ad-
 „ministrari bellum possit: spes est, aut discussam iri, aut in longius
 „tempus collatum id malum, quod Te, pro Tua pietate curaue rei-
 „publ., sollicitat. Equidem, video res principum *Christianorum*, ita
 „contractas, ut nihil, neque sperari boni possit, neque non metui
 „mali. Sed erit ingenii, & virtutis, & prouidentiae Tuae, primum
 „agere omnia, quantum in Te sit, quo imminentibus, isti regno, e
 „Turcia, periculis occurratur. Id si autem non poteris, neque erit
 „Tuae facultatis prouidere: tum Tibi ipsi parare aliquod subsidium,
 „quo, si ita res cadat, sustentare fugam, atque exilium Tuum pos-
 „sis. Quanquam, quod ad nostram amicitiam & amorem mutuum
 „adinet, ego memet Tibi, & mea defero omnia, quantulacunque
 „ea sunt. Sed tamen, Te Tuis fortunis frui malo, quam alienis ege-
 „re: si tamen alienae dicendae sunt, quae ab amicissimis hominibus
 „libenter deferuntur. Id autem, cum in potestate nobis non sit, vi-
 „deanturque casu magis & temeritate, quam aut hominum consiliis,
 „aut prudentia principum, regi & pendere omnia: ego, qui tutio-
 „res, & ab omni periculo remotiores oras incolo, per fugium
 „habeo paratum, cis omnibus, quos, & propter necessitudinem, &
 „propter virtutem, dignissimos statuo, qui a bonis diligentur. Quo
 „in numero, Tu mihi, inter primos propositus es. Sed de his satis.
 „Diplomata uestrarum ecclesiarum, nondum vobis esse reddita, de-
 „miror: videoque, vbi resideat culpa. Est enim genus quoddam,
 „in non nullis hominibus, sapientiae, quod, quibus modis, res geri
 „tractarique conueniat, penitus nescit. Itaque, etiam quae bene fa-
 „cta sunt, saepe ingrata accidunt illis, in quorum gratiam & utilita-
 „tem,

„rem, sunt facta. Sed tamen, habebam ex vrbe, a *Marsupino* litte-
 „ras, ius Tibi, consecrationem, & pontificatus (ut mos est) insi-
 „gnia accipiendi, esse datum. Quod idem valere debet, ac si ipsum
 „diploma, commendata Tibi *Agriensis* ecclesiae, testimonium habuif-
 „ses. Quod libertatem Tuam, homines, perperam interpretentur;
 „eamque magis velint superbiam existimare, quam libertatem:
 „noli mirari, *Francisce* optime! in tam corrupto seculo, tamque
 „seruilibus moribus. Utinam vero! semper apud nostros principes,
 „libera vox valeret: cuius inopia & egestate est factum, ut, aut nul-
 „la, aut rara consilia inuentur, per quae decus atque splendor, salus
 „etiam & incolumitas *Christianae* reipublicae, restitui possit. Sed haec,
 „quae ab hominibus, aut prodita, aut deserta sunt, diuinis consiliis
 „gubernabuntur. Te quidem, sensisse hominum perfidiam, neque
 „suis promissis stetit eos, qui Te, in spem illam adduxerant, id cir-
 „co non aegerrime fero, quoniam nihil video, quod sit expetendum
 „in eo praemio, quod fuerat Tibi ostentatum. Quin, laetor magis,
 „quod magnitudinem animi Tui agnosco: quam vehementer probor:
 „magisque virtuti & constantiae Tuae, gratulandum a me esse arbi-
 „tror, quam consolationem vllam adhibendam. Sed haec haecenus.
 „Ego etiam nunc *Carpentoracti* maneo: nec cogitationem vllam ha-
 „beo, digrediendi ex his locis. Litterae Tuae, quanquam tristioribus
 „curis refertae, me quoque Tecum, in eandem pene sollicitudinem,
 „& societatem mœroris, adtraxerunt: tamen, in eo mihi fuerunt per-
 „iucundae, quod magnum mihi dederunt testimonium, Tui erga
 „me amoris: qui me potissimum delegisti, cum quo omnia, quae
 „Te angebant, communicares. De qua re, velim sic constituas, Te,
 „neque fideliozem deligere potuisse quenquam, neque amantiorem
 „Tui. Vale. *Brodericum* nostrum, diem suum obiisse, molestum
 „mihi fuit: amicum certe hominem, & eundem virum bonum pru-
 „dentemque, amisimus. Iterum Vale. *Carpentoracti* X. Aug. MDXL.
 „Fallor? Annon querula epistola, spem Archiepiscopatus sibi factam, de-
 „lusam tamen, inuidorum hominum malevolentia, *Franciscus*, apud
 „*Sadoletum* accusarit. cuius rei causa, cum solari videtur *Cardinalis*.
 „Quidquid eius sit, dubium haud est, a *IOHANNI*, tiara *Colocensi* or-
 „natum fuisse *Frangepanum*; tametsi ambigam, adfirmatam ei fuisse eam
 „dignitatem a Romano Pontifice; id quod eius querelae, videntur quo-
 „dammodo innuere. Atque, ita sane reor, tulisse id nominis per *Hun-*
 „*gariam*, vocitatumque fuisse metropolitam, quin cepisse etiam fructus
 „eius honoris; *Romam* tamen, detraxisse ei titulum illum, solo *Agrien-*
 „*sis Episcopi* vocabulo relicto. quod & *Sadoletus*, ex Curiae *Romanæ*
 „arbitratu, fecisse in litteris suis, existimandus est.

„Alioquin, functus est, cum aliis legationibus, summa cum lau-
 „de, tum illa in primis, quam obiit ad *CAROLVM V.* Imperatorem, tunc
 „in *Hispaniis* agentem. Meminit rem *ISTVANFFYVS (p.)*: *IOHANNES*, in-

Cccc 2

quit,

quit, FRANCISCVM Colocsiensem Archiepiscopum, Ordinis D. Francisci monachum, sed ex illustri Comitum Frangepanorum familia oriundum, ad Casarem mittere decreuit, eique in mandatis dedit, ut ex itinere, FERDINANDVM conueniret, ac saluaret, seque breui, alios ad eum legatos missurum polliceretur. Colocsiensis, ex Liguria, secundis ventis, in Hispaniam delatus, a Carolo, supplex petiit, ut inter duos, de regno Pannonia, dissidentes, se medium interponeret, paceque & perpetuis foederibus icibus, fratrem, & eundem imperii consortem, ad eam amplectendam, serio hortaretur. Casar, eum diutius minime detinendum ratus, scriptis ad Iohannem litteris, quibus eam legationem complecteretur, sibi cura fore, respondit, missurumque mature ad fratrem legatos, qui suo quoque nomine ad transigendum hortentur. Hic tunc legationis fructus fuit; sed quem postea, sequitur Pisonii consultationes, irritum fecere: tametsi interfuerit iisdem, redux ex Hispania Frangepanus; id quod meminimus (q.) alibi. Felicior, anno MDXXXV. Vacia, & anno MDXXXVIII. Varadim, in componenda pace, fuit FRANCISCVS, uti est apud BETHLENIUM (r.): Interim, ad ceptos, anno superiori tractatus continuandos, delegantur rursus arbitri, (Commissarii nunc vulgo vocantur) a parte CAROLI, Iohannes, Archiepiscopus Londensis, idemque Episcopus Roschilensis; a parte FERDINANDI, Leonhardus, Baro de Vels, consiliarius & camerarius, simulque supremus aulae Ferdinandi magister, idemque generalis per Hungariam praefectus, (quod patet ex diplomate, quo illis plena agendi auctoritas concessa, dato Vienna XXVIII. Octobr. Anno MDXXXVII.) a parte denique IOHANNIS regis, ablegati erant: Franciscus Frangepanus, Archiepiscopus Bachiensis & Colocsiensis, idemque Episcopus Agriensis, & Stephanus Brodericus, Episcopus Vaciaensis: quibus etiam ad id perficiendum, datum plena potestatis mandatum, Budae ultimo Nouembris, Anno MDXXXVII. En! Frangepanum, eundem, & Archiepiscopum Colocsiensem, & Agriensem praefulem. quarum quidem dignitatum, posteriorem hanc, adfirmante Pontifice, illam, rege IOHANNE conferente, inuita, uti par est credere, Romana curia, obtinuit. quod simul ex litteris PETRI BEMBI Cardinalis (s.), condiscas; quippe qui, exarata Francisco epistolam, Agriensi tantum episcopo, Sadoleti imitatione, an ea, de qua diximus, causa, inscripsit. Laudes viri, breui fasce, sic in eadem illa epistola, complexus est. Est mihi, inquit, plane gratissimum, amari me abs te, homine optimo, atque in Dei ecclesia, magno ac praclaro viro, cuius tamen, tui erga me amoris & beneuolentia, certa signa, atque indicia, non semel habui, qua meo ex animo, nunquam effluent. Atque, utebatur sane familiariter Bembo, Frangepanus: uti adparet, in laudata epistola. quod indicium satis est,

va-

q.) Operis huius Tom. I. Parte Spec. Memb. I. Sect. I. in Hist. Urbis Pisoniens. Cap. IV. §. VIII. p. 208. Mireris, nullum legationis, apud WOLFGANGVM BETHLENIUM exstare, vestigium; tametsi irritae, pacificationis

Posoniensis, memineris, Lib. II. p. 69. fine. r.) Lib. II. p. 81. vbi, & pacis condiciones XII. describas legas, vsque ad p. 91. s.) Exstant ex Epistolarum Familiarium, Lib. VI. p. m. 720. Patauii X. Cal. Iun. MDXXXIX. percriptae.

valuisse eum apud exteros, non auctoritate tantum, sed amoris etiam, & beneuolentia; non vna significatione. Ceteroquin, insensum vehementer fuisse Petro Perenio nostrum, PAVLLVS IOVIUS (t.) auctor est. Causa odii, inde manauit, quod Perenius, Episcopum, arcemque Agriensem, occuparat, in ea rerum perturbatione, vsurpabatque eius reditus, rege Ferdinando, & Ordinibus, non inuitis tantum, sed etiam indignantibus: sicuti est in decretis (u.) regni. Sed IOVIUM ipsum adcamus, captiuitatem Perenii, graui, & facta ad commiserationem, oratione, describentem: Adfectati, inquit, regni, nutantisque ingenii suspitione, vehementer auerant littera, Perenii ipsius manu, ad quosdam duces Hungaros, scripta, proditeque regi, a Frangepano, Agriensi antistite. Hic enim, Perenio, valde insensus erat, quod ille militari licentia, totius Agriensis sacerdotii, per amplos reditus, alendis suis equitibus, interceptisset; his autem litteris, opima nouaque stipendia, suam auctoritatem sequentibus, polliceri videbatur. Adeo tunc, disiecta, summorum virorum, studia, datis acceptisque iniuriis, in mutuam secladem exacuebant. quod, inter acerbos, civilis belli, fructus, merito retuleris. Haec de Francisco.

XXXVII

GEORGIUS II. DRASKOVITH, e vetusta Comitum gente, anno MDXV. ortus, & inde ab incunte adolescentia, melioribus litteris innutritus, facile meruit, ut sacris ordinibus initiaretur. Quibus, cum per tenuiora sacerdotia fecisset satis, anno MDL. Quinquecentiesimem, Zagrabiciensem postea titulum, FERDINANDI I. hinc Iauriensem, MAXIMILIANI II. denique, RVDOLPHI II. beneficio, Archiepiscopatum Colocsiensem, obtinuit. Fuit toto vita genere, rebus in ecclesia, & republica, cum fructu gerendis, in primis idoneus: utrobique ideo cognitus. Tridentum, ad synodum, qua illic agebatur, missus a FERDINANDO, cum se illic praebuit, quem & habitus rerum poscebat, & delati sibi muneris rationes, quod iam longum foret memorare. (v.) Meruit ergo, cum laboribus synodi, tum praclare gestis, rebus aliis, uti, commendante Casare, in purpuratorum numero referretur. Ea de re ISTVÁNFYVS (x.): GREGORIO vita sancto, SIXTVS V. successit. Is, Casare, etiam atque etiam commendante, Georgium Draskovithium, Episcopum Iauriensem, & Cancellarium Vngaricum, virum doctum, ac vita morumque sanctimonia & pietate celebrem, in Cardinalium collegium, cooptauit; misso ad eum Viennam, per Casparem, e familia Armorum, Bononiensem patritium, purpureo galero, quem, cum nomine summi pontificis, in templo D. Augustini, de manu Casparis, Episcopi Viennensis, accepisset; ipse demum, ERNESTVM, MATTHIAM & MAXIMILIANVM, Austriacos principes, cerimonia eius spectatores, nec inuitatos, sed pro singulari ipsorum humanitate, ac erga se beneuolentia, vltro venientes,

CCCC 3

t.) Historiarum Lib. XLII. p. m. 440. initio. u.) Anni MDXV. Art. LIII. & in responsione regis ad eundem Art. p. 372.

v.) Vide, PURPURAM PANNONIAE, scitum

Lib. XXVI. p. 562, 51. schediasma, vbi vitam DRASKOVITHII, atque actus, in synodo illa editos, fuisse legas, p. 50.

tes, conuiuio exceptit. Iam tum vero, cum Zágrábienſi ſede potiretur, Proregis Illyrici munere, cum laude functum fuiſſe, præter Iſtvánffyum, RATKAYVS (g.) memoriæ prodidit. Datus fuerat, FRANCISCO SLAUIO de Frangepanibus, collega. Eo mortuo, agreſtis multitudo, militiæ ſtudia, intercidiſſe rata, quodque intolerandis ſeruiliū operum, tributorum item oneribus, grauaretur; commoto, aduerſus nobilitatem, tanquam iniuriarum auctorem, per tumultum, nefario bello, miſeriæ ſuæ, armis mederi nitebatur. Ac vergebat ſane res, ad regionis exitium, niſi desperatæ colluuiōi, mature obuiauiſſet GEORGIVS. Habito is, cum primoribus, conſilio, CASPAREM ALAPI, & MATTHAUM KEGLERVIſCHIVM, ad compescendam ſeditionem, cum exercitu, qui præſto erat, dimittit. Proſtulantur magna clade rebelles, MATTHAUS autem GUBECZIUS, qui ſe regem, veſanæ plebis geſſerat, capitur. Datus in ſupplicium, ferrea candenteque corona, redimito ante, ambuſtoque capite, quadripartito mox diſſectus, poenas dedit, uſurpati nominis regii. Laus, conſopitæ ſeditionis, GEORGIO; ſeueritatis contra exemplum illud, iudicibus, vnanimi nobilium, quos ultra modum adſlixerat agreſtis colluuiēs, prædicatione, tribuebatur.

His ille rebus, vehementer ſe, & Regi adprobavit, & ſummo Pontifici. Dabimus PII V. epistolam (z.), qua is, virtutem præſulis gratius recognouit, hortatusque cum eſt, vti pergeret, cum eccleſiam, tum rempublicam, porro exornare. Venerabili Fratri, Georgio, Episcopo Zágrábia. Venerabilis Frater! ſalutem & Apoſtolicam benedictionem! Chriſtiana charitatis affectus, paſtoraliſque ſeruitutis, commune nobis, cum venerabilibus fratribus & episcopis noſtris, vinculum, non ſinit nos expertes eſſe eius lætitiæ, quam de illorum virtute conceptam, animo percepimus. Itaque, cum de tua eximia in Deum omnipotentem pietate, religionisque Catholice ſtudio, ac diuini honoris zelo, multa, conſtanti plurimorum fama, ad nos allata eſſent, faciendum eſſe exiſtimauimus, vt non ſolum, quantopere hæc nobis grata accidiſſent, tibi ſignificarem, ſed tibi quoque de eis gratularemur. Vera autem gratulatio eſt, quam non præſentis temporis, aut neceſſitas temporalis extorquet, aut terrena commendat utilitas, ſed qua de ſanctis bonisque operibus ſuſcepta, celeſtis mercedis gloriam habet. Quod enim, in gubernando cuſtodiendoque grege, fidei tuæ, ab omnipotente Deo commiſſo, eam prudentiam vigilantiamque adhibes, vt honorum tuorum fama, iſtis Pannonici regni ſinibus non contenta, huc ad nos uſque perferatur, hoc gaudendum eſſe in Domino cognoscimus. Itaque, gratias agimus Redemptori noſtro, qui inter cetera pietatis ſuæ dona, ita fraternitatem tuam, Catholica religionis amore incendit, vt quidquid ad eius conſeruationem, propagationemque pertinere cognoscit, id & diligenter, & alacriter exſequi, non deſiſtat. Quamuis autem eum, qui adiuuante Deo, ita ſit animatus, ſuperuacuum

g) In MEMORIA Regum & Banorum Dalmatie, Croatia, Slauonia, Lib. iv. p. 148. ad annum MDLXXV.

z.) Exſtat Lib. III. numero XXXI. edit. Antuerp. A. MDCXI.

cum videatur eſſe, magis hortari; tamen, qui te, inter ceteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verba, libenter ſuſcipere exiſtimamus, idcirco hortamur, vt quam ingreſſus es, ad calum ſerentem viam, ab ea ne iter tuum deſectas, donec eo, quo contendis, peruenias. Sit Clero populoque tibi commiſſo, vita tua ſanctitas, regula, atque norma, ad quam actiones moresque ſuos, vterque ſtudeat conformare. Mali, vitiorum poenam, boni virtutum præmium, ſibi a te expectandum eſſe intelligant. Hereticorum venena, ne gregem tuum inſiciant, quanta potes diligentia, contende. Quominus ea ſemper agas, qua Deo beneplacita ſunt, nullius te hominis metus deterreat. Nemo, mercedem tuam euacuet. A nobis autem, omnia fraternæ charitatis indicia, ſemper expectato: de qua noſtra erga te propenſione, cum hoc dilecto FRANCISCO DIETALEUIO, copioſius egimus, qui tibi hæc noſtras litteras reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die LX. Auguſti, M. D. LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto. Ita habet episto-la. Fruebatur ergo, non harum modo laudum fructu, ſed purpurata etiam dignitate GEORGIVS, cum ei mors, hæud quidem immatura, importuna tamen regi regnoque, obrepit. De ea ISTVÁNFFYVS (a.): Cum vix biennium, in ampliſſima dignitate expleuiſſet, & a Pontifice, in urbem vocaretur, dum rebus neceſſariis compatandis, ac Romani itineris rationibus ineundis, operam impendit, graui dyſſenteria oppreſſus, ſexageſimo ſecundo ætatis anno, vita ſunctus eſt: non ſine Caſaris, & Pannoniorum procerum, dolore, qui eum, propter ſingulares, corporis animique dotes, plurimum amabant; tum vero, quod a ſexaginta, & amplius retroactis annis, neminem, in Pannonia regno, poſt Thomæ Bacocii obitum, Cardinalem fuiſſe meminiſſent. Ille, tanti viri, exitus fuit. Inde,

XXXVIII.

MARTINVS PETHE, de Hetes, poſt plures Episcopatus, cum laude adminiſtratos, metropolitæ Colocſenſis axiōmate, a RVDOLPHO II. cohonestatur. Rem, ad annum MDC. referunt catalogi; neque nobis aliter ſuppedit. Ceſſit, primo omnium, Vácienſem (b.) iuſulam, iam tum anno MDLXXXVII. XXVI. Octobris, a Pontifice Maximo, eidem adfirmatam. Hinc, Varadienſi in ſede collocatus eſt, anno MDLXXXIX. XVI. Ianuarii; dum Iaurinam, non multo poſt, transferretur a rege. Iſthic ergo, moderabatur Eccleſiæ, cum Archiepiſcopus Colocſenſis fieret. Exſtat eius mentio, in anni MDCL. decreto (c.), honorifica ſane; triſtis contra, quam apud ISTVÁNFFYVM (d.) legas: quippe, a Botſkaianis peſſime habiti: MARTINVS PETHEVS, Episcopus Iaurienſis, qui Proregie dignitatis locum obtinebat, Sabariam venit, vt tutiore loco, ab hoſtibus foret, quos eo, nequaquam peruenturos putarat. Verum, cum nec in ea arce, qua debilibus, & infirmis muris conſtabat, ſatis fidere poſſet, petita, a FRANCISCO BATTYÁNIO, in arce ſua Salonocia, manſione,

38.
Martinus
Pethe.

a.) Loco citato p. 563. 9.

b.) Vide, eodem hoc Tomo III. in Hiſtoria Váciæ, §. III. num. XXX. p. 126.

c.) Articulo XXXIV. vbi Prælati delignantur,

quos Reuſionibus Appellationum, inter-
eſſe oportuit.

d.) Lib. XXXIV. p. 827. 45.

sione, dum eo proficisceretur, a militibus Caesariensis, Kőrmendii, stipendia merentibus, quibus Marcus Pekyus, Hieronymi filius, & eius legatus, Melchior Ratkyus, praerant: (sed Pekyus, auditis hisce motibus, se in Austriam contulerat) pari cum Hajdonibus perfidia agitatis, in itinere, rebus omnibus spoliatus fuit: mirumque videri potuit, eum impias, sceleratorum praedonum, manus, quin cederetur, evadere potuisse. Nec multo post, bieme sequuta, tutioribus viis, Viennam delatus, morbo articulari & annis grauis, vitam cum morte commutavit, ac a Ladislao Peteio fratre, Pofonii tumultus est. Nihil de Archiepiscopo, quam administrasset Martinus, historicus meminit. quod inde factum autumo, quia sedes tum Colocensis, in potestate barbarorum fuit, neque, nisi in titulis Archiepiscoporum, referbatur. Illud recte habet, fuisse proregiae dignitatis accessione ornatum. de qua CASPAR LONGELIVS (e.): Martinus Pethe de Hetes, Archiepiscopus Colocensis, ac Administrator Ecclesiae Lauriensis, fit, anno Domini MDCII. Locumtenens regius, sub RYDOLPHO secundo. Hac ille.

XXXIX.

39.
Demetrius Náprágy.

DEMETRIUS NÁPRÁGY, successit Peteio, vtraque in sede: Locumtenentis munere, Francisco Forgách, Archiepiscopo Strigonienfi, delato; cum is antea, episcopatu Nitriensi moderaretur. Et, Lauriensis quidem episcopatus, quam sollicitam curam habuerit, in eius ecclesiae antistitibus commemorandis, locus se dabit. Certe enim, apud Colocenses, vix quidquam potuit elaborare, ob Turcarum insectum. Ergo, titulum admodum, dignitatemque Archiepiscopi, rebus tam difficilibus, tuus est. Habes, & nominis, & dignitatis eius mentionem, in epilogis decretorum, MATTHIAE II. quae annis MDCVIII. & sequenti IX., condita sunt vulgatae.

XL.

40.
Iohannes III. Telegdy.

IOHANNES III. TELEGDY, ex episcopo Nitriensi, in metropolitam, a FERDINANDO II. subiectus. Frequenter eius meminerunt, regis illius decreta, potissimum, anni MDCXXV. XXX. & XXXVIII. non in clausulis tantum, sed iis etiam in locis, vbi, administrandae reipublicae partes, summis quibusque viris (f.) demandantur.

XLI.

41.
Iohannes IV. Piisky.

IOHANNES IV. PISKY, post longiorem sedis Colocensis (g.) vacationem, Telegdio successit, cum exstantia sui documenta, in Praepositura de Szalka, Csanadiensis postea, inde Nitriensi, denique Váciensi, Episcopatus administrandis (b.) exhibuisset. Legas eius nomen, in epilogis decretorum, quae, FERDINANDVS III. annis MDCXLIX. & MDCLV. promulgavit.

XLII.

a.) In CATALOGO Regni Hungariae PALATINORVM, adnexo, Coronae Regni Hung. PETRI de REVA.
f.) Vide, an. MDCXXV. Art. XXIII. & II.
g.) Vti est in clausula Decreti anni MDCXLVII.

b.) Reuolue Catalogum Episcoporum VACIENSIVM, vbi singulas dignitates eius, ex Decretis Regni adfirmavimus, supra, eodem hoc Tomo III. p. 127. Num. XL.

XLII.

GEORGIVS III. SZELEPTSÉNY, diximus, de summo viro, quantum eius fieri potuit, in Archiepiscopis Strigoniensibus, qui Pisonii resedere. quorsum (i.) lectores dimittimus consulto; satis iam habitari, si, quod tunc ignoravimus, epitaphium ei positum, heic adtexuerimus. quod illiusmodi est:

42.
Georgius III. Szeleptsény.

Dicebar POHRONCZ SZELEPTSÉNY GEORGIVS olim,
Qui late gestis, notus in orbe fui.
Me Byzantium, me Dacia, Roma, Polonus,
Oratorem habuit Caesaris & patria.
Pannonia prorex, & Cancellarius aula,
Atque Archipresul Strigonienfis eram.
Pressa per Odrissum regina Vienna tyrannum,
Stat victrix opibus, quis neget? ipsa meis.
His sacra claustra etiam multo cum paupere gaudent,
Has Caesar, miles, mysta & egenus habet.
Mille & sexcentos iam tandem inceperat annos,
Octuaginta simul quinque referre potus;
Dum nonaginta duos penetrassem atatis in annos,
In Letowitz morior, Morava terra tuo.
Ad caelos, Cellas, ac inde relatus, utrumque
Hunc volui viuens semper habere locum.

XLIII.

GEORGIVS IV. SZÉTSÉNY, per quae sacerdotia, quibusque, & virtutibus, & rebus gestis, ad Archiepiscopum Colocensem, emerferit, pari diligentia expromissimus, in Archiepiscoporum Strigonienfium, recensione illa, quam nunc (k.) meminimus. Vacavit aliquantisper, post Szétsényi fata, sedes Colocensis, dum in eam,

43.
Georgius IV. Szétsény.

XLIV.

IOHANNES V. GUBASÓTY, subucheretur. Vir fuit, plurium sacerdotiorum procuratore, diutius exercitus. Primo enim, tiara Quinqueecclesiensi ornatus; inde, ad Veszprimiensem; hinc, ad Nitriensem, promotus, cum se singulis locis praestitit, vt nihil dubitaret LEOPOLDVS M. Cancellariatu Hungarico; dein, Archiepiscopatu etiam Colocensi, merita eius remunerari.

44.
Iohannes V. Gubasóty.

XLV.

LEOPOLDVS A COLONITSCH. Habes vitam eius, actusque, in compendio exhibitos, eodem loco, vbi Szeleptsényum, & Szétsényum, litteris mandauimus.

45.
Leopoldus Colonnitsch.

XLVI.

PAVLVS II. SZÉTSÉNY, ex Ordine S. Pauli Primi Eremitae, in episcopum Veszprimiensem, & Collonitsio, ad capellendum Archiepiscopatum

46.
Paulus II. Szétsény.

i.) Operis huius, Tomo I. Historiae Comit. Polon. Parte Speciali, Histor. Urbis Po. Tom. III. Dddd
son, Cap. v. Art. vi. §. xxxiii. seq. p. 522.
k.) Loco cit. §. xxxv. p. 525. seqq.

patum admoto, LEOPOLDI M. beneficio, Archiepiscopus Colocensis, ea lege designatus, ut simul cathedram *Veszprimiensem* administraret. Vir erat moris prisci, hoc est seueri, & facti ad omnem grauitatem. Multam is operam, sedandis motibus *Rákóczianis*, iubente Caesare, tametsi cadentem ad irritum, nauauit. qua occasione, mirificam eius doctrinam, & in disputando, ingenii iudicijque acumen, prorsus cognouimus. Palam, apud *Gyöngyösienses*, anno MDCCIV. die, resurrectioni CHRISTI sacro, discumbebat, cum *Bertsénio* suo, *Rákóczius*, simul PAVLLO, principe loco, in conuiuium adhibito. Patrem uterque primipilorum, magna cum venerationis praefatione, uti merebatur, adpellabat: cum *Szétsenius*, vanitatem sermonum conuiualium depulsurus a discubitu, de *Conscientia*, proclui ad id occasione data, fermocinari coepit. Audiebant, loquentem senem, conuiuae, adtonitis similes; solus *Bertsénius*, adunco naso suspendit, grauiter, & cum veritatis sensu, dissententem. Quo aduerso, PAVLLVS, quid, inquit, fili *Nicolae!* in re seria, & vnice adtinente ad humanae mentis beatitatem, ad irridendum materiae tibi sufficit? Edic velim! ne sit offensa, aut scrupulis, locus. Tunc ille: *Miror*, ait, *venerabilis pater!* tam longum tibi seuerumque sermonem, potuisse subnasci, de re, quae & nulla est, & nusquam. Itane vero, fili! respondet *Archiepiscopus*: si nulla est conscientia, mentibus humanis insita diuinitus, nulla tibi erit anima, praedita ratione, nulla aeternitatis, seu spes, seu metus; poteris tu, sicuti voles, vitam impune degere, si monitore, si actore, si iudice conscientia cares: nam, congenita omnino immortalis animae est, diuinissima ea facultas, ad eum quidem modum, ut, si neget conscientiam, neget simul oportet, animae immortalitatem. Solutus in cachinnos *Bertsénius*, palam profiteri haud dubitauit; sibi vtrumque, in non entibus haberi, & conscientiam, & animae immortalitatem; neque induci posse, uti persuaderi possit, halitum illum, quem edunt moribundi, aeternum, re vera, esse, cui postea perpetuo, aut bene fit, aut male. Indoluit, huic *Bertsénii* procacitati, PAVLLVS, in tanta audientium frequentia, eique acrius, uti decuit virum sacrum, errorem, atheismi consobrinum, exprobrauit. Hunc serio, & cum vocis contentione quadam, detestanti praesuli, *Rákóczius*, intercessit; siue, ut consentiret cum tribule suo *Nicolao*; siue, ut auocaret senem, ab commota ea controuersia. Inesse, inquit, hominibus conscientiam, negari haud quidem posse; eam tamen, sicuti & rationem ipsam, non tam ab anima natura, quam a corporis, cui inest, habitu, pendere; seque persuasum esse penitus, si posset, brutorum anima, in organon humani corporis infundi, aequae eam ratiocinaturam, aequae sibi fore consciam, sicuti homines solemus: contra, si anima hominis, corpore bruti animalis indueretur, brutam eam fore, & cum rationis, tum conscientiae expertem. Dicit nequit, quam solide, quamque pie, sermones, hominibus Christianis, oppido indignos, eliserit *Szétsenius*, in primis, illo Apostoli PAVLLI testimonio vsus, quod est in epistola ad Romanos:

nos: (l.) *Ostendunt*, inquit, *gentes*, opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium. Haec, ex aduersariis, eius tempellatis, quae praesentes consignauimus, libuit interferere, ut constaret apud posteros, quorum hominum, quamque male sibi conscientiorum, ciuile illud bellum, non conflatum modo, sed gestum fuerit, inexplicabili, & regis, & regni damno.

XLVII.

EMERICVS, e Comitibus CSÁKY de *Keresfzeg*, Episcopus *Váradien-*sis, idemque Praepositus *Posoniensis*, Paulo successit; adlaborante postea, CAROLO VI. a CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, in collegium purpuratorum adscitus. Valuit, dum viueret, & corporis, & animi dotibus, quae vtraque, mirifice commendabant virum, rapiebantque in eius amorem, etiam hos, quibus asperior est natura. Insignis eius opera fuit, cum tacitis primo consiliis, in publico dein comitio, anno MDCCXIII. de haereditaria, Augustae domus *Aultriacae*, & in sexu femineo, successione ageretur. Praeterquam enim, quod alienos quosque ab ea destinatione, in sententiam induxit adnuentium; ubi res omnis confecta fuit, ducem se his praebuit, qui ab Ordinibus delegati fuerunt, uti momentosum adeo euentum, CAESARI nunciarent. Memorauimus rem gestam (m.) alibi, oratione simul, qua est adlocutus Caesarem, recitata: ut iam superuacuum fuerit, actum agere. Moritur ab intestato, vir, longiore aetate dignissimus, anno MDCCXXXIV. *Varadini*, ibidem tumulo illatus.

XLVIII.

GABRIEL II. e Comitibus PATACHICH, de *Zájezda*. Gessit aliquamdiu *Sirmiensem* tiaram, benignitate Caesaris, CAROLI VI. in Archiepiscopum *Colocensem*, missa sede priori, maturimo consilio, electus. Feliciter!

Atque, haec illa sunt nomina, quae potuimus eruere, cum ex historiis, tum praecipue, ex diplomatum monumentis. Latebunt, credo plura, sed quae nox premit adhuc, dum luce donari poterunt. Eam vero diligentiam, ut honestam, ita utilem futuram in commune, uti commendatam sibi habeant ciues nostri, maiorem ad modum eos exhortamur.

§. V I.

SEd, ad *Colocsam* redeamus. Fuit vrbs frequens, & ob perpetuam pontificis sedem, copiosa: maxime, cum res eius *Hungariae* fuerunt integrae, & a *Turcarum* impressionibus securae. At, ubi se tyrannus, post occasum *Ludouici*, in regionem infudit, non plane quidem pessum iit *Colocsa*, amisit tamen decus, quo hucusque emicuit: hoc est, metropolitam, & florem nobilissimarum familiarum, iuxta & ciuium, atque mercatorum in primis. Denum vero, cum

Dddd 2

oc-

l.) Capite II. versu 15.

| m.) Tomo I. Operis, p. 396. §. XXVI. seqq.

47.
Emericus
Csáky.48.
Gabriel II.
Patachich.Colocsa
habitus u-
lins florens:fata, post
Ludouici
occasum
aduersa:

occupata, per astum *Buda*, prorsus inualuit hostis, in *Turcarum* potestatem, & vrbs transiit, & magnificum *Archiepiscopi* pratorium. Ergo, decrefcebat sensim, nobilissimæ vrbs gloria, & quod exposita fuerat *Turcarum* lubricini, abiit *Archiepiscopi*, in lustrum, prædabundæ & sanguinolentæ gentis. Id autem erat, cur a nostris, dum anno MDCII. frustranea obsidione fatigaretur *Buda*, Hungarorum impressione, propemodum pessumdaretur. Meminit eius rei *ISTVÁNYFVS (n.)*: quos *Haydones* vocamus, inquit, *Calociam Archiepiscopatus sede, & insigni templo, ac duplici, præaltarum turrium, fastigio decoram, iamque maiori ex parte, a Thracibus & Turcis habitam, iniectis facibus succensam, concremarunt; ac maxima coacta præda, in castra redierunt. Foedata, ad eum modum, vrbs, nequiuit in posterum adsurgere: quin immo, templum, tectis nudum, corrucere, abire in informe rudus, archiepiscopale pratorium, vrbs autem tota, paulatim collabi coepit. Turca interim, tantæ vrbs ruinas, in rem suam versuri, deiicere parietinas, auferre rudus, & noua, e calamitoso hoc busto, castella passim, atque *Paxoni* in primis, erexere. Qua licentia, effectum breui est, vt superantibus casis aliquot, nihil nisi velligium, triste id quidem ac foedum, vrbs, religiosæ olim, atque opulentæ, superaerit postea.*

§. VII

Detruta sic vrbe, vicus esse coepit, prisca quidem celebritate inclutus; sed, qui tantæ exillimationis, ne umbram quidem tenuissimam, retinuerit. *Emericus Csáky, Archiepiscopus*, nostra ætate, *Colocensis*, idemque Cardinalis, id sciscitando adsequutus est, vt est *ad hunc* cognosceret, quo habitu, ante sesqui seculum fuerit, sua hæc sedes. Inerat oppido, vir, vltra ætatis nostræ modum, annis prouectus, quorum CXL. viuendo emensus fuerat. Neque id, ficta, ex more, fabula fuit. Vxor centenaria maior, filius item, vltra octogenarium decrepitus, omnium præterea tribulum, qui ei conuixere, testimonium, rem ita habere, confirmabant. Hic, fratrem se habuisse, quem vicini nouerant, memorabat, qui vrbe, tametsi infestam a barbaris, integram tamen meminerit; durasse adhuc templum, & metropolitæ pratorium; ciuium adhæc ædes, magnificas, non minus, quam laxas, instratas plateas, & vrbe vniuersam, simplici, at valido muro, incinctam. Ruere demum coepisse in deterius, cum *Haydonum* illa, quam memorauimus, impressione, in vastitatem redigeretur. Tantæ vir ætatis, vegetus tamen fuit, & sibi constans optime. Itabat ad opus, ruri faciendum, quotidie; dum interim vetula sua, quod erat domesticæ procurationis, summa diligentia, administraret. Coniuebant autem, non secus, quam si nuper, foedere matrimoniali fuissent copulati; circumstantibus, non raro, nepotibus,

subit Turcarum tyrannidem, vna cum Archiepiscopi ditio no:

pessundatur, nostrorum in-

a Turcis deuoluitur prinitus.

Prisimum vrbs florem, Csákyus ex longauis incalis condidit: horum ætas:

vigor praci-puus, & in obusado opera rustico adstantia:

n.) Libro xxxiii. p. 791, 36.

pronepotibus, abnepotibus. Hac, inusitata hominum longæuitate, motus *Cardinalis Csákyus*, immunitatem, toti genti, impertiuit, a tributis herilibus. Demum, ingrauescente magis magisque ætate, maritus cæcutire, balbutire femina, coepit; dum exhausti viribus, ferum id quidem, sed opportunum naturæ debitum, persoluerent.

§. VIII

ITa se res *Colocsa* habuere, post depulsos demum, anno MDCLXXXVI. a *Buda* possessione, barbaros, reparata in melius. Nam, etsi huc flexerat iter, spectator, interceptæ vrbs eius, *Vezerius*, nihil tamen moratus, *Belgradum*, otiaundo similis, hinc quoque digressus est. Insequutus discedentem *Lotharingus*, cum vtraque *Danubii* ripa, victoriam prosequendam putaret, *Danubium*, ad *Colocsam*, ponte iungendum statuit. *Colozza*, ait *WAGNERVS, (o.)* pons *Danubio* impositus, vt parti vtrique, si quid in diuisos, adtentaret hostis, præsto foret, ibidemque, ad tertiam decimam *Octobris* hæsit, *LOTHARINGVS*, dum e ducum litteris, satis tuta esse omnia, intelligens, rebus, *Buda* compositis, *Vionnam* abscederet. Vindicata Christianis *Colocsa*, & reiecto longius hoste, curarum primam habuit *LEOPOLDVS*, vt captiuam vltra sesqui seculum, *Archiepiscopen*, instauraret. Fuere quidem & tum *Archiepiscopi*, qui *Colocensis* nomine salutabantur, dum infidebatur a profano hoste vrbs; sed nomen illi solum, non sacrorum illic curandorum, potestatem habebant. Emerfit tunc in eam dignitatem, *LEOPOLDVS* e *Comitibus a Collonitsch*. Hunc, vt dictum antea est, *PAVLVS SZELEPTSÉNY* excepit, qui pro temporis eius habitu, nihil fecit residuum, quod, siue ad instaurandum *Archiepiscopatum*, siue, ad recolendam sedem amplissimam, putabat adtinere. Vt primum, adiuuante *Cesare*, sacris heic coepit operari, curam adhibuit, ne decisset domus, qua acciperetur, isthuc, ex muneris ratione, accedens. Ergo, locum *Archiepiscopali* pratorio delegit, extrema oppidi, qua in septentrionem vergit, parte. Regio est erecta, & positionis solida, ideoque substructionibus ferendis, idonea. Forma ædificii, contignatione vna, vnoque tantum ordine cubiculorum, definitur. Ex ea parte, qua in meridiem spectat, sacellum habet; inde, versus occidentem, trichinium laxum, tum antislitis procoeta; & in angulo occidentali, cubiculum, turri quadrata instructum, vt latioris, ita quietioris aspectus. Post, qua structura domus in septentrionem redit, atque hinc in orientem flectitur, complures recluduntur mansiones, hospitibus, & antislitis familiaribus, accommodæ. Inferne, pari serie instructa sunt hypocaula, pro familia reliqua. Totam domum, aggeres circumeunt, operis quadrati, & propugnaculis commissi, quos anno, post millesimum & septingentesimum, vicesimo quarto & quinto, *Emericus Cardinalis*, e cæspite eduxit. Munitionem eam, latrunculis arcendis factam,

benignitas in eu Csákyi.

Res Colocsa, post captam Budam, reparari coepit:

Leopoldus M. Archiepiscopus eius instaurat:

primi eius, post Turcas abactos, præfatus:

pratorii, quod exciuit Szeleptsény, facti, & commodari:

Dddd 3

o.) Historia Leopoldi Lib. ix. p. 725. sine.

Etiam, fossæ circumdant, quarum aditus, a meridie, sublicio ponte instructus est. Infra castellum, horrea ad orientem panduntur, granaria, & quod est villarum reliquum. Locus, omnino, sacerdotio idoneus: quippe, subductus ab hominum celebritate; tamen haud sit tristis solitudo. Est enim late patentis prospectus, quem hinc flumen, silvæque Danubii, diffusi illinc campi, amœnum reddunt. Id dolcas, ita non raro Danubii cluionibus circumfundi, vt Venetiarum quandam similitudinem referre videatur.

situs amœnitas.

§. IX.

Nequè silendi sunt, lapides Romani, quos castellum ostentat. Horum alter, sex pedes, cum dimidio longus, latus tres, hæc habet:

Romani lapides, qui in castello videntur:

D. M.
G. RETONIVS DANVVIVS.
AVG. C. OLAO VIVVS SIBI
FECIT.

Alter, longus pedes tres, & pollices VII. latus pedes duos, ad hunc modum inscriptus est:

D M
C. VALER. ES CALLIMORI
NATIONE GRECA. C. VALERIVS
AELTANVS FRATRI ET ME
MORIAE CAUSA - -
TVMVLVM. - -
- - FECIT.

Viderint, quibus volupe est, hæc istiusmodi rimari monumenta, quemadmodum ea possint interpretari: nobis pretium operæ satis est, hic expressisse lapides, forte ignotos adhuc doctis. Ceterum, nullus metropolitana huic sedi, post abactos barbaros, maiorem celebritatem, *Emerico Cardinali*, comparavit. Nam, & ipse libens heic diuersabatur, & accipiebat hospites, suo dignos conuictu, tam opipare ac hilariter, vt nemo magis. Fiebat id non raro, sed adparatu maiore vix alias, quam cum *Damianus Hugo Virmondinus*, legatus Byzantium proficisceretur. Seruavit nobis solemnitatis memoriam, GERHARDVS CORNELIVS DRIBSCHIVS (p.) septem, inquit, submissis rhedis seiugis, Coloczam, in Eminentissimi Cardinalis Csäckii mansionem, non integro ab Istro milliari distantem, Excellentissimus Orator enocabatur. Quicquid nobilioris, ex vniuersa legatione, conditionis erat, illuc eundem sequebatur. cui purpuratus hic sacerdos, in ipsis atrii gradibus, prima salutationis officia impendit, & in interiora palatii introducto, principale epulum adornauit. Ad mensam dum sedetur, tubarum clangor, symphoniæque concentus non interrupti audiebantur, qui hospitum, & amicorum ibi conuuan-

Emericus Csaky, proreptus urbi celebritatem conciliauit:

p.) In Historia Magar Legat. Cæsareæ Lib. 1. p. 68.

uiuantium aures iucundissime demulcerent. Plurimis deinde letitiæ signis hic dies celebrabatur, ac noctis pars magna quoque amœnis plausibus, absumebatur. Pyria artificia, & missiles accensi per aerem ignes, gratissimum oculis spectaculum subiiciebant. Iam, decora metropoleos, & honestat, & auget, quem laudauimus GABRIEL e Comitibus Patachich, Archiepiscopus Colocensis. Feliciter! Quod haud procul a Danubio confedit oppidum, atque manu facto alueo, Vajas, suffunditur, diues piscium est. OLAVVS (q.) ea de re: Narratum, inquit, mihi est a viris fide dignis, mille circiter pisces lupos, siue lucios, mistos carpiionibus, quorum longitudo, mediam vlnam, breuitas raro vnâ palmam non excefferit, hoc, in aliisque locis vicinis, vno ducato, emtos fuisse, & nunc quoque, pro temporis conditione, emi posse. Hac ego re factum puto, vt fieret locus prouerbio. Archiepiscopum Colocensem, Deum esse piscium. De Colocsa hæcenus.

quam bœtia auget, Gabriel Metropolitana,

SECTIO II.

DE

Oppidis Processus Soltbensis.

SYNOPSIS.

Solth, castrum olim fuit: derasum postea, oppido, quomodocunque superante: eius positus; & rus eluionibus

obnoxium: Incole Hungari sunt, & eorum mores. §. I.
Pathaii situs: ruris ingenium: ciuium indoles. §. II.

§. I.

Oppidum Solth.



Fuit olim castrum nobile, SOLTH: siue a dynasta quodam, eius nominis; siue aliam ob causam, ita adpellatum. quod postea, heri, quisquis ille fuit, incuria, an belli cladibus? quæ, non minus diræ, quam frequentes, regionem adflixerant, detritum, in vastitatem abiit. Superabat interim, adlitum castro oppidum, & prouti fuit belli Turcici fortuna, nunc copiosius insidebatur, nunc deserebatur iterum: dum hostibus depulsis, laxè instauraretur, reciperetque pristinos partim, partim novos etiam incolas. Positum est, in vicinia Danubii, occupatque terrenum late diffusum, & quomodocunque fertile; sed fluminis etiam diluuiis obnoxium. Itaque, hinc atque inde, qua id patiuntur

Solth, castrum olim fuit:

derasum postea, oppido, quomodocunque superante:

eius positus; & rus eluionibus obnoxium:

q.) In Hungaria sua, quam, in ADPARATVS nostri, ad Historiam Hungaricam, Decad. I. Monum. I. exhibuimus,

Cap. XXII, §. IV. p. 22, quæ, & de hæc sunt accipienda.

tur situs, inaratur, conferiturque ad triplicem conuersionem, sed, quæ arationes poscunt validas. Par est spratorum ratio, non semper, ob crebras exundationes, & quas hæ faciunt, vligines, idonea foenificiis. quæ quidem importunitate, haud raro, & pascua vitiantur. Proinde, aliena deserta, quibus obsidentur *Soltbenses*, redimant, necesse est, vt amplior ad rusticandum sit opportunitas. Siluarum inopiam, stramina pensant, & arundo. Incolæ *Hungari* sunt, moris antiqui, & ditionis *Bosnyakiana*. Nimirum æmulantur quodammodo, *Ketskemétenses*, & *Körsenses*, suntque integritatis præcipuæ. Occupatio eorum, tota fere agricolatione, & quæ huic coniuncta est, cura rei pecuariæ, absoluitur. quibus rebus sit, vt careant vitiorum illecebris; satis habentes, si vitam, cum honestate, & sine exstanti querela, possint degere. In incommodis oppidi censueris, quod ad viam regiam est positum; capit enim inde crebras molestias, & coniunctas cum oppidanorum detrimentis.

§. II.

Oppidum Pathay.

Pathai stus:

Distat *Soltbo*, duobus milliariibus *Hungaricis*, in meridiem. Oppidum est ingens, copiosæque coloniarum. Paret iam *Baronis Georgii Szárász* hæredibus, neque differt soli qualitate, & incommodis, a priore; quamuis amplitudine agri frumentarii, pascuarumque, illi multis modis antecellat. Haud tamen sufficit rusticationi, rus oppido admensum. Ergo, necesse habent, in vicino terreno, cuius vsuram, ære suo redimunt, agricolari. In via est regia *Pesthiensis*, qua *Bijam* itur, adeoque, grauatur crebris militum transitibus. Ciues & heic *Hungari* sunt, prisca instituti tenaces, neque tolerantis facile peregrinitatis quidquam. Agunt inuicem concorditer, suntque vitiorum seueri osores, eorum maxime, quibus prostrigari honestas fuit, & contemnerari ciuili societate. Quod illi quidem, antiquo *Hungarorum* laudabilique more faciunt: vt iniurii sint omnino, in gentem nostram, qui ei barbaricæ, & effusæ, in omne scelus licentiæ, notam scribunt: egregii, scilicet, alienorum vitiorum exactores, qui nullum non prauitatis genus, aut virtutis speciem, ipsi inuestiunt, aut prorsus ad elegantiam cultum referunt.

SECTIO III.

De Vicis Processus Soltbensis.



Enuior adhuc, vicorum, in *Processu Soltbensi*, numerus est, quam pro regionis amplitudine. quod, post *Turcici* belli, diutina mala, temporum, quæ se excipit perpetuo, difficultati adscripseris. Quanticunque sint, nostra interest, eos non siluisse.

1.) Döm-

1.) *Dömsöd*, vicus *Kohárianus*, *Pesto* milliaria quinque, sinistra *Danubii* ripa, qua is *Csepeliam* insulam ambit, submotus. Haud procul, supra vicum, cauerna visitur ingens, aquarum plena, a *Danubii* margine in orientem diffusa, ideoque, ob viam regiam, ponte iuncta. Hucusque aggerem illum, fossamque celebrem, quem *Cserjárka*, nominauimus, ex *Tibisco* protraxisse, imperiti commentantur; decepti, sine dubio, nomine *Dömsöd*, quod ex Germanico *Dämmfcheid*, hoc est, aggerum determinatorem, deriuatum putauerunt; cum meminisse debuissent, aggerem hunc, si agger erat, diuersum ab illo esse, quem in agris *Hevesiensibus* & *Borsodiensibus* designauimus. Colitur vicus ab *Hungaris*, eiusdem prorsus ingenii, quale ad *Soltb*, & *Patay*, obseruauimus. Terreno gaudet lato, & vini frumentique feraci. Tametsi vero, prope flumen est, tamen, non æque inundatur, sicuti ripenses vici reliqui, quia obiectis aggeribus cauent eluisionibus, incolæ. Est ei, & insula, contra vicum, in eodem fluminis aluco. Hortos hic pomiferos, & foenificia habent, nisi eluue amnis, corrumpantur, sic satis larga.

2.) *Dab*, pari colonia & terreno, minor tamen priori, in eadem fluminis ripa, adeo vicinus *Dömsödio*, vt nisi fossa intermissa distingueretur, vnum eundemque crederes. Pertinet ad ditionem *Rádaiorum*.

3.) *Taf*, recedit a *Danubio*, dimidio, in orientem, milliari, tenetque patentem planitiem, agri fertilis, haud tamen, dum intumescit flumen, a dilauis immutis. Paret, præter alios viros nobiles, genti *Fajana*.

4.) *Szalk-Szent-Márton*, nomen, discriminis causa, mutuatur a prædio *Szalk*, quod ei vicinum est ad *Danubium*. Distat a priori, plus dimidio milliari, loco pariter campestri, aperto & fertili terreno, minori tamen, quam pro coloniarum copia. Est ditionis *Amadianæ*, *Balassianæ*: ac, submotus quamuis a *Danubio*, non tamen liber ab ære exundante.

5.) *Vetse*, seu, cum adposito, *Duna-Vetse*, vicus priori, pari fere a *Danubio* interuallo, sciunctus, neque steriliore agro. Sunt ei, & vineæ, fructus boni, pascua item, & prata larga, sed non extra periculum illuisionum. Possidetur a diuersis. Coloni *Hungari* sunt, & moribus, & studio rusticationis suppare, superioribus: morum integritate, etiam potiores.

6.) *Apostagh*, propius accedit ad *Danubium*, remotusque est a *Vetse*, milliari dimidio, pariter in patenti campo, agris, & pascuis latus; sed, quæ sunt ænis iniuriis obnoxia. Incolitur, partim ab *Hungaris*, partim a *Slauis*, coloniarum recentioris, ditionis autem *Szárázianæ*, *Daróczianæ*, nec non *Fajana*.

7.) *Egyháza*, tantundem recedit, ab *Apostagho*, eadem fluminis, sed eleuatiore ripa, ideoque pari terræ qualitate & fortunæ, incolis itidem *Slauis*, iuris *Száráziani*.

TOM. III.

ECC

s.) Har-

8.) *Hartba*, nupera colonia *Germanica*, quam huc *Paullus Ráday*, vici herus, ante aliquot lustra deduxit. Posita est inter oppida, *Solth*, & *Pathay*, huic tamen propius, & ad flumen, quod ea parte, amoeno nemore siluefcit. Solum & heic pingue est, quod positus erectior, a diluuiis tuetur.

9.) *Ordas*, infra oppidum *Pathay*, prope ad *Danubium*, agris nihilo deterioribus, incolis *Hungaris*, possessionis diuersæ.

10.) *Lak*, vicus *Archiepiscopi Colocensis*, in eadem ripa, haud procul ab eo loco, quo *Vajasi* alueus, ex *Danubio* deriuatur. Itaque, & hic crebris aquarum diluuiis incommodus est. Sunt ei siluæ in fluminis margine.

11.) *Sz. Benedek*, sedet ad *Vajasi*, supra *Colocsiam*, prope ad siluas. Rure est vuido, ideoque brassicæ, atque ceparum ferace. Incolunt eum *Hungari*, ceparum & olerum educatione, lucelli quidpiam facientes. Diuehunt enim hortenses has merces, in remotiores vicos, quibus earum est penuria.

12.) *Uzód*, vicinus *S. Benedikto*, tenetque ripam *Vajasi*. Gaudet pari ceparum, & brassicæ prouentu. Incolæ & heic sunt *Hungari*.

13.) *Fogtö* priori lingua, religione, soli atque ceparum, brassicæque feracitate, suppar, in eodem *Vajasi* tractu. Paret *Archiepiscopatus Colocensis*. Nomen accepit a claustris, quibus olim canalus ille, quem *Vajasum* nominauimus, piscaturæ gratia, claudi solebat.

14.) *Faisz*, ex altera *Vajasi* parte, loco siluestri & vuido, terreno feraci, sed ob aquas, multis damnis obnoxio. Colunt vicum *Hungari*, ditionis *Abbatissæ Szárdiensis*.

15.) *Batifa*, in sinistra ripa *Vajasi*, haud procul infra *Colocsiam* in meridiem, loco plano; hinc inde siluis amoeno, rure tamen madente, & eluuiionibus infesto, incolis *Dalmatis*, quorum lingua nominatur *Batfina*. Respicit iure *Uinossos*.

16.) *Miske*, recedit a flumine in orientem, milliari dimidio, & quamuis erectiore positione est, tamen, fœdatur diluuiis: quin toto sæpe terreno, aquis submerso, ægre domos retinet in arido. Incolitur a *Slauis*, religionis mixtæ. Hinc & illinc, modicam lignandi habet facultatem, gaudetque solo fertili, nisi aquis vitaretur. Pertinet ad ditionem *Colocensem*.

17.) *Hajós* abest a priori, in orientem hibernum, milliari *Germanico*, ea parte, qua depressa, & cœnosa hæc regio, incipit erigi. Itaque, per edita ponit vitem, aratque; depressis sitibus, pabulo, & focnificiis, destinatis. Paret itidem *Archiepiscopatus Colocensis*.

18.) *Nádudvar*, inclinatur in meridiem vno milliari versus *Bájam*, estque loco plano, at depresso, a meridie tamen paullo eleuatione, vbi & vitem deponunt incolæ, qui *Germani* sunt. Dominatur & his, antistes *Colocensis*.

19.) *Dusfnach*, redit *Nádudvaro*, in occidentem, versus *Vajasum*, estque, inter *Battyam*, & *Sükesdum*, colonia *Dalmatica*, ditio-

ditionis *Colocensis*. Siluis abundat, non tamen agro frumentario.

20.) *Sükesd*, vicinus *Dusfnacho*, eidemque solo, natione, religione, & lingua consimilis, copiosior tamen. Interfunt iam & *Hungari*. Est ditionis eiusdem.

21.) *Tsanád*, dimidio milliari, infra *Sükesdum* in eiusdem *Vajasi* margine, inter siluas positus. Incolis est *Hungaris*, pertinetque ad *Colocensem* Archiepiscopem.

22.) *Kákony*, pari interuallo, infra *Tsanádum*, neque dissimili situ, & terreno, ditionis eiusdem, & colonix *Dalmaticæ*.

23.) *Pándier*, eodem *Vajasi* tractu, vno drammate, supra *Bájam*, loco depresso, & diluuiis, vti reliqui priores omnes, infesto. Accensetur ditioni *Colocensi*.

24.) *Szeremle*, vicus prouinciolæ *Bátsiensis* conterminus, in sinum *Danubii*, intra siluas, retrusus. Sedet quadrante miliaris supra *Bájam*. Est in ditione *Colocensi*.

25.) *Bogyiszó*, in eadem fluminis ripa, paullo superius, inter siluas, & amoena nemora, versus *Tolnam*, solo, colonia, religione, lingua, atque moribus, priori suppar.

26.) *Kis-Körös*, seu *Körös minor*, vti ab oppido cognomine discriminetur, sic dictus. Reprimitur a *Danubio*, vltra planitiem illam depressam, quam *Sárközi* nominamus, estque in erectiore, & late patenti campo, viaque in regia, qua *Pestino Petrovaradinum* itur. Lustris abhinc circiter quatuor infestus est; incolis *Slauis*, ædiculis humilibus, sed copiosis. Adinet ad ditionem *Vattaianam*. Carent siluis incolæ, aquam autem e puteis hauriunt. Solum ei fabulosum, sed fertile. Et quod inter vastitates sedet, agricolatur alienis quoque in prædiis, annua redemptis mercede. Multum proficere posset vicus, nisi crebris militum transitibus, longinquis, item, ob vicinorum pagorum inopiam, aurigationibus, præiuncturas vocant, fatigaretur. Ferunt ex nupero euentu, trilli eo, & inexpectato, decreuisse vicum.

27.) *Akaszó*, cedit priori in occidentem, milliari intersitio, tenetque decliue solum, versus depressam *Colocsa* regionem; agro tamen segetum amico. Incolitur, & hic, a *Slauis*, estque ditionis *Boszmákyanæ*. Confedit amoeno loco, & e longinquo conspicuo. Atque hæc vniuersim, de Comitatus *Pest, Pilis, & Solth*, dicere habuimus.

TABVLA ITINERARIA

COMITATVVM, PEST, PILIS, ET SOLTH.

I. In Comitatum STRIGONIENSEM:

BVDA, itinere cursoris publici, per *Vörös-Vár*, penes *Csaba*,
Dorogham. mill. 5.

Eccc 2

II. In

II. In Comitatum ALBAREGALENSEM :

BVDA, per interfertos vicos, *Albamregalem.* mill. 8.

III. In Comitatum TOLNENSEM :

BVDA, itinere veredarii publici, per *Hansabék, Ertfchin, Adon, Pentele, Földvár, Paks, Tolnam,* pro cursoris statione. mill. 18.

IV. In Comitatus BATS & BODROGH :

PESTO, per *Sorok-Sár, Haraszi, Dömsöd, Duna-Vetse, Apostag, Solth,* inde *Patay.* mill. 12.

V. In Comitatum CSONGRADIENSEM :

PESTO, per *Sorok-Sár, Alfo-Némedi, Otsa, Sári, Ketskeméth,* & hinc, per deserta locorum, *Csongrád.* mill. 14.

PESTO, eadem via *Ketskemetinum,* hinc cursoris publici itinere, *Szegedinum.* mill. 20.

VI. In Comitatum HEVESIENSEM :

PESTO, itinere veredarii, per *Czánkota, Kerepesch, Gódoló, Aszód, Hatvanum.* mill. 6.

PESTO, eodem itinere *Agriam.* mill. 12.

PESTO, per *Üllő, Monor, Alberti, Czegléd, Abony, Szőlöknum.* mill. 10.

VII. In Comitatum NEOGRADIENSEM :

PESTO, per *Palota, Főth, Vörös-egyháza, Uffalu, Püspök-Hatvana, Gutta, Becske, Surány, Varsány, Szétsény.* mill. 8.



NAL-

NALDI NALDII, FLORENTINI,
EPISTOLA,
DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,
ATQVE
LIBRI QVATVOR, VERSIBVS SCRIPTI, EODEM
ARGVMENTO,
AD SERENISSIMVM
MATTHIAM CORVINVM,
PANNONIAE REGEM.

AD LECTOREM.

NALDI NALDII, hæc, quæ vides, de laudibus Bibliothecæ MATTHIAE CORVINI, commentaria, soluta partim, partim ligata oratione, conscripta, primus, e manu exarato codice, in lucem edidit, CL. PETRVS JAENICHIVS. *Adiunximus*, inquit, (a.) *Polonicis Prussicisque scriptis*, nonnulla, quæ res *Vngaricas* continent; tum propter *vicinitatem locorum*; tum vero maxime, quia a *Polonicis* non longe dissentiunt, speciatim, *Naldi Naldii Poemation*, antea nondum editum putauimus inserendum; dudum olim destinatum, *Syntagmati rerum Vngaricarum*, quod moliebatur, *cel. MARTINVS SCHMEITZELIVS*. Hæc ille, de editionis instituto: quod, quia exsequutus est opere ipso, gratias ei palam, & cum officii testificatione, habemus: quippe qui, eo sumus animo, vt in acceptis id nostris referamus, si qua lux, rebus *Hungaricis*, a doctis viris, quocunque sub sole viuant, adfundatur.

II. Iam, quemadmodum codicis membranacei, quem, bibliotheca publica Thorunensis, custodit, habitum descripsit doctissimus *IAENICHIVS*, audiamus:

Eeee 3

For-

a.) MELETEMATVM THORVNENSIVM, To-
mi III. præfatione. Prodiit Thor-
unii, forma oct.

b.) Tomo eodem, ad Meletematis, de
MATTHIAE CORVINI meritis, in Rem
Litterariam, §. III. nota (1.) p. 205.
Cun-

Forma, ait, (b.) codicis maior est, & folii, inuolucrum holosericeum purpurei coloris, floribus & auro intertextum; fibulae, quibus clauditur liber, ex argento, aequae quatuor sunt, a superiori parte marginis una, una ab inferiori, & a latere duae. Aequata itaque, cum ceteris codicibus magnificentia, quam LAMBECIVS praedicat. Non dubitamus, quin supellex iucunda CORVINI fuerit; sed memorabili illa fatorum vicissitudine, huc perinde delata, ac alii codices Vindobonae, Guelpherbiti, aut Berolini, SVETONIUS, Antonii Simibaldi Florentini opera, Neapoli scriptus MCCCCLXX. alique complures, in priuatis Bibliothecis reperiuntur. Postea, codicis titulum recenset IAENICIVS, qualem, in fronte mantissae huius, exhibuimus: dum pergat eius argumentum expromere. PRIMO LIBRO, virtutes, sapientiam regnandi, ac decus familiae, explicat CORVINAE, tam gloriosae litterarum altricis: ALTERO, praecipuos scriptores Graecos: TERTIO Latinos. QUARTO denique, qui CHRISTI doctrinam, scriptis propagarunt, recenset; adnotato cuiuslibet scriptoris, ingenii caractere, libris & argumentis. Credo, equidem, manu exaratos omnes fuisse auctores, quos totis tribus libris, NALDVS memorat. De ornatu addit editor: Initia librorum, venustis admodum picturis exornata sunt, quarum ductus, tanta elegantia elaborati; ut, si non artem, saltim solertiam artificum hodiernorum superare videantur. Neque etiam desunt, notae quaedam ridiculae, qualis, inter alias est, dolium, quod supra adparet; signum fortasse egregii illius vini prouentus, quo Vngaria abundat.

III.

Concordat, cum his, CL. IAENICIVS, verbis, quae in praefatione nostro, IOHANNES REZKIUS, Gym. Thorun. olim Prof. Publ. sua manu, A. MDCLXXXIV. adscripsit: Haec, inquit, Epistola, & Libri Carminum, reperiuntur in Bibliotheca Gymnasii Thorunenensis, in pergamena, ab ipso forte auctore, & carminis conditore, caractere non ineleganti, scripti: coniectioque, hoc volumen, Serenissimo Regi MATTHIAE fuisse transmissum, & post occupatam a Turcis BUDA, clarissimaeque illius

Bibliothecae ruinam, bono cuidam viro, in manus incidisse, qui id, in sui memoriam nominis, in Bibliothecam Thorunensem, detulerit. Inuolutum est materiae, auro & argento intertextae, quam edax tempus obscuravit, & prope absumsit. Possidemus MSC. illud, beneficio SAMVELIS SYEKELY de Doba, quod, patriam recognouisse iuvat, ne ingrati animi, iure possimus acculari ab his, qui nos liberali manu iuvant.

III. Ista nos, eruditissimus IAENICIVS docuit, qui, haud grauate laturus est, quod Thorunensem editionem suam, operis huius nostri, Tomo Tertio, adtexamus consulto. Id enim, & sua quadam indulgentia facimus; quando, ea vsus est bonitate, ut iisdem illis meletematibus nos donarit, quibus interferta sunt Naldiana haec; & poscere id a nobis videbatur, magnificentia Regis MATTHIAE, quam in Regiae Budensis designatione, more nostro, ex vero laudauimus: liberali simul Augustae eius Bibliothecae mentione (c.) habita, quam, ut luculentiores faceremus, nostro quodam iure, & promissi memores, isthic NALDIUM exhibemus: gratiam, quem admodum sperare fas est, apud lectores inuituri, quod non eos sinamus, docta, summi regis, praeconia, ignorare.

IV. Haec, ita facere velle, serio nobis proposueramus; cum Vindobonae forte agentes, fato benigniore, in MATTHIAE CORVINI imaginem, scitissimo adumbratam penicillo, & quod credimus, ad viuum, coloribus tum expressam, cum victor urbem eam subiret, beneficio, praecipui amici, A. R. incidere. quam, ut illustrior NALDII haec editio esset, monumento honorario, insculpendam, eo lubentiores curauimus, quo maior erat, SENATVS BVDENSIS, in iuanda chalcographiae impensa, promittitudo. quod nunc, & grati profitemur, & cum manium CORVINIANORVM plausu quodam. Icon ipsa, pectore tenuis, ita picta est, ut caput quidem laureatum referat, caesariem crispam & flauam, mystacem, barbamque raram atque intonsam. Paucis: vultum, & singulas huius partes, examissim ita compositas agnouimus, quemadmodum eas, ANTONIVS BONFINIVS, familiaris CORVINI, oratione concinna (d.) pinxit. Ita vero MATTHIAM totum, ad posterum descripsit: Diuo MATTHIAE, statura corporis, fuit aliquanto maiuscula, quam

c.) Supra, Historiae VRATIS BVDENSIS, Periodo I. §. XXI. & XXII. p. 225. seq. d.) Decadis IV. Lib. VIII. p. 653, 10. Adde, Periodi II. §. LXII. & LXIII. p. 364. sequ.

quam mediocris: forma eximia, generosus adspectus, & multum referens magnanimitatis: rubens facies & flava coma: cui venustatem obducta supercilia, & subnigricantes oculi, & sine mendo (e.) nasus, ne mediocrem quidem cultum addebant. Obtutus eius liber ac rectus, leonis more, oculis, nunquam inter videndum ferre conuiuentibus. Fauorem, semper obstinato indicauit obtutu; quem vero limis respexit oculis, insensum sibi esse portendit. Prominentiore collo & mento fuit, & ore aliquanto latiore. Caput huic addecens: quippe quod, nec paruum, nec magnum videri poterat: frons vero parum spatians. Proinde, formosum erat corpus, cui color albus, cum rubore fuerat admixtus: ex qua quidem mixtura, mirum quandoque, ut de ALEXANDRO perhibent, fragrauit odorem. Quin etiam lineamentis oculorum & lenitate, ei nimium fuit assimilis, quem semper vitæ habuit archetypum. reliqua.

V. Næ ego, in publicam fidem peccem, si quidquam, ab hac icone, picturam nostram, differre, adfirmarim; oculis, qui ad plumbi modum liuent, exceptis; hos enim, subnigricantes dixit ANTONIVS. quod me quidem obfirmavit, ut credam, exactam fuisse imaginem, ad viui MATTHIAE obtutum: cui ætatis illius vitio, superscriptum legas: MATTHIAS. CORVINVS. REX. HUNGARIE.

VI. Quid vero sibi vult, incinctum laurea caput? Triumphii indicium, amici inde capiebant; neque ego negarim sane: at enim, in more idpositum fuisse CORVINO, adfirmant alii: quippe qui, lubenter festos solemnisque dies, laureatus agitarit. Faceta, sed digna tamen relatu est, cerimonia, quam laureola istiusmodi, ad deludendum WLADISLAVM Bohemum, sed delusus ipse, MATTHIAS, in congressu Olomucensi, ediderat. Nimirum, conuenerat inter vtrumque regem, uti, habito isthuc, mutuo colloquio, bellum, pace terminarent. Lentis huc itineribus, ut maiestati suæ velifica-

e.) Falluntur ergo, qui MASONEM fuisse MATTHIAM, credunt, & nescio, quid

non inde portenti, comminiscuntur.

ficaretur, profectus CORVINVS, noua vsus ambitione, WLADISLAVO occurrendum putabat; nudo videlicet capite, ac viridi tantum sero coronato, ne ipse caput suum hospiti detegeret, sed illum potius honorem, ab illo sibi haberi, ambiret. Qua in re, belle falsus est; siquidem Boiemi, & ipsi satis ambitiosi, cognita MATTHIAE arte, regi suo insusurrant, ut tegmen capitis sui, zona sic plane innodet, ut nodos ipse explicare nequeat. quo facto euenit, ut præter omnium opinionem, voluntatemque suam, HVNGARVS, nudus capite, salutaret, tectum capite Bohemum, deduceretque, ut hospitem, in hospitium: prospectante e fenestra, BEATRICE regina, amoremque tacitum, ex conspectu noui hospitis, forma conspicui, hauriente. Ita DVBRAVIVS (f.): ut argui hinc possit, solemne fuisse MATTHIAE, in deducendis pompis regalibus, laurea uti, ad maiestatem, victoriasque, ostentandas.

VII. Reliquus habitus, ex more (g.) seculi eius, factus, in eadem est imagine. Collum nempe, longius id, crispato, ad virilem modum collario, ita incinctum, ut lintheum, atque in rugas collectum indusium, eximia pectoris parte, qua id thorace nudum est, adpareat. Istud peculiare visum, quod humeros, palla purpurea, nullo, siue auro, aut argento illusa, siue distincta vnionibus, conuestiat: thorace, vel amictu regio, flauis coloris, atque striis, per longum ductis illustri, conspicuo iterum: accisa est enim palla, & laxè circumuecta. Hactenus, de genuina MATTHIAE icone: iam ad NALDVM redeamus.

VIII. Scripsit is ad CORVINVM, Epistolam, sic satis latine, & reducta, quodammodo, ad numerum, dictione; sed, quæ referat tamen ætatis eius ingenium: quando, neque pura vndique est, neque per-

TOM. III.

Ffff

spi

f.) Historia Boemica, Lib. XXI. p. 254. 25.
g.) Ita est: quod icon WLADISLAVI, cuius nunc meminimus, in arce Comitum PALFFYORVM, Borostyni, adseruata, & habitu, CORVINIANAE huic simillima, condocet. Erant, qui crederent, peregrinum fuisse MATTHIAE

hunc vestitum: saltem, Germanicus non erat; tametsi, ne ab eo quidem abhorruerit MATTHIAS; si vera sunt, quæ STELLA, de eius, vestibus pronubis, meminit, & nos, supra, in Historia vrbis Budensis, retulimus, Periodo I. §. XVI. p. 216.

spicua semper. quæ, quantæ sint, in oratione, virtutes, nemo, nisi earum in scribendo dicendoue, expers, ignorat. *Carmen*, venustum est, & si demiseris, atque humiles passim sensus, egregie copiosum, ac suaue, dignumque argumento, quod sibi decantandum proposuerat. Vtrumque, NALDII hoc scriptum, si, cum NICOLAI OLÁHI, Archiepiscopi Strigoniensis, (b.) commentario; cum IOHANNIS, item, ALEXANDRI BRASSICANI, Icti epistola, quam is, ad CHRISTOPHORVM a STADION, episcopum Augustensem, anno MDXXX. Cal. Martii, *Vindobona*, de Bibliothecis, atque *Coruiniana* in primis, dederat; IVLII, denique, PFLVGII, equitis Saxonici, litteris, ad VITVM LVDVICVM a SECKENDORFF, *Iena*, anno MDCLXXXVIII. Sexto Cal. Iulias, exarauerat, (i.) lectori, rei litterariæ amanti, conferre; præterea, quæ ex TAFFER-NERO, & LAMBECIO, in *Budæ* historia, adnotauimus, addere libuerit; habebit sane, vnde, librarii huius thesauri, auro contra carioris, præstantiam condiscat. Nos, bibliothecæ iacturam, quamquam dedolere adhuc ne quiuimus; tamen, VINDOBONENSI, Augusta illa, quam post tot Cæsares, CAROLVS VI. Cæsarum optimus, & fastosissime instruxit, & *Pio Nicolao Gariello* præfecto, viro sane doctissimo, & nostri studio, aperuit liberaliter; eo solamur efficacius, quo iucundius spectatu fuit, MATTHIÆ CORVINI simulacrum, in eorum (k.) templo, repræsentatum, qui eruditas opes illas, vel primi cœperunt coaceruare, vel locupletauerunt postea. Vale, erudite Lector! & conatibus nostris, bene precatus, fruire. PISONII, anno MDCCXXXVII. Pridie Idus Martii.

b.) Exhibuimus eum in APPARATV nostro, ad Hungariæ Historiam Decad. I. Monum. I.

i.) Vtramque Epistolam, reperias, in IOACHIMI IOHANNIS MADERI, de Bibliothecis, atque Archiuis Clarissimorum Virorum, Libellis & Commentationibus: cum præfatione, de scriptis atque Bibliothecis Antediluvianis: cuius Libri, editionem secundam, curauit, I. A. S. D. Helmstadii, A. MDCII.

k.) Augusta illa apsis est, vmbilico Biblio-

thecæ instructa magnificentissime, quæ, turritis fenestris, & lucem immittit, diuinissimo sacrario, & per concava, stupendæ concamerationis latera, refert, pictas scitissime, icones, Tui *Esopius*, quum, qui non videre, concipere animo haud possunt: vt laudandi omnino sint elegantissimi sculptores, SALOMON KLEINER, & IEREMIAS IACOVS SEDELMAYER, quod arte consummatissima, omnes, augustalis ædificii partes, atque ob-
tutus, æri incidendas, susceperint.



NALDI NALDII FLORENTINI,
EPISTOLA,
DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,
AD
MATTHIAM CORVINVM,
PANNONIAE REGEM SERENISSIMVM.

CVM ita per vniuersam Italiam, MATTHIA Serenissime! iam fama Tui nominis late vagaretur, vt omnem Florentinam ciuitatem occuparet: omnesque, de Tuis maximis clarissimisque virtutibus, plurima loquerentur: vt captus amore Tui, regiarumque virtutum; coepi cogitare: quonam modo Tibi significare possem, qui meus in Te animus esset, & quonam potissimum genere litterarum, res Tuas domi, atque militiae, ab Te pulcherrime gestas, attingere deberem; vt ex vno me, plane intelligeres; quam ceteri omnes nostræ urbis ciues, Te colant, & obseruent: quamque, pro Tua diuina virtute, admirantes, ea quæ antehac bene gessisti, quæve geris in præsentia; Te ipsum venerentur. Cum vero: TADDAEVS VGOLETTVS, abs Te missus, ad nos proficisceretur; vt expediendæ bibliothecæ quidem regie præset: cumque hic, multa de Te Rege sapientissimo, deque Tua diuina virtute, multis audientibus, multisque assentientibus, prædicaret; tum vero, arsi cupiditate incredibili; vt ea, quæ ille de Te, laude omnium, prædicationeque digna, memorasset, heroico carmine, litteris mandarem: quod id genus scribendi, ad res Tuas, a Te summa cum prudentia, summaque animi magnitudine, administratas, magis accommodatum esse videretur.

II. Sed, cum rursus, inaudita quædam, atque incredibilis, & infinita pene rerum maximarum, quas domi, atque militia, non minori sapientia, quam felicitate gessisses, copia nobis offerretur: dubitare coacti sumus, vnde potissimum exordium sumeremus. Verum, cum in deliberando non satis esse videremur; ad nostras musas confugimus: consilio quarum, atque graui monitu, eam partem sumpsimus Tuarum rerum, abs Te pulcherrime gestarum, explicandam,

quæ, ad otia pacis pertineret: non tam, quia hæc faciliora essent, quæ quietis temporibus abs Te gesta sunt; quam quod expeditiora quoque, ad properationem nostram esse putarentur: cum bellicas Tuas laudes, superesse tot, tantasque, musæ nobis demonstrarent; vt eas enarrare, minus esset huius nostræ institutæ rationis; qua in emendandis voluminibus, Tuo iussu, e scriptis occupamur: præsertim, cum tam magnæ sint, tamque multæ res, quas in armis gessisti; vt ingenio magis exposito, per exercitationem diuturnam, atque magis ex-culto, quam hoc nostrum sit ingenium: ad illas, pro dignitate satis exornandas, opus esse videatur.

III. Quam ob rem, ne pieridum grauissimas aspernerer monitiones, in hanc potissimum sententiam discessi; vt, quæ ad studia pacis celebranda, quæ ad otium & tranquillitatem pertinerent, versibus prosequer: hoc tamen consilio; vt, quod, ad exactissimam Tuam sapientiam spectaret; qua in studiis pacis usus es, nihil a nobis præmitteretur. Nam, cum omnia, quæcunque in vita gesseris, Te diuina quadam, quæ lucet in Te multum, sapientia, constaret effecisse, dixi: cum legisses apud PLATONEM scriptum diuinitus; *felices illas Respublicas fore: quarum Principes, aut ipsi philosopharentur, aut eos, qui Philosophi nomen consequuti essent, unice diligere*: Te omnium bonarum artium disciplinis, ita mentem, atque animum tuum instituisse; vt non modo in Regem euaderes doctissimum; sed amore quodam ardentissimo, in eos omnes homines flagraret: qui, in aliquo Interarum genere floruissent; vt, non tam se beatas, atque felices illæ ciuitates, quas consilio regis adpellare possint; quam se beatissimas omnium atque felicissimas, debeant existimare; quod abs Te, Rege sapientissimo, tam fortiter, tam sancte, tam prudenter, tam religiose, gubernentur; vt vtrumque, per Te illæ cumulate satis, consequutæ fuerint: & quod vnus, omnibus, qui viuunt, quique diu vixerunt, magis sapis regibus; & quod doctos omnes, vbiunque sint, tanto amore, tantaque beneuolentia complecteris; vt vno consensu, omnes; non modo Te, vt alterum CAESAREM AVGVSTVM; aut Macedonem saluent ALEXANDRVM; verum, virosque in Te vno, pro Tua summa clementia in omnes, pro liberalitate inaudita, pro magnificentia Tua regia, facile recognoscant. O sapientiam admirabilem, atque omnium nationum, temporum, seculorum, laude prædicationeque, celebrandam!

IV. Cum diuino quodam ingenio perspiceres; multo commodius, ex tribus ea posse accipi, quæ a Tuis ciuibus, & populis, ad consequendam felicitatem, expeterentur: REGINAM accessisti, tanta humanarum, diuinarumque rerum scientia refertissimam; vt, & laudem Cornelie, Grachorum matris; atque Sybillarum, quæcunque floruerunt, facile obscurare posse videatur. Hanc igitur, cum sociam, auspiciis paribus, in gubernando regno, ita Tibi delegisses; vt in imperio administrando, nunquam eius, aut consilium, aut prudentiam, esses desideraturus; profecto, re ipsa expertus es: vxorem Tuam, sa-

pien-

pietissimam omnium esse Reginarum; non modo quæ sunt, sed quæ fuerunt antea. Itaque, cum in hac parte vxoris ascendæ, cumulatissime Tibi prospexisses; restabat quiddam tertium: quod Tu, vbi expedisses, vniuersum quidem negotium regium; quod intra Te statuisses, sapientissime Tibi confecisse videreris. Nam, cum numero DEVS impare gaudeat: putasti faciendum; vt quem genuisses, natum suauissimum, ad imperium gubernandum, tertius adderetur. Verum, ne quid IOHANNI filio deesset, quod ad Regem sapientissimum futuram pertineret; eadem omnia, quæ ipse didicisses, per Te statutum est: vt a filio Tuo regio, adhibitis magistris, & doctoribus, ad id faciendum accommodatis, edicerentur. Quod Tuum sapiens consilium; cum fortuna quoque multum adiuuisset, factum est, vt quod vehementer ipse concupisses, non mediocriter fueris consequutus. Nam cum TADDAEVS VGOLETTVS, ad vos se contulisset: traditæ sunt a fortuna Tibi anxiæ, multo faciliores ad eam rem, quam ipse requirebas, exsequendam: præsertim, cum ad hominis doctrinam, mores quidam aurei accederent; & qui ad instituum, tanti Regis filium, non minus conuenirent, quam ipsa eruditio. Nam, cum Reges qui sunt: & qui futuri sunt; exemplar ceteris se præbent intuendum, vnde cives vrbani sibi sumant, quod cum virtute, atque laude, imitentur: iure in magistrum, ac doctorem, qui natum regium erudiret, cum virum elegisti; qui, & doctrinam simul, & mores probos, esset præstaturus. Est igitur, uti traditur, puer regius TADDAEO præceptori, ad omnes bonas artes effingendus. Incredibile dictu; quam breui ille peruenerit, non modo ad summam doctrinam; verum ad experientiam quoque rerum bellicarum. Vt enim omittam; præceptorem instituisse regium discipulum, ad omne genus excellens litterarum; sic ad imitandum patrem, in re quoque militari, puer, ab eodem præceptore inflammatus est: vt, vel fortissimos Romanorum duces, facile adequaturus esse videatur. Sunt & alia complura; quæ quia nota Tibi esse arbitror, silentio præteribo in præsentia: non tam, ne videar ineptus, in rebus notissimis Tibi recensendis; quam, ne nomen parum considerati hominis incurram; si, quæ luce solis magis patent omnibus, ea contendam, oratione mea reddere illustriora.

V. Ergo, vbi hæc tria sunt abs Te confecta, quæ intra Te ipsam sæpe atque multum cogitasses; id est; postquam omnibus bonis artibus Te, atque IOHANNEM instituisi filium suauissimum; atque, vbi accessisti Reginam, moribus, atque ingenii vestris non dissimilem: tandem illæ, quas subiugasti, nationes, deprehenderunt; quoniam modo per vos, & quam via vterentur ad felicitatem consequendam. Vt enim natura rerum, in diuinitatem ipsam triplicem, dicitur intueri: vt inde sumat, in rebus omnibus creandis, eas formas, quæ in mente diuina domicilium suum, atque sedes posuere: sic & Tui populi, ac virtute Tua subactæ nationes, Te ipsum contuentur; a BEATRICE regina, nusquam dimouent oculos; in IOHANNEM filium regium, quotidie sic re-

Ffff 3

spi-

spiciunt; ut ex his tribus, simulacra virtutum exercendarum, dum adsumunt, easdem sibi ad imitandum proponant. Quam ob rem, quod in superioribus coepi disputare; consequatur necesse est: ut per vos, principes, sine controuersia, doctissimos, & populi, & nationes fiant beatiore. Nam, *quales sunt in republica principes; tales reliqui solent esse ciues*: ut est apud PLATONEM, scriptum diuinitus: quo nos auctore, tanto libentius utimur, quanto ceteros, doctrina, & eloquentia, grauissimus ille Philosophus, videtur superasse.

VI. Verum, cum sapientes, qui habentur, soleant intra se ipsos saepe, ac multum cogitare omnia, priusquam adgrediantur; deinde, quales, & quam egregiae fuerint cogitationes eorum: quasi, quaedam signa prae se ferre consueuerint, quae oculis cernantur, atque pateant omnibus, ad sapientissimorum imitationem: MATTHIA Serenissime! incredibili quadam, ubi diu, quae facienda essent, Tecum animo volutasti, vltis es liberalitate, atque magnificentia regia, in homines eruditissimos: ut nihil Tuis ciuibus, Tuisque nationibus, & populis deesset; quod ad cumulandam illorum felicitatem, maxime pertineret. Hinc, non solum domus Tua regia, doctissimis hominibus abundat, quocumque in tempore, & in quocumque genere litterarum; verum etiam Tibi concilias omnes, quicunque in singulis orbis terrae partibus reperiuntur; eosque, tanta clementia regia, tamque multis ac magnis prosequeris muneribus; ut illi, relictis rebus omnibus; aut aduolent ad Te, tanquam ad alterum ALEXANDRYM Macedonem, aut CAESAREM AVGVSTVM, salutandum; aut, si quo casu impediuntur, ne possint proficisci: tanto amore Tui, regiarumque virtutum, absentes capiuntur; ut more amantium, de Te, deque Tuis rebus pulcherrime gestis, aut in coronis hominum quotidie loquantur: aut scribant multa de Te domi suae, tanta cum elegantia, & copia; ut facile appareat, quid amor summus possit in rebus humanis: & quam saepe soleat eos, qui nec ingenio multum, nec doctrina potuerunt antea, sic stimulis vrgere grauioribus; ut, dum amatae rei gratificari cupiunt, de re amata, in scribendo se superent: mutationem illorum, in multo melius, tam celerem, tamque repentinam, non modo reliquis omnibus: sed istis ipsis, qui tot egregia, praeter vires solitas, conscripserint, admirantibus.

VII. Neque solum, hoc vno argumento, Rex sapientissime! omnibus declarasti; quam pulchra, quamque bona meditaris intra Tuum animum; sed aliis, atque pluribus. Nam, cum non tam prudentioribus ipsis; quam populo & multitudini satisfaciendum esse iudicares, ea templa, immortalis Deo dicata condidisti quae non modo digna viderentur, in quibus superiorum memoria celebraretur maxime; verum etiam, ut ab illis ipsis purioribus superiorum mentibus, assidue incolerentur: ut de penetibus regis taceam: cum tanto auro istos exornaueris; ut exsuperare facile regum reliquorum, qui viuunt; domicilia existimentur. Hic ego non dicam: quibus aula regia laqueari-

bus,

bus, quibus ornatibus diuersorum generum, exulta quidem, atque honestata fuerit: nam dies me deficiat, si velim singula complecti oratione mea: tantum adfirmabo; nihil esse in Tuis penetralibus ornatus, quam hunc locum, atque hanc partem aedium regiarum, in qua libri collocandi sunt eorum, qui doctrina, & ingenio, dum hac vescerentur aura, ceteris praestiterunt. Quod abs Te factum est, non tam pro facultate quadam, & copia regia; quam optimo consilio, & ratione maxima. Cum enim, ab immortalis Deo, nihil maius, nihil excellentius, nihil conducibilius, nihil homini melius, datum esse cognouisses; quam ipsam sapientiam; quae lucet in Te plurimum: voluisti Tu quidem, Rex sapientissimus, sacellum sapientiae, in quo illa, tanquam Dea quaedam coleretur, intra regalia tecta esse: tanto excellentius, atque partem domus Tuae regiae, quam habitaret illa, tanto iudicasti debere abs Te fieri, ceteris pulchriorem; quanto magis sapientia praestat, donis quidem, atque muneribus omnibus, quae a superioribus, in homines collata, peruenerunt. Itaque, miro quodam artificio, sunt instituta Tibi tabulata ornatissima, triplici quodam ordine; in quibus edita volumina hominum doctissimorum, in quocumque genere litterarum, exponerentur: atque adhibitae cortinae, ex auro, per artem intertexto, & purpura confectae; quae libros, a situ & puluere subtiliori, vindicarent. In parte ima, quae pauimentum attingit, collocata sunt scrinia, graui arte laborata: in quibus volumina, quae in tabulatis superioribus, prae multitudinae, locum non haberent, plura simul conderentur. In medio aulae, tales positi tripodes, in templo Apollinis quales extitissent: quod non minus conuenirent in penetralibus sapientissimi regis, quam in aede Apollinea prius conuenissent: quorum alter, praestandae sapientiae Deus haberetur; alter vero sic auctor conseruandae sapientiae, atque honestandae, ita ut est, ab omnibus existimetur: ut mira quaedam inter vtrumque regem, atque Deum: similitudo esse videatur.

VIII. His igitur sedibus, ita constitutis, quibus accipienda essent diuina illa ingenia, quae multum floruerunt in studiis litterarum: adductus sum; ut, per enumerationem quandam, Graecos prius scriptores enarrarem; in secundo loco Latinos exponerem; in tertio, qui religionem CHRISTI sunt sequuti, explicarem. Vbi vero sunt a me, quos memoria mihi subministrare potuit, enumerati omnes: conatus sum docere pluribus argumentationibus, bibliothecam TVAM regiam, MATTHIA Serenissime! non tam reliquis numerosiore; quae haecenus fuerunt, quam praestantiore quoque, multoque esse meliorem. Siquidem, ad Graecos, & Latinos libros, quos possedit antiquitas, quosque ipse collegisti, accedant etiam religionis nostrae libri, pene innumerabiles, tanto acumine ingenii, tantaque humanarum rerum, diuinarumque scientia compositi; ut, vel iudicibus illis priscis, si fieri posset, scriptoribus, qui ante, quam CHRISTVS terras humiles peteret, existerent, multis modis, multisque rationibus, & numero, & bonitate

biblio-

bibliothecæ Tuæ, bibliothecas veterum sis superaturus: vt de ornatibus taceam, qui adhibentur in Tuam: qui tanti sunt, atque tam egregii, vt a nullis, non dicam exhiberi, sed ne cogitari quidem valeant præstantiores.

IX. Quam ob rem, cum in vno Te, non modo Italia tota, sed exteræ quoque nationes; omnium virtutes, priscorum regum facile recognoscant, mirandum non est: si Te omnes prosequantur diuinis laudibus; si Te, veluti numen quoddam, in terras calitus ad nos missum, venerantur; præsertim, cum hoc de Te non modo homines faciant iudicium; Musæ quoque, immortales quæ sunt, de Te, idem sentiant, & re probent, atque confirment plurimum: cum Te propter, dicantur sedes priscas deseruisse pierides, vt Tecum sint, Tecumque conuersentur. Neque, me hercule, iniuria: cum neminem adhuc, quam Te, indulgentiorem hospitem inuenerint. Cuius rei, argumento nobis esse possunt, cum alia complura, tum hoc, vel ante omnia; quod gemini fontes illi, abs Te sunt parati, pro vno veteri pegaseo fonte: in quorum altero, Musæ, sub sydere cancri, se aqua lauent frigida; in altero, vnda sese foueant calida, eo tempore, quo terra riget niuibus. Huc accedit: quod alia quoque de causa Musæ Tibi se debere fatentur: & quod ornaueris alumnos earum, multis modis; & quod eos sedibus pulcherrimis, in aula Tua regia, donaueris; quamquam illi, tanti abs Te suscepti beneficii, non immemores, habebunt per se ipsos aliquid, quo Tibi, Regi sint magnificentissimo liberalissimoque gratias relaturi.

X. Nam, felices animæ, quæ CHRISTVM in terris coluere, ab eodem impetrabunt, pro beneficiis, in eas abs Te collatis, felicitate hominum in terris, vt potiare; in superis, æuo fruaris sempiterno, cum illuc Te contuleris. Ceteri vero, qui procul a CHRISTO fuere, & qui eius religionem minus sequi potuerunt; quique, vt credidit antiquitas, in elyis versantur; mentem, atque animum suum, inspirabunt Poetis, qui modo viuunt; vt Te laudent pro meritis; & quæ gessisti, mandent litteris: sed iisdem numeris, iisdemque carminibus; quibus, aut HOMERVS, Achillem; aut VIRGILIUS, Augustum, immortalitati commendauit: vnde, non tam in superis sedibus; quam in terris etiam humilibus, MATTHIA Serenissime! ab omnibus celebrare. Hic igitur est finis, quo mecum in Te scriptum carmen, & quod nunc ad Te mitto, terminatur: quod si TIBI, Regi sapientissimo, atque magnificentissimo, fuisse gratum sensero; sic bellicas Tuas laudes adtingere audebo; vt omnes homines intelligant, me totum instituisse, ad CORVINÆ familiae decus, celebrandum: idque ita, vt omne ingenium meum, omnesque vires, & animi, & corporis, vni Tibi, per vniuersum tempus vitæ, sim dedicaturus.



NALDI NALDII FLORENTINI,

DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,

CARMINVM,

LIBER PRIMVS,

AD

MATTHIAM CORVINVM,

PANNONIAE REGEM SERENISSIMVM.



*Q*um mihi CORVINVS, caelesti e sorte canendus
Sic ratione datus; cum sit Rex maximus horum
MATTHIAS regum; latus, qui ex ordine facti

Arte regunt terras: cum pace insignis, & armis

5. *Ille sit, atque parem, partes se præstet in ambas:*

Me dubitare facit; quæ prima exordia sumam?

Aut, quod principium, tantis modo rebus, habendum

Esse putem? referamne prius, quam fortia bella

Gesserit; & victor quotiens superauerit acer

10. *Non modo; sed duos, iuga ferre coegerit, hostes?*

Anne prius memorem: quantum colat otia pacis

Optanda? quantum tribuat bonus ille quieti?

Atque nouem Musas, quanto veneretur honore?

Incertum quid agam? prius est: vos ergo puella

15. *Pierides! sedem, Permessi ad fluminis vndas,*

Quas habuisse serunt; precor aspirate canenti.

Quæ potius vobis nunc incipienda videntur?

Quæue canenda prius: nam quod statuetis: id ipsum,

Exequar; atque duces hinc vos imitabor honestas.

20. *Vix prece finita dixi: cum numen amicum*

Adfuit; atque nouem referens mandata sororum:

Hæc, ait: Aoniis sententia visa puellis

Est modo; cum nimis hæc, tantarum copia rerum

Vrgeat ingenium; nimiumque laboris in omnem

25. *Postulet hanc operam; grauius ponenda canendis*

Quæ foret in rebus: quas gessit Marte secundo

Acribus in bellis, princeps CORVINVS, & armis

Fortis; cumque domum victorica signa reportans

Hæcenus exstiterit semper: celebresque triumphos,

30. *Ipse Iouis summi palmata in veste resurgens,*

- Duxerit in curru, MATTHIAS uetus eburno:
 Quae gerit ille domi: quae gessit tempore pacis:
 Quae mentes hominum possint mulcere quietas:
 Quae studiis, alimenta, bonis, tam multa parauit
 35. Instaurare, bonus, nostris, placitura, camenis.
 Ista priora tibi; potioraque NALDE putabis:
 Tu, quibus intendas neruos; animunisque uolentem
 Applicuisse pares. At tunc grauis, horrida, Martis,
 Arma canes; acrisque uiri, praestantia facta:
 40. Tempora, cum tantis, mox aqua laboribus, olim
 Sint concessa tibi; cum Iupiter ista notare
 Te uolet; & tantis, uolet interponere, rebus:
 Temporis angusti, quia non ea gesta putantur
 Esse; nec ingenium tardum, mentemque requirunt
 45. In geminas, quae se male diuidat anxia, curas
 Mox: ubi desieris res commemorare quietas;
 Finierisque modis placidis ubi dicere facta
 Mlitia; CORVINVS quae gessit Apollinis arte.
 Fortia, sic grauibus numeris memorabis; Homerâ
 50. Concelebranda tuba uatis: sic carmina plectro
 Aptabis recinenda nouo; sic Martis in acre
 Te exercebis opus; sic regis facta repones
 MATTHIAS; populos, quae commemoranda, per omnes,
 Acribus in bellis gessit fortissimus heros:
 55. Ut tibi tunc liceat lato, decurrere campo,
 Cuius equos spatio, uates duxere priores:
 Hucque tuos; ubi mars seruet: deducere currus.
 Tumque coturnato, dignissima, uate referri
 Permittam; numerisque tuis, & carmine dici.
 60. Interea, ne quid praetermississe puteris:
 Ex his, MATTHIAS: quae gessit amica quieti
 Plurima; quae in patrios populos statuisse benignus
 Dicitur; ingenioque graui, bonus artibus idem
 Ingenuis: penitus referes quam mitis in omnes
 65. Ille sit; & Musas, quam sit ueneratus, amicas.
 Quotque, suis opibus, sibi conciliare pararit
 Doctrina insignesque uiros; artisque magistros
 Egregias; quoscumque uelis: quoscumque requiras.
 Hec ait: & subito tenues discessit in auras.
 70. Hinc mihi Pierius, mentem, calor impulit; haec ut
 Facta prius memorem: quae Rex CORVINVS agenda
 Pacis in ornatus inssit, statuitque futuros:
 Nam, cum pace quidem, belloque, sit aptus & armis,
 Viribus indomitus; cum sit uel utrumque sequutus,
 75. Praestat utrumque bonus pariter uel paco, uel armis.

Poscit,

- Poscit, & a nobis, haec utraque facta, vicissim
 Dicier: at prius haec dicantur: ut ordine primo,
 Otia, quae teneant in se: gratamue quietem.
 Ultimus, in bello nam sit cum, finis habendus:
 80. Hostibus enictis, optata ut pace fruamur.
 Omnia, CORVINVS: semper facienda patauit,
 Quae referunt pacem; quae pacis & otia seruant.
 Quod facere ut posset melius: sapientia primum
 Est suscepta duci, prius & sapientis honestos
 85. Sumpserat hic habitus: doctos ueneratus, & omnes
 Inde uiros; quotcumque forent, ubicumque manerent.
 Hinc: se componens ad habendas protinus artes
 Ingenuas, nouit quid fert doctrina, quid acer
 Grammaticus; rhetor quid agat; quae tempora rerum
 90. Prisca fuere prius; moresque suere probandi.
 Bellica res, quantum fama dedit, ipsa gerenti
 Fortia bella duci, prudentibus acta ministris,
 Militibusque illis, qui fortiter omnia tentent.
 Publica res etiam, quae sit ratione regenda,
 95. MATTHIAS nouit sapiens CORVINVS; ab ipsis
 Exemplis hominum: non tam, quos protulit atas
 Acta prior; quam quod multo sapientius ille
 Consilio, patriamque suo; patriosque penates
 Temperat; antiqui quam confecisse putantur,
 100. Reges atque duces: quibus est data cura tuendi
 Orbis; & imperio, qui rem populosque regebant.
 Adde; quod historias ubi nouerat ille uirorum;
 Quicquid, & in terris, MATTHIAS: quicquid in orbe
 Conficitur latio: seu quicquid solis ad ortum;
 105. Quicquid ad occasum geritur; seu quicquid ad austrum
 Fiat; & ad boream: postquam bene nouerat ille,
 Mente quidem celsa: quam sit domus ampla deorum,
 Hunc didicisse iuuat: leo quid sibi querat in altis
 Sedibus; & quicquid Virgo sibi poscit honoris:
 110. Tunc, ubi Mercurius coniungitur ordine pulchro
 Saturnoque graui, leuis ille; Iouique benigno:
 Quid ferat alma Venus, pulcherrima sola dearum
 Latitia: quid Luna frequens; quid Sol & amicus
 Adferat ipse boni: quid & aduersarius idem
 115. Ipse mali tribuat nobis: quid triste minetur
 Mars dum bella gerit: dum saeuus & arma ministrat
 CORVINVS sapiens, excelsa in mente repostum
 Sic tenet: ut nihil hunc possit latuisse, quod instat,
 Quod manet in fati: quod sit per inane uolucra
 120. Acri immensi, quod per loca cuncta futurum

Gggg 2

Pen-

- Pendet: & a superis caussis generatur in horas.
 Hac bene MATTHIAS cum nosset, in omnia solers
 Addidit his alias artes: sanctosque poetas
 Complexus tanto semper veneratur honore;
125. Regia CORVINI domus ut sit ubique referta
 Vatibus egregiis: qui maxima facta canentes
 Illius insigni meditantur ab arte decorem,
 Illius ac referunt laudes virtutibus aptas
 Non aliter, quam cum terras hominesque regentem
130. Augustum, multi vates doctique canebant:
 Dicentes grauiore lyra sic gesta merentis
 Præmia summa ducis terra, cui paruit orbis.
 Extet ut in terris laus immortalis in illum
 Inque illum maneant præconia laudibus aqua,
135. Dum sol occiduas sese demergit in undas.
 Hinc bene, qui veteres quicquid scripsere pelagii
 Transferat in latium Picens ANTONIUS ille
 Doctus adest, aperitque tibi Rex cuncta iubenti
 Grecia que scripsit: datque illa legenda latinis.
140. Hinc quoque qui versu tua maxima facta reponat
 Concelebrant gemini CORVINIA limina vates
 Cinthius est quorum pariter vocitatus uterque:
 Sit quod uterque pius muse phoebique sacerdos,
 Dignus uterque Tuos qui carmine dicat honores,
145. Nec satis hoc fuerat: nisi Rex CORVINUS & illud
 Adderet; ut natura tulit quod maxima rerum
 Mater, & in terris genuit, quod ubique ferendis
 Noscat: & arboribus cur frondes vere tepenti
 Instaurare parat superis Deus altus ab oris
150. Iupiter: & rebus qua caussa sit apta creandis
 Vere nouo potius: quam tunc ubi serbuit aestas
 Torrida, cum reddit steriles male Sirius agros.
 Ista tenet melius quoniam CORVINUS & illis,
 Non modo, qui populis presentes iura ministrant,
155. Sed qui iam dudum terras coluere iacentes,
 Imperioque suas orbes fecere beatas.
 Nec latet hunc regem, rubrum quid & vna colorem
 Contrahit auctumno primo: cur pomifer annus
 Inde sit in medio: vindemia fiat eodem
160. Tempore cur potius; quam cum riget aspera bruma
 Continuis niuibus, glaciem cum stramina trudent.
 Quin etiam sic alta sapit: sic alta requirit
 Semper: & ingenio sic omnia cernit acuto:
 Qua latuere viros nomen sapientis adeptos
165. Grande sophos, quamuis vitam cupiere per omnem:

Et

- Et licet agnorint quid sit, quid critque, fuitque
 Mortales inter: quid & imo fiat in orbe.
 Nam quorum caussa nota minus ante fuere;
 Efficiunt dubias dum cæca tonitrua mentes:
170. MATTHIAS sapiens hac iam deprendit; & audet
 Ingenio caussas inuestigare latentes;
 Cernere, quas homines nondum potuere vetusti.
 O res mirandas, dum delectantur ineptis
 Rebus, & in vanis alii consumere tempus;
175. Quod multo constat suluo pretiosius auro,
 Dum cupiunt: curam grauioribus ille gerendis
 Impendit, Musus noctesque diesque sequutus,
 Quicquid ab armorum strepitu superesse videtur
 Temporis, in studiis penitus consumit honestis.
180. Quid referam moresque probos, quibus ille prius se
 Composuisse parat: docet hinc naturæque domumque
 CORVINAM: ut faciant illud, quod & unica virtus
 Socraticumque sophos monuit ratione magistra;
 Quodque PLATO tradit doctrina insignis & arte:
185. Namque magister erat mediis qui natus Athenis,
 Quemue suis adytis sapientem dixit Apollo:
 Hic mores cælo castos reuocauit ab alto
 In terras primus, docuit iuuenesque senesque,
 Quo se quisque modo, patriamque domumque gubernet,
190. Purgatusque procul vitio tueatur ab omni,
 Atque pios in res animos, ut præstet agendas:
 Ergo ubi Socraticis imbutus pectora chartis
 Omnia percepit, qua nos ratione tuentur
 Turpibus a cunctis; quibus ac mens ipsa beatos
195. Adsumens habitus similis sit ubique deorum,
 Qui superas habitantque domos; similisque supremi
 Fit Iouis in terris: tantum valet aurea virtus,
 Hæc ubi MATTHIAS igitur suscepit honesta;
 Impleuitque animum dictis sapientibus acrem:
200. Egregia rhetor quod Quintilianus ab arte
 Orandi docuit; Cicero quod præstitit auctor
 Dicendi summus; voluit didicisse per artem:
 Possset ut in populos, hæc ipsa referre monendo,
 Que prius intra se meditatæ agenda putasset.
205. Omnibus ille viris, qui regia iussa facessunt,
 Vitæ quodque foret, patriæque suisque sibi que:
 Intra se sapiens, quia qua meditatur; ab ore
 Sunt dicenda graui, penitus referendaque verbis
 Dulcibus: ut cunctos sententia ducere possit
210. Blandior ad rectos sensus, grauiorque futuros.

GGGG 3

Hinc

- Hinc quodcunque sapit per se, quodcunque latenti
 Inuenit ingenio, princeps quocunque requirit;
 Illud idem populis cunctis persuasor honesti
 Pandit: & id verbis grauioribus inflat agendum;
 215. *Vt cum suscipient homines, qua verba loquetur
 Optima, cumque geri pulcherrima facta videbunt
 Rege sub inuicto: verbis imitentur eundem
 Non modo; rebus agant illum sed ubique gerendis.
 Ergo ubi composuit tot se CORVINVS honestis*
220. *MATTHIAS studiis; animum postquam ipse repleuit
 Artibus ingenuis; uxorem duxit habendam:
 Qua comite hac ageret, qua publica cura requirit.
 Nam Rex vt posset melius dare cuique petenti
 Consilium; posset melius regnare; BEATRIX*
225. *Sumitur in sociam regni, prolemque futuram:
 Alphonsi regis summo de sanguine creta,
 Qui septem sibi regna ferox coniunxit in vnum
 Protinus imperium, septem domitavit & oras
 Consulibus populi rerum ducibusque regendas:*
230. *Militie sic doctus erat, dum bella ministrat
 Milite cum forti; dum victor ab hoste triumphat
 Strenuus; ac patrios auget virtute penates.
 Inde Beatrici Ferrandi a stirpe profecta.
 Vxori, tantum tribuit sapientia magni*
235. *Consilii; tantum prudentia praestitit artis:
 Nouerit illa, nouem, vt quicquid docuere, Camena.
 Scriptores priscos; quodue inspirauit Apollo
 Mentibus illorum; satis hac agnoscit: & illud
 Quod monere viri, de CHRISTO digna loquenti,*
240. *Non fugit hanc; verum illud idem tenet usque repostum
 Pectoribus mediis, atque in mente BEATRIX
 Regina, & relegens noctesque diesque, quod ipsi
 Christicola dederant: mentem purgavit ab omni
 Illa quidem vitio, sacroque replevit amore*
245. *Virtutis sic: vt quicquid canit omnibus horis
 In templis CHRISTI cultor, castisue sacellis:
 Illud idem canat ipsa DEO, repetatque frequenter
 Carmina, perpetuos CHRISTO repetenda per annos.
 Vt sacri canonesque docent, cactusque sacrorum*
250. *Pontificum, statuens mandauit in acta referri.
 Hinc nihil egregium Rex pertractauit agendum;
 Quin bona consiliis, accederet illa marito
 Proxima; consuleret dubiis regina gerendis
 Rebus; & imperio quouis ea digna tenendo,*
255. *Visa foret populis, aptissima facta, regendis.*

Ergo,

- Ergo, ubi iam partem Rex procurauit in istam,
 Coniugis ingenium postquam quasuit, & artem
 Vt bene cuncta sibi cedant, bene cuncta gerantur.
 Coniuge de tali, qualis concessa fuisset
260. *Munere diuino, natum sic deinde IOHANNEM
 Erudit in patrias urbes, hominesque regendos:
 Ne quid, ad exemplum, populis graue: desit habendum:
 In quod suspiciant, dum se patriamque domumque
 Composuisse volunt: duro vel ab hoste tueri.*
265. *Nam quales primi, talis quoque turba resultat
 Urbibus in cunctis; primos imitatur & ipsum
 Vulgus; vt edocuit sententia dia Platonis.
 Vt primi starent igitur: quos turba sequatur
 Cetera, quos reliqui ciues imitentur ad unguem,*
270. *Talibus institui natum iubet artibus ipsum,
 Rex, quibus instituit sese; quibus optimus auctor
 Factus adest: dignus, terra cui pareat orbis
 Dignus, & imperii, cui iam tribuantur, habena;
 Consilium cuius similis fortuna sequatur.*
275. *Et fuit, & cura genitoris adhaesit amica.
 Nam dum forte cupit puerum iuuenilibus annis
 Edocum fieri, curam dum versat, & omnem
 Prorsus in id studium: Studio dum totus in illo est,
 Rex bonus; vt melior natus foret inde parenti.*
280. *Illuc ecce venit latia de gente profectus
 Taddæus, celo tanquam demissus ab alto.
 Patria, Bebrico genuit quem Parma sub orbe;
 Cui genus egregium, domus est Vgoletta creatrix,
 Et qui non hominum nutritus lacte; sed usque*
285. *A puero grauior musarum cura fuisset.
 Namque ubi progenit Taddæum mater, & illum
 Edidit in lucem; subito rapit vna sororum
 In nemus umbriferum; ramos ubi tendit opacos
 Semper, & aeternum vinit parnasia laurus:*
290. *Illic res hominum docet hunc, res atque deorum
 Musa volens; ducitque frequens ubi fontis in vnda
 Se lauet hac; doctæ, qua se lauere sorores
 Aestibus in mediis, phœbo modulante per artem
 Carmina diuina, Musas ubi mulcet Apollo*
295. *Vocibus ad vytharam placidis, fidibusque canoris.
 Ergo pieridum monitus, ac iussa sequutus,
 Ille diu fuerat postquam sub Apolline dextro;
 Pannonias doctus sese Taddæus in oras
 Contulit: vt puerum caperet: qui regius esset*
300. *Filius, huncque docens satis inflammaret ad artes*

Inge-

- Ingenus; & ad id solam, quod semper honestum
Ducitur a cunctis, iustumque putatur in omnes.
Traditur ergo viro, puer instituendus, ab arte
Pieria cui tantus honos, reuerentia tanta.
305. Stabat in hunc, a quo fuerat praecepta IOHANNES
Sumpturus, fueratque bonas ducendus ad artes
Regius ipse puer: nihil ut tentaret in illum
Præceptor sapiens; nihil atque doceret agendum;
Quin puer arripiens alta quoque mente locatum
310. Conderet, in rectos habitus ubicunque futuros.
Præsertim, cum tanta foret concessa IOHANNI
A duce natura iuueni prudentia rerum;
Possit ut inde senes etiam superare, videndo
Qua facienda prius, que post agitata manerent;
315. Rebus & in dubiis potius quid ubique gerendum
Esset; in imperio quidnam præstaret habendo.
Ingenio penitus tanto fuit inde IOHANNES
Præditus, ad Musas tantus fuit ardor eundi;
Vt duce Taddæo, cuius præcepta sequutus
320. Exitit ille puer; cura, studioque perenni
Hauferit ex Heliconis aquis, quodcumque furore
Diuino afflatus, veteres cecinere Poeta.
Quicquid & orator nobis dedit ore rotundo,
Aduocat ipse reis dum tristi a peste tuendis,
325. Hos stimulus quotiens causa grauioris adinget,
Et facit in rebus dubiis, pallere sub acri
Iudice; dum metuunt: quemnam sententia finem
Euentumque ferat, damnet, soluatne trementes:
Vsq̄ adeo dubii tristissima iudicis ora,
330. Vt sibi donari vitam, mœstique precantur
Squalentesque, rogent veniamque petantque salutem.
Sub duce, præterea: didicit CORVINVS eodem;
Quid sibi Grammaticusque velit: meditetur, agatque
Partibus in cunctis: quid vox, sonus, atque requirat
335. Quid tonus, accentusque ferant, quid littera signet
Tam variis distincta modis, variisque figuris;
Inde queant homines ut rite notasse per artem.
In summo, tandem: quot sunt errantia celo
Sidera; quot varios cursus, variosque recursus
340. Conficiant, seu recta ierint, seu ducta retrorsum,
Diuersas agentque vias: an grata ministrant,
An mala dira ferant caussis grauioribus acta:
Saturno quotiens coniungitur orbe propinquo
Mars grauis, ac cades hominum parat inde cruentas.
345. An ferat alma Venus nobis, Ioue iuncta benigno

Euen-

- Euentusque bonos, & vota cupita secundet.
Ista quidem veterum quoniam monumenta dedere
Historia veteres, variis dum littera signis
Cuncta notat, qua mens hominum diuersa requirens
350. Inuenit; atque, aliis etiam memorata relinquit.
Hæc ubi CORVINO dederat præcepta IOANNI;
De prisco ducens latius Taddæus eundem
Edocuit grauos etiam recludere fontes.
Vsq̄ adeo, puer ut legeret; quacunque fuerit
355. Scripta per auctores, quos Gracia protulit olim,
Vates atque bonos, oratoresque supremos.
Non aliter, quam si mediis hic natus Athenis
Esset, & hinc oculis percurrere singula posset;
Qua quis apud Græcos grauis ante reliquerit auctor,
360. Diuersisque modis, variisque notata figuris.
Hæc igitur CORVINVS habens, ubi cuncta IOHANNES
Condidit; atque alto, seruauit pectore fixa:
Quanta, patris latam, tentarint gaudia, mentem?
Carmine, non datur, ut possim memorare: quod acrem
365. Spectaret natum, tantis iam rebus adauctum;
Tamque bonis studiis, mentem satiasse profundam:
Vt sibi per similem, iam duceret esse futurum
Ingenio; virtute noua; meritisque ferocis
Corporis, atque animi: grauioribus, inde putares,
370. In cunctis; vires, animosque referre paternos.
Ergo: letus erat genitor, tot inesse IOHANNI
Optima; quot nulli adsuerant de stirpe priorum:
Letus erat populus; quod regis adesse videret
MATTHIÆ sobolem tantam, tantisque refertam
375. In genus omne bonis; ut crederet esse futuram
Dignam, qua patriis virtutibus obuia solers,
Iret; & in regno succederet vna parenti.
Præcipue letata fuit gens omnis; & vna
Quisque vir ex illis; quos nunc Coruina tellus
380. Sustinet; impertioque regit, tenet atque volentes:
Quod tribus, exemplum caperet, de regibus, amplum;
De Patre, de Nato, de te regina Beatrix:
Quo bene se primum, patriamque, domumque, genusque
Legibus instituatque bonis, ac moribus aureis.
385. Nam veluti natura, prius prospectat in ipsum
Auctorem mundi primum, rerumque potentem;
Cernat ut exemplum formarum: in mente repostas
Quas habet ipse Deus; donec generentur in orbe.
Possit ut inde, cupit quidquid natura creatrix,
390. Sumere; & in varios habitus, variasque figuras

Hhhh

Duce-

- Ducere; ut hinc varia forma videantur inesse
 Omnibus, inque vicem per tempora certa creandis.
 Sic omnes, ciuesque Tui, iuuenesque, senesque;
 Omnis, & imperio, quicumque vir, usque libenter
395. Paret ubique tuo; partes, quicumque sequutus
 Dicitur esse Tuas; quisquis tua iussa facessit;
 Obsequiturque tibi, penitus quicumque, iubenti:
 In te MATTHIA primum; natumque IOHANNEM
 Spectat; in uxoremque Tuam, rerumque potitam
400. Auspiciis paribus, regni sociamque gerendi:
 Ut queat ex tribus his, quæ sit cognoscere virtus;
 Ut queat exemplum, rerum, capere inde, bonarum,
 Quisque, vir egregium; dum se, reprimique domumque
 Omnibus a vitis, patriamque tuetur ab hoste.
405. Ut Tibi propositum fuerat; diuinitus ante:
 Cum regnum firmare tuum, rerumque potiri
 Perciperes virtute graui; sapientia, cum rex,
 Monstrabat facienda Tibi, quacunque fuissent
 Optima; ne quid agens gereres, sapientis habendum
410. Quod non esse putent homines: imitentur & idem.
 Nam meliora, forent hæc ut Tua secula, princeps:
 Ornasti primum sic Te, natumque IOHANNEM
 Moribus egregiis; sic arcessita BEATIX
 Vxor habenda Tibi, virtute insignis & arte:
415. Ut possint homines spectare, quid afferat usus
 Cuique bonus; per vos, quid possit, & aurea virtus,
 Ferre boni reliquis: per vos bene cognita primos.
 Hac ubi facta Tibi; quibus expurgatur ab omni
 Labe quidem peccatus; quibus ad meliora resurgit
420. Optimus in vobis animus: super alta leuatur
 Sidera, mortali neglecto corpore: vestrum,
 Fit quibus, ingenium præstantius; inque deorum
 Exercens rebus sese; mortalia temnit.
 Consecratis igitur: quibus est mens candida vobis
425. Facta quidem pulso vitio, virtute recepta:
 Omnibus ut pateant, quæ tu meditaris, & intra
 Pectora, quæ tecum sapienter agenda putasti;
 Exagitans, & quæ tecum tractaris in imis
 Sensibus: hic, ubi stans, viget in præcordia virtus.
430. Urbibus in multis, stant condita templa Deorum;
 Urbibus in multis, educla palatia cælo
 Stant CORVINE Tibi; stant regia tecta, superbis
 Aedificata modis; sumit domus alta penates,
 Aurea facta Tuos; rerum monumenta tuarum.
435. Nam tua, tam multis ornata decoribus, aula;

Tam

- Tam miris confecta modis, atque artibus: una
 Omnibus ostendit, quæ mens, animusque quis extat,
 Hinc Tibi MATTHIA! quam nunc aquasse videris
 Calicolas virtute Tua; meritisque supremis.
440. Quisquis enim tabulata videt, laquearibus aureis;
 Quisquis item, paries, quo marmore fulgeat omnis,
 Ut testudo sedet grauibus suffulta columnis;
 Cernit & egregios thalami genialis honores:
 Admiratus eos; irabit ubique, virorum
445. Has non esse domos: verum hæc Ioue digna videri
 Omnia; qui terras, cælum, mare, temperat equis
 Legibus; & mundum pariter se miscet in omnem.
 Sed licet hæc ita sint; abs Te vulgata per omnes
 MATTHIA populos, tam miro exculta decore;
450. Sumptibus atque Tuis, ita facta superba ferantur;
 Ut superent, quacunque alii, regesque, ducesque
 Aedificare solent: quicquid struxisse domorum
 Consuevere prius; tamen hæc meliora putantur;
 Artibus atque magis variis exculta nitescunt
455. Hæc loca nunc: ubi certa manet, statioque parata est
 Omnibus, ingenio, qui iam nituere, supremo;
 Ingenuasque boni, vitam excoluere, per artes;
 Scriptis, quique suis docuere, quid esset agendum
 Cuique viro, cultus, vita, quis honestior esset;
460. Quis modus in rebus; quid fas optare; quid aut nos
 Vitauisse decet; ratio quid ubique requirat
 Rebus in humanis; melius putet atque gerendum
 Sanctius ex cunctis; homines ubi iure quiescant.

NALDI NALDII FLORENTINI,
 DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,
 CARMINVM,
 LIBER SECVNDVS,
 AD
 MATTHIAM CORVINVM,
 PANNONIAE REGEM SERENISSIMVM.

Quadratus, mediis, locus in penetralibus ergo
 Existens, cameras testudine sustinet altas
 Incurua; paries, quam cinxerat undique fortis
 Decocti lateris, durique a robore saxi;

5. Cui gemina lucem fundunt a fronte, fenestra.

Hhhh 2

Com-

- Composita vitreisque coloribus: in noua certe
 Cunctis, qui veniunt illuc, spectacula rerum,
 Inter utramque manens, ima sub parte resedit
 Lectulus, auratis stratis: ubi regius heros
 10. Sape solet placidam membris, captare quietem.
 Ostia bina manent illic: quorum altera mittunt
 Intro quosque viros; mittunt quorum altera regem,
 Inde foras; quotiens secreta in sede locatus
 Solus adesse cupit sacris, hymnisque canendis:
 15. Atque triplex muri facies; qua restat ibidem
 Integra, neue aliis vllis obnoxia rebus:
 Illa triplex, triplici tabulatum ex ordine sumit
 Arte laboratum, fului splendentibus auri
 Bractea, quod pinxit foliis; tenuisque resulsit
 20. Auratis: hac facta quidem pretiosa, metallis
 Non ego narrarim, quanta exornatus ab arte
 Ille locus fuerit: prisca fuit Alchimedontis
 Ille operi similis; vel Mentoris artibus idem
 Par fuit egregiis: nec plus valuisse feratur
 25. Dedalus ingenio; quam qui se exercet in illis
 Celandis lignis, incidendisque figuris.
 Iure quidem; quoniam tabulati quilibet ordo
 Ternus inest, libros asseruaturus honestos
 Scriptorum; quos & doctrina insignis, & ingens
 30. Gloria tollit humo, superasque attollit in oras.
 Quid referam, textas auri sub tegmine vestes?
 Purpureoque simul, pariter variata colore:
 Quid memorem scutulata, modis splendentia miris?
 Ex quibus imperio regis, cortina per artem
 35. Facta nouam, circum diuina volumina texit
 Omnia: ne puluis libros, aurataque terga
 Deturpet, maculetque grauis, fulgentia late;
 Non minus aurigero, quam sol ubi surgit, ab ortu,
 Et mare collustrat radiis, terrasque iacentes.
 40. Inde capax, locus hic foret, ut magis; undique cingunt
 Scrinia Thirenni confecta ex arte magistri,
 Tam bene, tam faciliq; nota, manibusque peritia:
 Ut quacunque manent illic, perfecta putentur
 Partibus ex cunctis; ut regis facta supellex
 45. Debit esse quidem: terra cui debitus orbis
 Est modo; cui rerum iam nunc debentur habena.
 In medio, tripodesque astant, vnaque resurgunt
 A terra tales; quales agitata furore,
 Pythia plena deo, prius ascendisse solebat;
 50. Diuinos quotiens monitus simulabat Apollo,

- Vt canat ex adytis, antroque refundat aperto,
 Omnibus illa viris, qui tunc responsa petebant,
 Ostendente Deo: melius quoadcunque futurum
 Effet, & in cunctis quidnam foret inde gerendum,
 55. Quisque vir ut sciret sensuque notaret in imo.
 Rex igitur tales tripodas iubet esse patentes
 CORVINVS mediis lata in penetralibus aula:
 Quod bene conueniant illic sapientis in usum
 Regis, ut in templo tripodes patuere locati,
 60. Cuius Apollo Deus: quo nec sapientior alter
 Extitit in superis; imo neque mansit in orbe.
 Hoc tamen intererat veteresque novosque; quod illos
 Serpentis tripodas pellis maculosa tegebat:
 Hos tegit irradians auri sub tegmine vestis,
 65. Tot gemmis grauib; nitidisque ornata lapillis:
 Ut quicquid Persa reges habuisse putantur;
 MATTHIAM cumulasse putes: sapientia quo sit
 Illustrata magis; propriis sit honoribus illa
 Culta magis, venerata magis: quia non satis illam,
 70. Pro meritis ornare queant mortalia corda.
 Sed tamen, ut potuit rex hanc CORVINVS et ornet,
 Et colat, ut potuit: magno veneratus honore
 Ornauit penitus tripodas; quibus illa supremos
 Accipit auctores super his, aperitque legendos
 75. Illa quidem libros, quos composuere vetusti:
 Et docuere viros, quid habet sapientia primum;
 Quid monet humanumque genus; quid rite gerendum
 Esse putet nobis; aut quid meditetur agendum
 Omnibus illa viris: qui se, patriamque, domumque
 80. Composuisse velint tandem, virtute magistra.
 At licet haec superent, qua nunc facis, ordine longa
 MATTHIA! regum praestantia facta nouorum,
 Quos nunc orbis habet; calo quos phoebus ab alto
 Aspicit; oceanus quos circuit omnibus undis:
 85. Non tamen id mirum est: si qua sapientia, cernant
 Sit tua, nunc homines; quo sis affectus amore
 Rursus in hanc? videant: si nunc meditentur & idem;
 Omnia quam cupias illi tribuisse merenti?
 Qui certe fuerit sapientis nomen adeptus,
 90. Qui reliquos etiam doctos superauit honore.
 Ergo: quis auratas miretur ab ordine sedes?
 Ornatusque loci miretur in omnia summos?
 Cum non hanc homines, quales habet infima tellus,
 Rex habitare velit sedem CORVINVS; at illos
 95. Ingenii meritis, qui sic nituere per orbem;
 Hhhh 3

- Vt mortale quod est, iam deposuisse putentur,
Atque domos superas iam nunc habitare ferantur.
Si quod habet nomen doctrina gloria? Si quem
Fama leuat meritis pro talibus, ardua supra*
100. *Sidera? Si virtus homines facit una beatos?
Ergo: vides illum, tabula qui primus inhaeret,
Qui loca prima tenet; veteres vocitare solebant
Hermen: sed qui Mercurius; ter maximus idem (Trimegistus Merc.)
Dictus ob ingenium: quo claruit ille supremum*
105. *Mortales inter; superis quoque notus in oris:
Scripsit pauca quidem; sed maxima pondere rerum.
Nec mora: subsequitur, rigidas, qui carmine, quercus
Flexerat, & numeris recinens, fidibusque canoris (Corphæus)
Mitia corda feris ita fecit; ut ille canendo*
110. *Cogeret ex altis descendere montibus ornos;
Et volucres cali, suauissima verba sequuta
E siluis, vatemque sequentibus ORPHEA nixa,
Hunc comitarentur terras ubicunque per omnes.
Proximus in tabula, tantoque affectus honore*
115. *MVSAEVS, cunctosque veterimus ante poetas (Musæus)
Incedens teneros Hero memorauit amores;
Tempore, quo tumidum cupidus transire Leander
Aequor, ad incensum lumen properabat amata.
Hinc magis Pierides quem dilexere puella*
120. *Omnibus, & cui plus vati tribuisse feruntur,
Quartus sorte loci sedem tenet: undique circum
Artes ingenueque colunt, venerantur eundem,
Atque repertorem veluti, primumque parentem
Illarum: qua oculis referunt: pariterque sequuntur*
125. *Laudibus hunc ipsum meritis: quis carmen HOMERI
Est ita compositum numeris grauioribus omne:
Hoc ita de multis sententia ducta referat
Rebus carmen idem: quas nouerat auctor, & idem
Inuentor quarum fuerat prior omnibus vnus:*
130. *Vt nihil, aut sapiens fuerit meditatus agendum;
Aut is, ab ingenio qui sidera venit in alta
Cognoscens qua signa ferant; bona quanta ministrant
Astra quidem; seu quot nobis aduersa minentur:
Vt nihil in terris meditetur ab arte serendis*
135. *Agricola; aut is qui malo suspendit ab alto
Carbasa, dum succus voluit sulcare marinos:
Carmine quin vario fuerit complexus HOMERVS. (Homerus)
Adde: quod ante, duces quicquid voluere per artem
Nosse quidem summi, summam didicisse magistro*
140. *Vate feruntur eo: qui maxima facta pelagum,*

Bella-

- Bellaque qui cecinit totum vulgata per orbem,
Troica militibus, cum mœnia diruta Graiis
Ante fuere quidem, tanto celebranda poeta.
Hinc quoque qui patriam bene temperat illius arte*
145. *Doctus cuncta facit, qui gesta notant Achillis,
Meonius quondam dictus; qui Carmina Graecis
Millia multa dedit, nullam subeuntia mortem.
Quis post hunc sequitur? Quis vir tabulata per ampla
Adiacet? Aut pulchro, quis dicitur ordine quintus*
150. *Esse? Quis in tantis sedem sibi sumpsit habendam? (Pindarus.)
Est, ego ni fallor, ni sum deceptus ab illo:
PINDARVS, alatis humeris; aditurus & alta
Sidera: Thaletis qui prima inuenta sequutus
Censet aquam rebus, primordia certa, creandis*
155. *Sorte dedisse noua; qui curribus instat equorum
Carmine narrandis; qui rursus, & ore rotundo
Pythia cantat ouans, & scandit in astra volatu
Ardua, cum terras humiles despectet ab alto;
Omnia cum famam prater, putet esse caeuca.*
160. *Protinus in tanto sedem sibi sextus honore
Inuenit Ascreus vates: cui musa merenti (Hesiodus.)
Adtulit hos calamos; docuit quibus ille canendo;
Terra ferax qualem foret efficienda per artem?
Conuenit hac olea; viget illa ut vitibus apta;*
165. *Vt segetes alibi surgunt; alibique sasetus
Nascitur; & melius venit a radice legumen
Vellendum; si vera docent quos raris habendi
Cura tenet; vel qui proscindunt arua coloni:
Huic comes astat, sub eadem sorte, NICANDER*
170. *Rura canens, rurisque artem, studiumque serendi
Quale sit; aut quando tellus agitanda nitenti
Vomere; cum grauibus sulcanda ligonibus illa
Sit: bene nos docuit praestanti carmine vates.
Quid natura ferat serpentum monstrat; & idem*
175. *Morsibus illorum grauibus medetur; & audet
Ferre, quid in dubiis bene vaticinetur agendum
Quisque vir; & quali verum inueniatur ab arte. (Theocritus.)
Qui numeros, cantusque rudes pastoris inepti,
Atque Siracusio scribit qui plurima versu,*
180. *Pastorale facit Siculis, qui carmen in oris,
Quique greges meminit, caprasque THEOCRITVS auctor
Inde petit sedem CORVINI regis in aula.
Nec nunc ALCEVS, tanto fraudatus honore (Alceus Lyricus.)
Dicitur; auratis namque in penetralibus ille*
185. *Appendet tabula, paries quam sustinet, alta.*

Gran-

- Grande canens carmen, Lyricisque in praelia surgens
Versibus; hic fama cantando inseruit honesta.
Non te transferim, grauib; miscenda poetis (Sapho)
SAPHO, nec ingenio inferior nec versibus aureis:
190. Ipsa licet teneros ardens cantaris amores,
Atque Phaona tuum grauiter conquesta rogando
Feceris insignem; fama super astra ferendo
Alta: rogis lacrymans procul esse nigrantibus illum
Iusseris, & nomen satis immortale Phaonis
195. Carmine reddideris, variis agitata querelis:
Nam tu consorti patria coniuncta, Lyraque
Hesisti merito simul vna sedilibus altis.
Et numerum vatum replesti Sapho piorum,
Inde quidam mira consurgit ab arte SOPHOCLES, (Sophocles.)
200. Atque colurnatis se iactans versibus, altam
Occupat ipse sibi sedem, tabulata per ampla.
Post hunc: ille sedet, Polydori funera vates
Qui graue prosequitur; donec regina dolore
Victa Hecuba insano, canis & furibunda, diu dum
205. Facta quidem latrat, conquestibus omne replenit
Littus; & in lacrymas durissima quaeque coegit
Ire; quidem subitis fuit haec ita territa monstris,
Vidit ubi extincti corpus miserabile nati
Vulneribus fessum, quod littoris vnda tulisset.
210. Post alii plures veniunt sedemque capessunt
Condignam meritis vates, sanctique poeta
Numine correpti: quorum si nomina ponam,
Ipsa dies me deficiat, ne cetera possim
Explicuisse satis, mihi qua referenda supersunt:
215. Cum dicti fuerint, quos inspirauit Apollo,
Sacra nouem, vates, & qui tetigere fororum.
Cura Dei fuerant, populos qui semper in omnes
Grande sophos, nunc qui norunt, sapientia quos &
Admonuit causas inuestigare latentes:
220. Sedibus auratis optata sedilia, querunt;
Et sibi quisque locum cupit inuenisse decentem,
Egregium quorum fuerit qui nomen adeptus.
Socraticusque PLATO venit anteferendus in omnes (Plato)
Ingenio populos; quo nec praestantior alter;
225. Vt sua, qua meditatus erat bonus, omnia late
Scripta docent, longum satis asseruata per aeuum;
Perpetuos eadem satis asseruanda per annos.
Nam nihil ex rebus cunctis sapienter omittit:
Nomine Socratico, quin scribat ubique legendum.
230. Transtulit in latium quem mira edoctus ab arte

Marfi-

- Marsilius nobis Thusta Ficinus in urbe.
Inde Plato, latius factus, monet ergo Latinos;
Vt prius & Graios: quicquid natura deorum
Continet, & superis quicquid tractatur in oris.
235. Inde quidem causas rerum vestigat; & omnes
Edocet: ut quicquid virtus iubet vna, sequamur.
Legibus inuigilatque bonis; quibus ipsa regatur
Publica res: de qua, libros bis quinque, tuenda
Edidit; ut nullos fugerent praecepta gerenda,
240. Atque gubernanda patriae: quam rite bonus vir
Praetulit & propria vita, modo seruet eandem
Incolumem patriam; duro tuetur ab hoste.
Hec, & plura quidem suauiter tam scripsit ab ore
Resque graues, verbis ita miscuit ille notandas;
245. Doctior ut nullus Graios habeatur in omnes:
Alter, & eloquio qui plus valuisse putetur,
Iudicibus cunctis, non inueniatur in orbe.
Proximus huic, sequitur; sub eodemque ordine sedem
Sumit ARISTOTELES: est quem mirata vetustas (Aristoteles)
250. Ille, quod ingenio sic praestitit vnus acuto;
Vt quoscunque libros cuncti scripsere priores
Viderit, inque suos collegerit omnia solers
Scripta veterum; ne quid superesset in ipsis.
Priscorum libris, quod posset in acta referre,
255. Quodque locis posset propriis legisse notatum
Posteritas, posset satis agnouisse, quod omnes
Ante, dedere, sophos veteres; meminere quod ante;
Corpus Aristoteles quoniam collegit in vnum
Omnibus a priscis olim qua scripta fuere:
260. Vt sua lecta forent propria qua ferret ab arte,
In pretioque forent tantum, quacunque dedisset.
Ergo ubi disseruit verbis bene singula acutis,
Ac res inuentas distinxit ab ordine certo,
Omnibus atque dedit Graiis vbicumque legendas:
265. Ille tribus libris tribuit praecepta per artem
Optima, nos quibus & patriam, nostrosque penates
Ad recti normam bene composuisse queamus.
Vnde tot egregias laudes meruisse videtur
Horum iudicio, qui sunt inuenta sequuti
270. Illius in primis: ut vel loca quisque labore
Prima dedisse viro; partes tribuisse priores.
Non te transferim sapiens THEOPHRASTE: loquutum (Theophrastus)
Omnia tamque graui, placidoque referta lepore;
Vt tibi diuinum nomen tribuisse priorum
275. Nullus ob eloquium dubitauerit: ore disertio

Tom. III.

liii

Tam

- Tam bona verba tuo manabant dicta per artem.
 Quis te fraudatum CORVINI sede relinquat?
 Carmine quis Xenophon: non pradicet inter habendum (Xenophon)
 Scriptores illos, quorum noua gloria fulget
280. Omnibus in terris? Dum sol lustrabit & orbem
 Omnibus in populis eadem cumulata nitebit:
 Dulcibus hanc ita cum verbis, grauibusque refertam
 Historiam scribas, vitam qua continet omnem
 Persarum regis Cyri, moresque probandos:
285. Nullus ut ex omni numero queat inde virorum
 Agnouisse satis, virtus ubi maior habenda
 Sit tua: dum scribis pulcherrima facta priorum,
 Rebus utrum grauior cunctis habere notandis?
 Dulcior an verbis? Quibus uteris arte peritus
290. Dicendi: ut seruent penitus tua verba, disertis
 Qui fieri cupiere vix; superare volunt qui
 Dulcibus aut verbis omnes, aut rebus honestis.
 Vix huic fatus eram; cum turba immensa sequentum,
 Ingentis qualem nunc est memorare laboris
295. Aduenit; & subiens tabulata iacentia muro
 Partem implet magnam: sic affluxisse nouorum
 Ut dicas comitum numerum turbamque frequentem
 Usque adeo cuiquam vix ut numerabilis esset,
 Grande sophos varia qua sit ratione sequuta,
300. Ingeniique sui monumenta reliquerit: & qua
 Delectata graues rerum cognoscere causas,
 Posthabitis aliis, vitam posuisse feratur
 In contemplandis, qua fert natura creatrix.
 Post hac inuitans ad honesta sedilia princeps
305. CORVINVS, multos: praecepit in ordine pulchro
 Felices anime starent; quibus alta fuere
 Astra notata prius; superum domus atque deorum.
 Quisque poli gemini motus, calique meatus
 Agnouere prius; mox & docuere volentes
310. Nosse, quid astra iuuant, quid sidera triste minentur.
 Hic prior, in tanto surgit PTOLOMAEVS honore (Ptolomæus)
 Qui positus varios orbis, variosque recessus
 Pinxit; & a superis transiit ad infima terra.
 Inde: Syracusa fuerat qui ex vrbe profectus;
315. CORVINI regis tabula suspensus ab alta
 Pendet; & ingenio sic est meditatius acuto,
 Plurima signandis, ita doctus ab arte, figuris:
 Ut dum forte leui intentus noua puluere signat
 Quaedam; dumque oculos terra tenet ille refixos,
320. Milite percussus, vitam cum sanguine fudit.

Qui

- Qui Megarensis erat subit ille sedilia late.
 Summa quidem campos meditatus, & ardua montis
 Metitur terras animo: metitur & arte.
 O CORVINI venit qua nunc procul aspice gentem,
 325. Principio cuius DEMOSTHENIS arma relucet: (Demosthenes)
 Oratoris enim partes tenet ille supremas
 Omnibus in Graiis, populosque peritus in omnes
 Floruit, atque reis tutor, patriaque, suisque
 Regibus a Macedum, veteres defendit Athenas.
330. Scripsit & in regem grauius tam multa Philippum;
 Ut magis hic patria verbis bonus acribus ipsam
 Iuuerit orator, quam multo milite fortes
 Ante duces Graii; dum bella gerenda ministrant,
 Et procul a patria conantur sistere turmas
335. Hostiles: hastisque simul, gladiisque trucidant
 Quoscumque in patriam, patriasque domosque ruentes.
 AESCHINES comitatur eum, partesque secundas (Aeschines)
 Accipit, ipse dato minimum contentus honore.
 Rursum ISOCRATICI concessa sedilia plures
340. Doctores ineunt; quos cura domestica fecit
 Atque lares intra, multis prestare loquendo.
 Namque ut equo plures Troiano, in praelia quondam
 Duces Graeci fortes abiere; ducesque
 Exercenda boni: si multus ab arte magistra
345. Rhetoris orator fatus est: lateque profectus
 Per Graium populos iuit: gentesque Pelasgas.
 HERMOGENES posuit grauis inde sedilibus altis
 Ediderat libros quos ille: ut rhetoris arte
 Ostentare noua vigilata volumina posset,
350. Graia quibus fertur doctissima facta iuuentus
 Sedibus in tantis non aspernandus habetur
 HERODOTVS scriptor grauis ille; paterque vetusta (Herodotus)
 Historiae: tantum tribuit cui Gracia, quantum
 Liuius accepit latia de gente Quirini.
355. Nec loca THUCYDIDES ea deserit aurea solers, (Thucydides)
 Quae Graecis late scriptoribus ampla parantur;
 Sed petit, ut detur locus inter habendus & illos
 Auctores, quorum non defraudandus honore
 Ille sit; atque comes nullus quibus ire recusat.
360. Hinc: Romanorumque ducum qui facta reponit, (Herodianus)
 Scripsit & illorum vitas sermone pelasgo
 HERODIANVS adest; sedemque ingressus eandem,
 Effundit geminos gemina virtute nitores:
 Cuncta quod & grauibus verbis conscripserat auctor
365. Optimus; & nuper latias quia ductus in ora

liii 2

Hoc

- Hoc duce fit: quo se tantum Florentia iactat,
Mantua Virgilio quantum se iactat alumno;
Smirneo quantum se Gracia iactat Homero;
Se hoc Latii quantum iactant; qui Liuius olim*
370. *Dictus, in historia latios celebrauit honores,
Nec minus inspirant muse, favet altus Apollo
Politiane tibi, priscis quam fauerit illis, (Politiani L.)
Nomina durabunt quorum, dum maximus orbis
Stabit; & in superis stellas dum pascet olympus,*
375. *Humore oceani quem concita subleuat unda.
Historicorum cum numerum desisse putarem,
CORVINI regis tabulata venire sub alta:
Veste quidem varia subiens DIODORVS; & acri (Diodorus)
Pictor in historia rerum miracula ponit:*
380. *Namque foret Siculis quamuis oriundus ab oris,
Hac tamen est usus lingua, qua Gracia felix
Dicitur usa prius, dum prospera regna manebant:
Scripsit enim grace, quacunque volumina grace
Edidit, & ritus gracos seruaui ad vnguem.*
385. *Haellenus ipsa viros, quos Gracia vidit honestos,
Vidit honoratos; quorumque volumina restant
Diximus: hos prater, quos est mora longa referre,
Nomina seu quorum vix enumeranda videntur.*

NALDI NALDII FLORENTINI,
DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,
CARMINVM,
LIBER TERTIVS,
AD
MATTHIAM CORVINVM,
PANNONIAE REGEM SERENISSIMVM.

- AT modo quos latium magnum, quos Tybridis unda
Protulit, egregios referens, memorabo canendo.
Ordine distinctos, ponamque sedilibus altis,
A duce MATTHIA, qua sunt, bene cuique merenti,*
5. *Multa parata, viro: qui plurima verba loquutus
Phoebo digna; sui nobis monumenta reliquit.
Ergo VIRGILIUS sedem sibi sumpsit habendam (Virgilius)
Primus honore suo; non primus origine prima;
Primus ut ingenio, quo surgit in astra; sacerque*
10. *Musarum vates, primos sibi postulat honores.*

Nam-

- Namque, licet taceam: quam carmine vicerit omnes:
Tanta quidem vati fuit experientia rerum;
Inuestiganda natura copia tanta
Extitit; antiquos ritus ita nouit, & acer*
15. *Publica res quo se, quo se domus ipsa gubernet;
Quo se quisque modo vitio tueatur ab omni:
Nullus, ut ex priscis expresserit omnia, vates
Virgilio melius, qua fert natura creatrix,
Qua mos, qua ratione docet, tribuitque volenti.*
20. *Nam sub figmentis, varioque colore loquendi
Plura docet; meliora docet; quam quisque virorum
Grande sophos, qui sunt, & re, verboque sequuti.
Quique in eo vitam studio posuere vel omnem.
Rursus ut inuento superaret ubique poetas*
25. *Egregio, quondam latus quos protulit orbis.
Cum genus ille triplex, vita legisset agenda,
Temporibus primis, quod aduenere per artem,
Omnibus in terris homines fuerantque sequuti:
Id genus expressit, quod pastorale vocatur,*
30. *Ille Siracusio versu, numerisque Sicanis;
Idque genus, primum, pastores inter, habendus,
Est Maro, cantantes, gracili modulatus auena.
Rursus: ut acciperent mortalia corda, quod esset
Excultumque magis primo; magis esset honestum:*
35. *Mox uti telluris cultus didicisset agendos
Quisque vir; ac fructus, quos terra colentibus affert
Nosset; Virgilius genus arripit inde secundum:
Viuenti nobis praecepta quod optima ferret;
Quodque daret nobis vita meliora gerenda*
40. *Commoda; quodque in rus siluis exiret ab altis.
Cultius ergo Maro carmen sibi sumpsit, ab illis,
Rustica res quibus est, variam, descripta per artem:
Carminibus genus hoc aperiret ut ille secundum,
Inde magis, nostrosque magis, deferret in usus.*
45. *Post ubi nos docuit; pastoria vita quid affert;
Rustica quid rursus nobis quoque vita ministrat:
Surgit in arma virum diuino carmine vates,
Atque ibi tanta canit, diuino ex ore loquutus:
Ut quid primates, dum publica cuncta gubernant;*
50. *Quidue duces faciant, dum bella gerenda parantur;
Edidicisse queant: iterum priuatus agat quid,
Dum sibi vult, melius cupiens natosque, domumque,
Instituisse bonis monitis; ac moribus aureis.
Tam bene demonstrat, nihil ut latuisse gerendum*
55. *Mortales possit; quod, & hos, patriamque beatam,*

liii 3

Felicem-

- Felicemque domum, faciat; genus omne suorum
Reddat honestatum: si qua praecepta feruntur
Carminibus Virgilia, bene diffundentur in omnes.
Proximus, ingenio fuit, & qui proximus arte;*
60. *NASO locum tenuit, meriti ratione secundum. (Naso)
Iure quidem; Latius, quia tot monumenta reliquit,
Ille viris: teneros, elegis dum lusit, amores;
Dum fastos anni varios; dum tempora caussis
Ducta suis cecinit, latium distincta per annum:*
65. *Nullus ut e priscis cantauerit ista poetis
Dulcius, aut melius; nullusque repleuerit auctor
Scripta, magis numeris resonantibus, ipsa modisque
Vnde fit: Aeneae Phrygii noua gesta canenti
Virgilio, quantum numeris grauioribus ipsi*
70. *Nobile debet opus; tantum qui scribitur impar
Nasoni versus debet; tantumque merenti
Exhibet: ipse patem ut faciat par gloria famam.
Inter utrosque viros, licet hic cantaret amores;
Ille duces Phrygios; versus, quem monstrat Homerus.*
75. *Adde huc in varias hominum mutata figuras
Corpora; quae cecinit praestanti carmine vates.
Doctrina rerum varia; variisque per artem
Eruta de caussis: ut magnus in illa poeta
Fuderit ingenium; secus haud, atque ipse per orbem*
80. *Iuppiter hunc totum, mentemque animumque refundit;
Ut formas creet ille nouas, referatque creatas
In genus omne suum; ut in spectacula rerum
In terris variata magis, magis omnibus illa
Ut pateant manifesta viris: ubi singula formas*
85. *Accepere suas, quas Iuppiter ipse ministrat
Omnibus, atque iubet stent ut mansura per aeuum.
Vis Afri, mentem egregiam quoque nosse, TERENTI; (Terentius)
Attica quem docuit, romana effecta loquendi,
Lingua, modos varios: meretrix quid avara requirens*
90. *Decipiat iuuenesque dolis, atque arte maligna.
Hic est: qui positus nunc tertius ordine tanto,
Accipit ingrediens aurata sedilia regis
MATTHIAE, librumque suum dat ubique legendum
Omnibus; & latius, docet Attica verba referre.*
95. *Quartus adest PLAVTVS: cui dat comedia tantum (Plautus)
Auctori Latio, quantum dedit ante Menandro
Rursus apud Graios: salibus prudenter & idem
Pluribus est usus; risus quibus ille, iocosque
In populo rerum moueat: noua carmina solers*
100. *Histrion, dum recitat Plautinis condita verbis.*

Aspicias

- Aspicias hunc, toruis oculis, qui respicit omnes
Incestos, scelerisque reos, vitisque resertos
Grandibus; esse quibus pariter bona summa putantur,
Magna voluptatum commercia semper in omni*
105. *Exercere loco: veneri, numerosque frequentes
Partibus ex cunctis, Baccho, Cererique referre.
Iste vir est; Satyras nimium qui scripsit, amaras (Iuuenalis)
Ante, malis, dulcesque bonis suavesque futuras:
Nam quantum vitio detraxerat ille fugando;*
110. *Virtuti tantum tribuens concessit honoris:
Extulit atque probos, in caelum laudibus aquis.
Eupolis, atque Cratinus: erat comoedia quorum
Prisca; quibus fuerat concessa licentia, mores
Carpenti turpes, vitiumque fugare malignum*
115. *Mentibus humanis, animosque replere probatis
Moribus, atque habitus mox imitare salubres.
Materiamque dedere viro, veteremque audere
Carpenti morem: Satyras ut scriberet ille,
Qui IUVENALIS item populum vocitatus in omnem*
120. *Romanum, mentisque suae monumenta reliquit.
Quam bona; quamque sit haec imitanda, vel omnibus illis;
Qui pulso vitio, solis virtutibus haerent.
Iude: nec inferior tenui pracone creatus,
Aduenit ingrediens HORATIVVS: alta sedilis (Horatius)*
125. *Contabulata noui, tribuit cui musa petenti.
Arte, probos mores, probus ille doceret ut, ardens
In vitium, solide raptus virtutis amore;
Inuocatus contraque malos, contraque nocentes.
Dum graue ridet enim facinusque, nefasque reprendens*
130. *Vrit, & ingressus praecordia tendit ad ima.
Quin etiam plectro carmen concessit eburno.
Musa volens illi; cantaret ut acta priorum,
Ut lyrico, teneros, versus, cantaret amores;
Quicquid & in mentem cuiquam venit, arte canendum*
135. *Diceret; ut recinens cythara, fidibusque canoris,
Nam quod & altifono memorauit Pindarus ore
Carminibus lyricis, dum Pythia cantat, equosque
Victores laudat; palmas celebratque receptas
Helidis in campis: illud quoque musa poeta*
140. *Concessit latio; dum pectine tentat eburno
Dicere cuncta grauis, dum vertice pulsat olympum.
STATIVS, his etiam constare sedilibus orans (Stadius)
Aduenit; & libros, siluas quos ille profundas
Nominat: ostentans, manibusque volumina binis*
145. *Bina ferens, aditus subit, ac sedet inter honestos*

Musa-

- Musarum vates, atque inter, Apollinis alti,
Verba recensentes, inter sanctosque poetas.
Hinc quoque, qui numeris, ciuilia, grandibus, ardens
Bella refert; LYCANVS adest, tabulata sub intrans (Lucanus)
150. Aurea: tamque nouo pariter dignandus honore.
SILIUS arte valens, sedem sibi sumit eandem; (Silius)
Auctores inter Latii numerandus honestos
Carminis: ille canens nam publica bella, reponit
Romanus rerum populus, qua gessit in acres
155. Pœnos; atque duces Pœnorum, cuncta paratos
Aspera velle pati: patriam modo seruet ab hoste
Pœnus; itemque suos, tueatur ab hoste, penates:
Dummodo in aduersos durissima bella Quirites
Continuare queat, longos agitanda per annos.
160. FLACCUS: quis indicium te deserat? Aut quis erit, tam (Val. Flaccus)
Iniustus; qui te defraudet honoribus illis,
Quos rex in magnis dat sedibus? Ergo subibis
Tu quoque, tam pulchrosque thoros, pulchrumque sedile:
Delectos Valeri heroas, quia carmine blando,
165. In Colchos memoras, omnes hac naue profectos,
Cui nomen velox Argo fuit ante tributum:
Protinus ut raperent pretiosi velleris aurum,
Quod custoditum, rabidos spirantibus ignes
A tauris, pariter seuisque draconibus, heros
170. Absulit in patriam; regina edoctus Iason.
Quis rogo vir sequitur? seu quis tabulata per ampla
Ingressus, varios oculos mouet ordine nullo?
Protinus inde locum LYCRETIUS occupat: ille, (Lucretius)
Carminis qui vario, quam sit laudanda voluptas,
175. Explicat; incipiens: Venerem putat ante vocandam,
Illa quod extiterit tenerorum mater amorum:
Exiit unde prior, mortalibus, orta voluptas
Blanda viris, penitus veneris qui castra sequuntur;
Quique voluptati dant plus, quam moribus aureis,
180. Indulgent genioque magis, magis illa faceffunt
Gaudia magna, quibus molles generantur in usus.
Vix bene confessum ingreditur Lucretius altum:
Cum tres, equatis intrantes passibus, ibant;
Quilibet ex illis teneros cantabat amores,
185. Aurea, tresque simul, regis tabulata subibant:
Nauta quidem prior est; tantasque PROPERTIUS edes (Propertius)
(Cynthia, quo reliquis prelatata est vna puellis
Iudice, quo nomen populos vulgavit in omnes)
Horum primus adit: dignatus honore secundo
190. Iure TIBULLVS, ei sedes tenet inde propinquas: (Tibullus)

Captus

- Captus amore grani, nam carmina blanda peregit,
Messalam, quibus ille suum, Nemesinque canebat.
Tertius: arte canens, subit hinc Coruina CATVLLVS (Catullus)
Teستا; suos variis numeris conquestus amores:
195. Prosequitur domina lacrymas, sauumque dolorem,
Ceperat ex obitu, quem, passeris illa perempti
Moxta grauem; sic, ut caperet minus illa quietem,
Nec posset dominam vates lenire dolentem
Carminis non placido, multa nec Apollinis arte.
200. His tribus, atque comes CALPHURNIUS ibat amicus, (Calphurnius)
More Siracusio, tenerosque canebat amores,
Et pastoralem numeris augebat honorem.
Ausus idem, sacri quod præsinit ante Maronis
Musa, quod in Siculis, dedit ante Theocritus, oris.
205. Hi fere sunt vates: quos lingua latina superstes
Propter opus celebrat; quorumque volumina seruat
Tempus in hoc: reliquos, aut fama obscura recondit,
Aut fugiant aures, hoc ipso in tempore, nostras.
Huc geminas, huc flecte acies spectator: ut illum
210. Aspicias; cuius non tam Romanus, & omnis
Ingenium latius fuit admiratus: at orbis
Totus; & in primis mirata est Græcia summam
Docta facultatem dicendi, rursus & artes
Admirata nouas, sic est CICERONIS: ut illi (M. T. Cicero)
215. Cederet; ac primos vltro deferret honores:
Romani quia se, non tam dixere Quirites
A Cicerone suo victos; sed Græcia victam
Se confessa fuit; primas dedit atque merenti
Exuperata viro partes, palmasque priores.
220. Huc igitur flectas acies Coruine gemellas;
Omnibus atque iube ut vicina sedilia laxent;
Qui prope consistent, apud hunc quicumque manebunt:
Nam ponentur ibi permulta volumina, doctus
Quæ scripsit Cicero, miram variata per artem
225. Dinersi generis: quoniam præcepta loquendi
Non modo tradiderat; sed maximus ipse patronus
Exstitit, atque reos defendit in omnia solers
Semper; & ingenti patriæ flagrauit amore.
Inde malos insectatus, bona præmia iustis
230. Censet habenda viris; pulchri grauis auctor honesti.
Nature partes Cicero mediatus, & idem
Edidit inde libros plures: multosque notauit
Arte locos; illi quos contemplantur in ipsis
Inuestigandis rebus; qui tempus, & omnes
235. Curas, quique omnem vitam posuisse feruntur,

Tom. III.

Kkkk

Legi-

- Legibus, incubuit nec non grauis auctor, habendus;
 Publica res, melius quibus instituenda, regatur.
 De qua, sex libros conscripserat ille, tuenda;
 Moreque Socratico, Latios virtutis amore
240. Incendit ciues; ita ad id, quod semper honestum,
 Inque bonos mores trahit; ut nisi fata maligna
 Inuidisse libros voluissent! improba tales
 Delessent libros nisi fata! dolentibus illos
 Ciuibus heu latius; non iam, mihi credite, nobis
245. Non opus illa forent, sapiens quae scripserat olim
 Graecus Aristoteles; non quae tribuere Platonis
 Aurea scripta viris Graecis; aut urbibus illis,
 Tempus in hoc docta, bene quae, vocitantur Athenae.
 Nam satis illa forent quae Tullius edidit auctor,
250. Diuinis conscripta modis; conscripta latine:
 Non modo ad hunc orbem, quacunque in parte, regendum,
 Qui nobis vnus nunc est, uti cernitur vnus:
 Verum si plures essent, pluresque darentur
 Si mundi nobis; si quod, Democritus olim.
255. Finxerat, exortos: tamen hos, Ciceronis, & omnes,
 Scripta gubernarent; vnus satis esset in orbem
 Rite gubernandos plures, bene cuncta moneret.
 Non ego, si cupiam: possim memorare, quot ille
 Liquerit, ingenio vigilata volumina nobis;
260. Quotque probos mores ostenderit: aut quot amicos
 Duxerit acquiri nobis: quibus artibus illos,
 Censuerit longum seruari semper in aeuum.
 Vnde fit: ut spatiis tanto maioribus idem
 Indigeat; quanto latius quoque plura reliquit
265. Ciuibus, atque libros plures dedit ille videndos.
 Ergo velim, accipias: sedem CORVINE, sub altam
 Hunc ita; ne reliquos tu dedigneris habendos
 Sedibus in tantis; qui scripta legenda latinis
 Multa dedere, suum nomen super astra tulere.
270. Scripsit enim VAKRO libros; quibus ille latinam (M. Varro.)
 Ditavit linguam; sectas quibus ille Sophia
 Nobilitans varias; ratione notauit ad vnguem.
 Non ego MACROBIUM linguam: licet ipse pelagis (Macrobius)
 Natus origimibus; tamen ille latinus habendus:
275. Quamquam sunt etiam qui Graia e stirpe profectum
 Esse negent; Parmamque ferant tribuisse parentes:
 Est ibi progenitus, quoniam data membra sepulchro
 Sunt ibi: statque illi sub eodem marmore carmen.
 At quot adinuenit; sic scripserat ille latine;
280. Vt quae diuino conscripta fuere Marone,

Sint

- Sint & aperta magis nobis; magis illa patefcant.
 Nec contentus eo: quo sidera summa vagentur
 Ordine; siue quibus maneant stationibus illa
 Protulit: & calum quantos moueatur in orbem
285. Edocuit, cantus quos procreat inde rotandis
 Orbibus; & suavis quam sit; quam mulceat aures
 Vox ea; de cali quae motibus orta resultat.
 Ponitur in tabula post hunc, ANNEIVS auctor; (An. Seneca.)
 Cui Senecae nomenque fuit; moresque probandos
290. Qui coluit viuens; scriptis docuitque pudicis:
 Si quis amor, tibi iam superest CORVINE, notanda
 Historia latiae? Qui nunc tibi maximus extat:
 Tantus honos priscos abs te defertur in omnes!
 Accipe qui veniunt: illi quia cuncta notarunt,
295. Quae, populus, rerum toto bene gessit in orbe;
 Dum fuit imperio solus; sceptrisque patitus
 Victor, ab extremis rediit cum partibus orbis;
 Cum Romam, rerum dominam; bonus ille, potentem
 Fecit: ut Hesperis simul imperitaret; & illis,
300. Quos ortus Titan prius aspicit. Ergo subibit
 LIVIUS, ante alios tua nunc tabulata subintrans (T. Liuius)
 Aurea; qui tantum scripsit, tam multa notauit,
 A ducibus latius, quae gesta fuere, sub armis:
 Vt, nisi fata prius, nimis inuidiosa fuissent
305. Omnibus; antiquum latium, quos protulit; illa
 Ordine cuncta quidem legeremus facta; latini
 Quae prisci videre prius; sic: inter ut illos,
 Et nos differetque nihil, nihil inter & esset,
 Tam bene nam pinxit, quacunque notauit, ob artes
310. Liuius egregias; oculos sic ante legentum
 Ille vir haec posuit, qua tunc gessere sub armis
 Romani; ut coram illa geri, modo visa putarent
 Temporibus nostris homines; quae viderat atas
 Prisca geri: populus quorum miratus honorem
315. Romanus fuerat, fuerat miratus & amplum
 Ingenium; quo Roma potens sit visa manere
 Integra dum qualis, seu quanta fuisset; ad vnguem
 Liuius expressit: sic; ut minuisse decoris
 Tempus edax posset nihil: at spectabilis esset
320. Huius ab historia; veluti spectanda fuisset
 Roma prius: quando minuit nihil ipsa vetustas
 Ex illa; nihil, aut veteres mimere ruinae.
 Vt captum fieri: vario cum ex orbe ruentes
 Ceperunt urbem Romam vexare tyranni.
325. Vix grauis in tanta sua terna volumina sede

Kkkk 2

Liuius

- Liuius apposit; cum iure SALVSTIVS auctor (Salustius)
 Romanus; linguam penitus qui nouerat omnem
 Romanam; libros, Romano more togatus,
 Qui super extiterant libris de pluribus, ambos
 330. Sustulit; & tabula geminos suspendit ab alta.
 Assurgant homini, quicumque sedilibus istis
 Consistunt; posito qui nunc diademate regni
 CAESAR; & imperio rerum, scriptisque relictis: (Comment. Caesaris)
 Priuatos inter cupit assedisse; locumue
 335. Quirit habere nouum: libros ubi forte locauit
 Doctus quisque suos, ut sint monumenta futuris.
 Hic: ubi MATTHIAS libris dedit omnibus vnam
 CORVINVS sedem, cunctos qua daret in annos.
 Sedibus in tantis, igitur: quicumque manebit,
 340. Caesaris assurgat doctrina; assurgat & arti,
 Militieque duci summo: quod vtrumque sequutus,
 Otia quodue domi, coluit foris aspera bella:
 Nominis aternam, studiis ab vtrisque parauit
 Famam; iure quidem, meritis geminantibus illam:
 345. Cum musæ impulsu, fuerit cum martis, adeptus
 Illustrem Caesar famam: quia gloria summa est;
 Quam doctrina dedit, quam res bene gesta creauit.
 Namque quod in Gallos graue gesserat ille feroces
 Temporibus variis bellum; dum victus in ipsum
 350. Caesaris imperium Gallus concessit, & arma.
 Iulius id Caesar latio sermone peritus
 Tam grauibus verbis, tam dulcibus ipse notauit;
 Nullus ut auderet, quamuis bene doctus, in ipsam
 Historiam, Caesar que scripserat, acta referre.
 355. Gratia tanta viro; scribenti tanta venustas
 Exitit, atque grauis sic est sententia; sic sunt
 Ornatus verbi suauis; sic scripta resurgent
 Omnia; sic sapiunt latium; sic rhetoris artes.
 Inter tot quid te taceam TRANQUILLI priorum (Suet. Tranq.)
 360. Cum scribas vitas; Romanorumque triumphos
 Induperatorum; superatis finibus orbis,
 Qui Romam rerum dominam fecere sub armis.
 Namque tuus liber, hanc sedem sibi sumpsit, eosdem
 Scriptores inter; quos lingua latina vetustos,
 365. Nobilitat celebrans, & laudibus ornat abunde.
 Quintus & insequitur vocitatus CURTIUS: idem (Q. Curtius)
 Postulat atque sibi, non inferiora merenti
 Dentur; & in partes accepteturque priores.
 Et merito: latum quoniam que facta per orbem
 370. Maxima rex Macedum gessit; depicta colore

Dicem.

- Dicendi vario; summa grauitate loquendi
 Scripsit in historiam; variisque ornatibus illa
 Verborum pinxit, narrandi eulocus ab arte.
 Hinc tabulata noui regis tam pulchra subintrat
 375. Doctus in historia TACITVS CORNELIVS: actas (Cornelius Tacitus)
 Induperatorum vitas celebrare paratus
 Fecit ut egregius quondam Suetonius, auctor
 Rebus in his, grandes quas gessit Roma triumphans;
 Perque duces varios, rerum qui sorte potiti:
 380. Se dominos validis patria fecere sub armis.
 Vix erat ingressus; cum regia transra petebant
 Historici plures; quorum si nomina ponam
 Sit liber immensus mihi consiciendus ad illa
 Enarranda satis: quocirca in tempus omittam
 385. Hac aliud; reliquosque canam pia iura ferentes
 Illa; quibus ciues vtuntur in vrbis regenda,
 Et quibus, a tabulis his sex: sit origo creandis (LL. XII. Tabul.)
 Ducta quidem; referam: nam quas Romanus & auctor
 Condiderat leges, quacunque in parte tuendas;
 390. Auratis tabulis MATTHIAE regis inherent:
 Hunc apud exscripta noctesque, diesque morantur
 Vt iustus cum sit; leges veneretur easdem,
 A quibus ille, modos regnandi, sumit honestos.
 Sit quia lex, animi penitus medicina ruentis.
 395. Nam mores ea, cum doceatque, feratque probandos;
 Liberat a morbis animum lex casta nefandis.
 Has prope: qui corpus curant, morbosque repellunt
 Corporeos, habitant librosque suosque reponunt
 Namque Coronides fuerat quibus auctor, & ipse
 400. Rursus opis medica fuerat quibus, auctor Apollo: (Medicina)
 Omnibus his statio, CORVINA in tecta paratur;
 Optima CORVINO nec defraudantur honore.
 Nam multos inter, quos rex ibi summus honestat,
 Qui medici fuerant; illos decernit habendos
 405. MATTHIAS: partesque bonus veneratur in omnes.
 Hi prope sunt: nostra liceat quos voce monevi;
 Quos vetus & latium scriptores viderat, ante
 Quam terras humiles peteret, ferretque daturus,
 Omnes, quam cuperent, expectarentque, salutem
 410. Optimus ille DEVS; qui maximus vnus, & idem
 Dictus erat CURISTVS: terra dum viseret orbem.
 Hi sunt pene tibi princeps CORVINE vetusti
 Scriptores latii, paulo quos diximus ante
 Inter se varios: ut erat diuersa voluntas.

Kkkk 3

NAL-

NALDII, DE LAVDIBVS BIBLIOTH. AVG.
 NALDI NALDII FLORENTINI,
 DE LAVDIBVS AVGVSTAE BIBLIOTHECAE,
 CARMINVM,
 LIBER QVARTVS,
 A D
 MATTHIAM CORVINVM,
 PANNONIAE REGEM SERENISSIMVM.

- H**inc ego narrabo: quos Spiritus ille tonantis
 Affluit; data summa quibus fuit ante facultas,
 Vt quae diuinis in sedibus acta fuissent;
 Hac ad mortales eadem, manifesta referrent:
5. Exponam quoniam, vigilata volumina sacris
 Prorsus ab ingeniis, & quae descripta fuere;
 Ordine nunc referam, mensura sedilibus altis,
 MATTHIAS illis quae rex statuenda locauit.
 Omnibus e sacris igitur: liber ordine primus,
10. Hec loca prima sibi capiat tabulata per ampla;
 Scripta quidem grauior, qui plurima continet in se.
 Illo namque libro: sunt picta exordia rerum (Biblia)
 Prima; DEVS cum de nihilo bona cuncta creauit,
 Cum caelum, stellas, ignem, terramque fretumque
15. Condidit; ut proprios habitent animantia fines
 Qualibet; e limo fingens hominemque futurum
 In terris solum, qui contempletur honores
 Diuinos; solusque polos meditetur; adoret
 Numen id in superis: paret cui maximus ordo
20. Aulae caelestis; parent cui sidera caeli
 Splendida; cui paretque fretum, cui maxima tellus.
 Sunt etiam; vates, quaecumque fuere loquuti
 Dicta notata, sacri: scriptis ni fallor eisdem,
 Et quae de CHRISTO predicere posse, futuro
25. His dedit omnipotens; chartis memoratur in illis
 Ingentis libri: quia multa recondit in vnum
 Hic liber; & libro, bene multa notantur, in amplo.
 Namque ibi non solum, quae dicta fuere priusquam
 Adueniens CHRISTVS terras inuiseret imas,
30. Vtibus a multis bene commemorantur: at illa
 Omnia dicuntur, terra quae gessit in orbe
 CHRISTVS, in his libris: & quae post fata suos per
 Discipulos egit; conscripta leguntur ibidem.
 Quae fuit & Paulus diuino ex ore loquutus,
35. Scripsit & ad multos homines, populosque ducesque

- Illa voluminibus bene commiscetur eisdem.*
 Hinc ea quae scripsit sapiens HIERONYMVS olim; (Opera Diui Hieron.)
 Expandunt sese, tabulata per aurea, late;
 Atque loci multum capiunt: quia multa supersunt,
40. Vix ego narrarim: Graio de fonte profecta,
 Ille quot in latiam linguam traduxerit acer
 Dicta vitum, sacris expressa furoribus horum;
 In quos diuinus se Spiritus ille refundit:
 Vt, superum quae sunt; homini manifesta facessat.
45. Ne lateant hominem castum diuina; volentem
 Optima quaeque sequi: sed possit honesta notare,
 Admonitus quae sint; eademque capeffere possit.
 Non itidem referam nunc: scripta quot edidit ex se,
 Ingenioque suo; quot se meditatus honesta;
50. Quot bene purgarit vitis Hieronymus acer;
 Quotque viros, superas monitis auerxit in oras.
 Cum nequeam, tam multa quidem sunt illa: referre
 Versibus; atque eadem nequeam memorare canendu.
55. AVGVSTINVS item quot & ipse volumina solers (Augustinus)
 Liquerit? Et multis quam sint variantia rebus?
 Si numerare, velit quisquam; tamen ille nequibit;
 Ni grauis immensum confecerit ipse volumen,
 Sedibus, hic scribat, cum quid satagatur in albis;
 Vrbibus & quae sint hominum facienda requirat.
60. Cumque trias, quae sit? Satis explicet ille, tribusque
 Vt mens una manet semper; manet una voluntas.
 At licet hac fuerint ita multa: ut nemo referre
 Illa satis posset; quamuis & in arte loquendi
 Doctus, & ingenio magno satis ille valeret:
65. Omnia, MATTHIAE suscepta sedilibus altis
 Illa fuere tamen; spatium capientia magnum.
 Vt si tres alii, de se, tot scripta referrent;
 Vsurpent sedem totam, nullisque relinquunt.
 Nec procul adstiterat: data sunt cui, nomina rebus (Ambrosius)
70. Aequa satis; Scriptis, data conuenientia late
 Dulcibus, atque graui eloquio, suauisque refertis.
 AMBROSIVS quoniam; cum dulcia pabula signet,
 Qualibus, athereoque frui solet omnis in orbe
 Diuorum coetus, finxit quos prisca vetustas.
75. Omnia conscripsit, quae sint redolentia mores,
 Omnibus in terris, homini cuiusque probandos.
 Quae ferant praese dulcissima verba loquentis,
 Officique vias monstrant bene, cuique volenti.
 Optima quaeque sequi: fundant praecepta per omnes
80. Aurea mortales, formamque, modumque datura;

- Quilibet unde suam valeat componere vitam,
 Protinus expulso vitio; virtute recepta.
 Ergo: suos postquam libros, tabulata per ampla
 Ordine disposuit, propriaque in sede locavit,
 85. CORVINVS princeps quam struxerat omnibus unam
 Ambrosius; superos diuus repetiuit honores.
 Post hunc: GREGORIUS, tanquam demissus olympo (Gregorius)
 Adparet subito; terras humilesque reuistit:
 Cui caput exornat triplici diadema corona,
 90. Atque hic, quo fuerat diuino insignis honore;
 Expetit, ut libri morum, quos ille, sacrorum
 Edidit in lucem; sedes capiantur in amplas
 MATTHIAE, doctis quas ipse parauit habendas:
 Ut praecepta queant mortalibus optima vita
 95. Ferre bona: tribuantque modor; quibus omnis obique
 Vir, factus, superas. bonus, extollatur in oras.
 Vix hunc Gregorius, se velle sedilis honorem
 Monstrarat: cum rex CORVINVS honore supremo
 Scripta manu capiens; hac pontificalia supplex,
 100. Pontificisque sacri numen veneratus amicum;
 Sedibus imposuitque nouis, tabulaque refixit:
 Hoc ubi fit; tennes sacer ille recessit in auras.
 Pontifici, magnus successerat inde vocandus;
 Qui BASILI fueras: vita, mentisque pudica; (Basilius)
 105. Propter & ingenium summum; quo tendis in astra:
 Ut duo, mortales pariter mirentur, & in te
 Doctrina, iunctosque graui, variosque loquendi
 Arte modos; vitamque viri diuinitus actam
 In terris; veluti sine corpore nuda caduco
 110. Mens foret: ac nullis hominum foret obruta curis.
 Hic, simul adposuit tabule, qua scripta gerebat
 Coruina: cedens aliis loca forte propinqua,
 Post abit in superasque domos, calumque reuistit.
 Huic comes e graecis regionibus ibat honestus; (Chrysostomus)
 115. Qui propter linguam suauem, suauisque figuras
 Dicendi varias; quibus exuperauerat vnus
 Scriptores multos: est aurea dictus habere
 Ora; nec ingenio minor; ille fuisse videtur;
 Nec minor inuentis: si quis, qua scripta supersunt,
 120. Legerit; atque viro, bene contempletur: honores
 Qui fuerint habiti, populis vel ab omnibus vni.
 Aurea, nam meditans qua scripserat ille, fuere.
 Aureisque modis satis exornata, prius quam
 Poneret in tabulis auctor pendentia latis:
 125. Ut quod & intus habent, extrinsecus illa reserrent.

Cum

- Cum iam narrandi finem venisse putarem
 Illorum; princeps: qui per tabulata vagantur
 En tua; quique loco plures venerantur eodem.
 Altifono, clamat LACTANTIVS, ore loquutus: (Lactantius)
 130. Sunt ubi nunc nostra partes? Angustia sedis
 Est ea nunc; princeps: ne nos capiatque, seratque?
 In CHRISTVM a nobis & qua sunt dicta supremum,
 Sedibus hac eadem, nunc explodentur ab istis?
 Nec mihi: quod reliquis datur hic scriptoribus; illud
 135. Hospitium dabitur? Sunt haec promissa, fidesque?
 Omnes, quam dederas, prope te CORVINE, futuros;
 Qui scripsere aliquid; quod dignum laude fuisset,
 Et dignum tabulis, quod spectaretur, in altis.
 Hac ait: inde bonus iussit CORVINVS. Ut intrans
 140. Regia per tabulata sacer LACTANTIUS iret;
 Grandibus ut meritis honor inde daretur habendus
 Aeternum; sedes satis ille teneret honestas.
 Tam bene nam CHRISTI, si confirmaret honores,
 Et qua de CHRISTO, fuerant conscripta supremo;
 145. Talibus aut verbis, si dogmata redderet idem,
 CHRISTI firma satis; contraria, qualibus ille
 Consutat; atque bonis rationibus urget in arcum.
 In terris, nullus melior grauitate fuisset
 Rerum; nec verbis melior foret arte locandis;
 150. Nemoque, religio cui plus quam nostra faueret,
 Nunc foret; atque sacri cui plus deberet amoris.
 Cum iam plena essent regis tabulata; forentque
 Complures alii; quorum noua gloria fulget,
 Non minus, ardentis radii quam solis in orbe:
 155. Cumque foret numerus, pene infinitus habendus;
 Ut si quis memorare velit: velit aequoris idem
 Dicere tyrrheni, quot eant ad littora fluctus;
 Cum mare turbatur ventis agitantibus vndas,
 Quotque niues, gelido voluntur in aere; bruma
 160. Cum riget; atque nouis aquilombus omnia torpent.
 Tunc opera pretium fuit; ut Rex magnus eosdem
 Tot pene innumeros caperet penetralibus altis;
 Et loca certa daret quoque; conuenientia tantis
 Ingeniis; proprio, ne defraudetur, honore
 165. Villus; at in pluteis bene suscipiatur eisdem,
 Regis & in laribus videatur habere tenendum
 Hospitium; quod & ante dari Rex iussit amicum
 Omnibus his; aliquid qui conscripsere per artem:
 Illud, siue sacrum fuerit; seu forte profanum;
 170. Illud ad historias seu pertinet, atque poetas;

LIII

Sive

- Sive sopbos spectat, siue ad monumenta deorum
Attinet; a superis in nos collata benignis.
Ergo: frequens nimium foret hac cum turba, per altas
Qua cuperet sedes, libros possuisse patentes;
175. Nec tamen id posset: quia plena fuisse videbat
Omnia eis, sese qui per loca cuncta superne
Ingressere prius: sapiens MATTHIA parauit
Scrinia suscipere ut quoslibet ima; darentque
Hospitium cunctis; qui per tabulata nequirent
180. Alta tenere locum, sedes nec habere supernas.
Sic; ut adinuenias illis, quod quisque per artem
Disputat egregiam; seu quod meditatur ab ipsis
Undique principiis; qua fert natura creatrix.
Dum cupit ingenio, rerum cognoscere causas
185. Quisque, quod in physicis sapiens bene monstrat, & illud
Quod praeferant illi, qui se, patriamque, domumque
Instituere bonis monitis, ratione magistra
Qui monuere; DEVS, qua religione colendus
A nobis; quanto sit & afficiendus honore.
190. O res o cunctis toto memorabilis auro!
O res perpetuos semper celebranda per annos!
Omnibus & positura modum finemque datura
Extremum laudis: cunctis ubicunque paratis
Accumulare libros plures: operamque frequentem
195. Qui dant atque dabunt, ut multa volumina possint,
Collegisse sibi, scriptoribus undique multis
In pluteum ductis, ut eorum scripta tenerent.
Musa velim referas: toto, quis habebat, in orbe
Plura vir e Graiis? Refer omnibus: omnia namque
200. Sunt bene nota tibi: potes ac memorare petenti
Nunc mihi; de populis quis habebat plura latinis?
Te rogo, diua mone: vigilata volumina apud se
Quisue libros plures? Quam Rex CORVINVS habet nunc
MATTHIAS intraque lares, patriosque penates.
205. Attalus innumeros licet; ac Ptolomæus haberet;
Quem Philadelphum commemorant: licet ille tyrannus,
Qui doctis, quondam fuerat dominatus, Athenis;
Pisistratum vocitant veteres quem nomine Graii:
Millia librorum variorum multa teneret.
210. Eumenis, & quamuis ita magna fuisset habenda
Bibliotheca prius, tam plena volumine multo:
Ut vix e priscis cuiquam numerabilis esset.
Rursus, & ipse quidem Mythridates Ponticus; vnus
Ex horum numero, licet ante fuisset habendus,
215. Collegisse iuuat, quos multa volumina, multis

- Euigilata viris, rerum monumenta priorum.
Romanique duces, quanquam Lucullus, & acer
Iulius imperio; quondam sibi plurima Cæsar;
Collegere prius: quamuis & Asinius olim
220. Pollio; tot libros habuisset in vrbe coactos:
Ut bene si numeres; illi ter quinque ferantur
Millia, non tamen est nunc inferiora sequutus
MATTHIAS: cunctis, at sint grauiora putanda
Temporibus nostris, qua nunc facit vnus, & idem.
225. Optimus ingenio CORVINVS, & optimus arte,
Vnde sit orbe quidem; non tam numerosior, amplo,
Bibliotheca sit hac CORVINI regis habenda;
Quam quoque sit melior; quam sanctior omnibus illis,
Qua fuerant olim: cum sit complexa tot in se
230. Scriptores; quot in hac sunt religione loquuti
Protinus ad CHRISTVM spectantia cuncta supremum,
Factaque qui Christi memorant, finemque futurum
Præsentis mundi: cum sidera cuncta nitorem
Amittent; solemque suum, possuisse videbunt
235. Lustrande curam terra, curamque relinquet
Disiectisque rotis, & equis diuersa sequutis:
Fecerat ut Phaeton, quo tempore maximus orbis
Est prope combustus, rapientibus undique flammis
Omnia: contorto quem fulmine Iuppiter altus
240. Perculit; ut nimios hominis graue perderet ausus.
Namque: quot auctores, Graii tenuere vetusti;
Quotque bonos pariter veteres habuere Latini
Scriptores rerum; terras inuiseret ante
Quam CHRISTVS veniens imas: hominesque redemptos,
245. Sanguine quosque suo, splendentia ferret in astra.
Tot CORVINI tibi, iam collegisse, videris;
Auctoresque domi tot habes; tot ubique parantur,
Totque loci varii, varios aliunde ministrant
Scriptorum libros: ut iam tibi, plura supersint,
250. A multis olim conscripta volumina, soli;
Quam Graii tenuere prius, populique latini.
Nam quod utriusque viri, quondam scripsere seorsum;
Quodue dedit latinus memorans, populusque pelagus;
Hæc admista locum, prudens tibi iungis, in vnum.
255. Namque: simul misces libros, ab utraque profectos
Gente; sit ut tibi nunc, penitus data summa facultas,
Vincere posse duos populos: quia munere sultus
Nunc utriusque; potes solus, quod uterque, valebat.
Atque tenes libros vnus; quot, uterque seorsum.
260. Graius ouans quondam tenuit, florensque Latinus.

- Adde huc illustres animas, bene cuncta loquutas;
 Qua Deus omnipotens concessit aperta referri
 Mentibus humanis: nam que tractantur in oris
 Aethereis, voluit nos accepisse per artes
265. Diuinas; ut se regeret, patriamque, domumque
 Quisque vir, a sacro quocunque volumine doctus
 Sperneret ut vitium, grauius fugeretque vicissim,
 Quicquid & in toto sceleris committitur orbe.
 Namque omnes sedem, cum deducantur in vnam,
270. Rex CORVINE tibi: qui scripta sacrata ferentes,
 De CHRISTO fuerant sanctissima verba loquuti:
 Qui nihil, in scriptisque suis docuisse videntur
 Diuinum prater: qui nil meditantur in ipsis
 Quos scripsere libris, nisi forte sacrumque, piamque
275. Quod sit; quod mentes hominum faciatque pudicas.
 Cum libros, igitur sacros, CORVINE reponas
 Innumeros, medius nunc in penetralibus: illos
 Antiquis addens Grauis, priscisque Latinis,
 Euenit, ut de te: tanto magis ipsa vetustas
280. Vincatur; quanto libris magis vnus abundat
 Ipse sacris; caruere quibus duo, protinus ante
 Quam CHRISTI aduentus fieret: populusue Quirini,
 Et populus, qui grauigenas habitauerat urbeis.
 O laus! o sacris, late memoranda poetis!
285. O laus! in terris, qua non praestantior ulla
 Esse queat; nec qua tibi conuenientior adfit,
 Nec mage, qua proprios, merito tibi praestet honores,
 Nam: licet assidue, tot bellica facta gerantur
 Rex CORVINI tibi; possis ut Caesar haberi;
290. Aut is, qui Macedum, ductant in arma, phalanges:
 Attamen in bellis, cum se fortuna, gerendis
 Misceat, & magnam partem sibi ducat habendam
 Ex bene confectis rebus, sit ut illa putet; se
 Ius habuisse suum, super his, qua gesseris olim;
295. Egregiam quamuis tractaueris ipse per artem
 Omnia: consilio fueris licet usus, & acri
 Nec minus ingenii, fueris quam corporis usus
 Viribus; atque tua, dederis noua signa futuris,
 Virtutis, populis: animi documenta supremi.
300. Mentis at in rebus, non ius habet illa paratum;
 bique bonis animi, non vitur illa superbo
 Imperio; potis est hominum nec vertere mentes
 Qui sapiunt; animos, nec perturbare, quietos:
 Nec fortuna potest musarum innertere sedes,
305. Qua, cum ita nunc habeant se: Rex mortalia corda

Non

- Non modo concilias tibi nunc, hominesque peritos
 Deuincis grauibus meritis; sed Apolline dextro,
 Demulces adeo, tibi REX CORVINE! puellas
 Pieridas; faciens adeo tibi semper amicas
310. In tua vota trabis; fortunam & intra super te
 Nulla tenere putem; partem nec vendicet ullam
 Hac sibi de factis: sola ratione magistra
 Qua geris in studiis versatus, & artibus equis.
 Tam bene; tam placidisque modis; placidaue quiete;
315. Ut musa statuam omnes, Helicone relicto;
 Montibus Aoniis, sedes ubi prisca manebat
 Posthabitis; etiam permessi fluminis undis
 Desertis; Cyrra, deserto vertice, summa;
 Bellorophontei, neglecto fonte, Caballi:
320. Velle habitare tuos, Rex nunc CORVINE, penates;
 Vos apud, atque suas, statuam modo ponere, sedes;
 Atque nouum, plantare nemus, laurosque videntes,
 Hic, ubi nunc habitas; ubi nunc tua regia surgit:
 Sic nutrire parent: ut non, parnassia laurus
325. Prisca, sit in pretioque suo; nec nomina seruet
 Hac sua; Te propter, sed iam Coruina vocetur
 Laurus: & ob meritumque tuum, sic crescat, in altum
 Extendens ramos, ut sidera vertice tangat.
 Et merito! quoniam nullis in partibus orbis,
330. Pierides alibi sedes habuere paratas
 Arte magis; quam nunc, ubi regis, tecta refulgent
 Aurea, MATTHIAM; veteres, ubi forte, penates
 Stant CORVINE tui; deducta palatia caelo,
 Hic, ubi tot splendent iam nunc laquearibus aureis.
335. Nam: bene cum referat, musas habuisse, vetustas.
 Castalium fontem; Lymphis superantibus vnum,
 Inter vtrumque nitens Cyrra, Nisaeque cacumen
 Qui fluit: ob varias causas, qui nomen adeptus
 Est varium; multi ut quondam cecinere Poeta.
340. Rex CORVINVS, ut antiquos superaret honore;
 Ut meritis superat: binos modo surgere fontes,
 Optimus ille iubet musis; phoeboque sacros,
 Ex illis: alter Pario de marmore constat,
 Vetus ab Hetruscis oris; argenteus alter:
345. In quo celando, multum consumpsit & artis
 Pannoniae populus; quicquid Germanica tellus
 Possidet ingenii, nec non: fudisse videtur:
 Nunc opere in tanto, ne quid praestantius illo,
 Esse queat; toto, nec sit speciosus, orbe;
350. Aspice, quam sapiat Rex hic CORVINVS! id aude

LIII 3

In

- In regnis fecisse suis; quod nulla vetustas
Ausa sit, aut scierit: quis nunc MATTHIA per artem
Primus adinuenit; primus quoque praestitit auctor:
Ut geminos musae fontes habuisse ferantur,
385. Hac, ubi laurigerum nemus est, in parte, locatos
Diuersi generis fontes: ut tempus & affert
Aestatem, varium, nobis, hiememque vicissim.
Nam cum frigoribus, regio magis apta sit ista,
Rex tua: quam locus est, ubi permansere, priusquam
390. Ad te confugerent musae, colerentque penates
Inde tuos: illis, curas: nimis aspera bruma
Ne nocuisse queat, subita nouitate locorum.
Ergo facies: sedes, gelida, calidaeque, parata
Ut sit aqua; possint, qua membra fouere, sub altis
395. Tunc niuibus, gelidis aquilonibus aspera cum sit
Terra; nouam glaciem propter, cum flumina durant
In lapidem solidaum, gelidis concreta pruinis:
Piscibus & vitas adimunt, solidata fluenta
In morem saxi; cursum neque conficit unda,
400. Ut solet: at fundo, penitus durefcit, ab imo.
Hinc tibi, confectus fons est argenteus; unde
Emanent lymphae calidae; quibus aspera late
Frigora mollescant; casta quibus inde, Camena
Membra pudica lauent; gelidum vitentque rigorem.
405. At; cum vere nouo, redeunt noua tempora nobis,
Auratis, taurus renouat, cum cornibus annum,
Vertice sublato; terras aperitque virentes,
Mollibus in pratis, parios cum terra, colores
Gignit; & arboribus proprii redduntur honores,
410. Incipiunt latas, silua cum emittere, frontes:
Cum parit omnis ager; fruges, cum pingua, letas,
Alius arua ferunt; sulcos equantque profundos.
Cum philomena suas, geminans canit ipsa, querelas;
Cum placido, liquidum demulcent aera, cantu,
415. Rorsus aues varia; dulcesque, sub arbore, nidos
Inde locant, natisque suis proliquo futura.
Incipit, & radiis cum sol exurere colles
Montis, & ardenti sitientes reddere campos
Lampade; cum segetes aestas iam siccet adultas;
420. Cumque nouo, iam tunc phoebe radiantis, ab aestu
Membra leuant homines; frigusque, umbramque requirunt.
Cum, primis igitur: liquidus calet aestibus aer.
Ecce! iubet fontem, princeps CORVINE: secundum,
Marmore de pario, musis phoeboque sacrari:
425. Unde fluant lymphae gelidae, sub sidere cancri;

Unde

- Unde lauent, calida sub tempestate, puella
Corpora pierides; MATTHIAE in fonte: solebant,
Bellorophonteis lymphis velut ante lauari;
Tunc, ubi parnassi, nemus incoluere, bicornis:
430. Cum mersere caput, vitreis Heliconis in undis.
Fronibus hic lauri, quam sint viridaria, densis
Consta; quam nitidis, sint facta madentia, riuis?
Non meminisse queam: cum tanta sit aeris aequi,
Temperies illic; nulli subeunda procella.
435. Frigus, ut hanc turbet nullum; nullaque pruina,
Nulla hiemes; nullusque calor; non firius ardens.
Namque: ita concordant calidis, frigentia, rebus;
Atque ita conueniunt, nec non humentia, siccis:
Hic; ubi sunt horti regis: sunt instar eorum;
440. Hesperides, quos rite prius tenuere, puella.
Ut videas illic, quocumque in tempore, flores
Purpureos nasci, violasque, rosasque, peronnes
Quicquid Arabs felix mittit; Panchaia quicquid;
Quicquid, item: suauis, regio bene miscet, odoris:
445. Illa, queas hortis, spectare per omnia late
Nascier usque tuis; foetus pariterque creari
Rex CORVINE illic; quales creat Indica tellus
Diuersi generis, tales spectabis apud vos.
Cum bona temperies ibi sit seruata per auum;
450. Vos apud, aeternum densis viridaria lucis,
Sunt ubi nunc Musis per te CORVINA parata.
Usque adeo: Lyciam ut phoebus, Xantique fluenta
Non petat ulterius: Delon neque visat Apollo:
Nec vice, mutet iter, varia deus ille; domosque,
455. Tempore diuerso, diuersa, in parte, colendas.
Nec sit opus, meet ille vias, remeetque vicissim
Passibus alternis, abiens, rediensque per altam
Cyclada; per Lyciae populos; Xantique per undas.
Hic ver perpetuum quoniam viget; ingruit aestas,
460. Solibus a rapidis, non facta molesta; sed affert.
Temperiem, qua rite, bonam: qua fructibus aqua
Sit quoque gignendis; quos pars aestatis amica
Adtulit: in qua temperie queat omnis; & vna:
Pieris optatam sibi conseruare salutem.
465. Et dubitabis adhuc, Te Rex: magis esse beatum,
Omnibus inde viris: cum tot pia numina tecum
Hospitalio capias; noctesque, diesque libenter
Vos apud aeternos, cum sint mansura per annos,
Pro meritis CORVINE tuis; meritisque perite
470. Coniugis; atque domus vestra, natiue Ioannis.

Certe:

- Certe: nullus adest nunc: Rex! si cuncta requiram,
 Omnibus in terris: qui te felicior vno
 Sit modo; nec, gentes tribuant, cui: plura subacta
 Sic merito; nec cui plures tribuantur honores,
 475. Urbibus a cunctis orbis: populisque latinis,
 Iure quidem; princeps, cum sis vel pace, vel armis
 Tam bonus; ut te sit nullus, modo maior habendus:
 Te melior, toto, sit nemo repertus, in orbe.
 Vt tua facta probant: nullis cessura triumphis
 480. Priscorum; nullis etiam cessura trophais,
 Vtique probant: qua pace, bonus, facis omnia, princeps.
 Tam bona, tamque sacris etiam memoranda poetis;
 Sis, ut ob id: superis, late celebrandus, in oris
 Tempus in aeternum; terra celebrandus & ima
 485. Semper, ob egregium meritum, CORVINE! quod acer
 In bene, contuleras, meritos de nomine CHRISTI.
 Accipis hospitio dum Rex; dum sedibus amplis
 Donas, quosque viros; qui CHRISTO digna loquuti,
 Stant penes hunc ipsum; qui res hominumque Deumque
 490. Temperat; & superis pariter dominatur: & imis,
 A cunctis, celebreris item: mortalibus illis;
 Qui nemus ehyssum, multos coluere per annos.
 His quoque de causis: quia, quod scripsere librorum,
 Præcipis exscribi; posthæc tabulata per alta
 495. Ordine disponis: donatus ut omnis honore
 Intectis maneatque tuis, semperque moretur
 Vos apud, in vestrae positus penetralibus aule;
 Dum sol ducet equos, magnum per inane, volantes,
 Oceanique patris, fessos dum condet in undas.
 500. Nam: quicumque polos scanduntque, Ionemque tuentur,
 Assidueque vident, & contemplantur eundem,
 Corporeis, anima vinculis, quæcumque soluta;
 Sunt bene felices: quibus, & data regia summi
 Accipienda Dei; domibus, quicumque fruuntur
 505. In superis ano aeterno, sedesque beatissimas,
 Corpore deposito, subeunt; habitantque, tenentque
 Verbis, orantes veniam: precibusque pudicis.
 Obtineant, meritis pro talibus, à Ioue summo
 Quisque tuis; dentur feliciter omnia vobis
 510. Tempora; felicesque dies, dum vita manebit.
 Detur, ut imperio, iam pareat ultima tyle
 Victa tuo; veniatque tuis sub legibus orbis;
 Ingentique, domum redeas, dignatus honore:
 Gentibus a victis pulchros referasque triumphos.
 515. Ast vbi: Saturni, te consecisse iuuabit

Qua-

- Quatuor in terris cursus; hominesque pigebit
 Te regere imperiis; cupidusque redibis in astra:
 Vnde prius veniens, cancro demissus ab alto;
 Indueras, habitusque graues, moribundaque membra.
 520. De Ioue contendit illa tibi rursus eodem
 Felices anima: sedes, ibi certa, laborum;
 (Quos bene pro rebus, te delectabit, honestis,
 Suscepisse novos) data sit CORVINE merenti
 Aurea; perpetuum, semper mansura per auum:
 525. Qua Ioue supremo, superumque fruaris honore;
 Inuidiosa queat, quam non minuisse vetustas.
 Sed Tibi permaneat semper; dum Iupiter altus
 Vertet utrosque polos; dum sedibus ille supernis
 Stabit; & imperio caelum terrasque tenebit.
 530. Qui vero, ehyssosque colunt, & amena vireta;
 Qui nemus umbriferum; qui præta recentia rivis
 Vsque tenent; habitantque viri de limine vita;
 Quos tulit atra dies, prius, hunc quam viseret orbem
 CHRISTVS; & optatam nobis daret ille salutem.
 535. Qui caelum, terramque regit; qui sidera natu
 Temperat; & vitam cunctis, animamque ministrat
 Rebus; & innumeros, facit inde resurgere, soles.
 De quorum numero: fuerat diuinus Homerus,
 Pindarus atque sacer, prius extitit ore rotundo;
 540. Pythia, qui cecinit, volucrum certamen equorum:
 Nos apud atque Maro, nati, cui summa merenti
 Calliopea dedit, diuino ex ore loquuto:
 Quod nulli vatum, dederat pia musa, priorum.
 Hi Tibi: pro meritisque tuis; pro sedibus amplis;
 545. Quas satis egregias, statuisse merentibus illis
 Diceris, in laribusque tuis, domibusque sub altis,
 Vatribus hi multis animum, mentemque pudicam
 Inspirasse volent; ut qua cecinere poeta
 Ante quidem veteres: suavis dum vita manebat
 550. Priscorum in laudem, sublimia carmina regum.
 Hæc tibi decantent, hodierni temporis, omnes
 Vates, tot numeris confecta, tot artibus illa,
 Tot variata modis; tot sparsa coloribus aureis
 Priscorum vatum: quot quilibet ante fuisset
 555. Vfus in egregiosque viros, regesque canendos:
 Dum prius, augustosque duces; verumque potitos,
 Gestaque dum Macedum regis, super astra tulere
 Hinc dabitur, CORVINE Tibi, Rex optime regum,
 Proque tuis meritis, erga hos pro talibus actis.
 560. Sis, ut apud superos sacratio vnus; & inter

Mmm

Fe-

- Felices animas illas ; quibus , alta tonantis
Regia , iam colitur : sis instaurator earum
Nominis , & fama : sis accepturus ab illis,
Grande tuum meritum propter : Tibi premia tanta ;*
565. *Quanta Tibi nequeant homines prestare caduci.
Scilicet : ut sedes , illic Tibi certa paretur ;
In qua , sis cunctos exo fruiturus in annos ;
Visurusque DEI presentia numina summi.
Parte alia vates ; quorum modo nomina seruas ,*
570. *Nunc renouata libris multis , at sedibus altis,
Inde recepta tuis : quique ante fuere per orbem
Visi ; quam CHRISTVS , Deus Optimus , ima subiret.
Certe : inspirabunt animum , mentemque Poëtis
Omnibus egregiis : quorum modo vita superstes ,*
575. *Inter mortales , ut de te Talia cantent :
Qualia Virgilius cecinit : dum Roma triumphans
Exstitit , atque sacer numeris cantauit Homerus
Grandibus ; ut famam rebus daret ille canendis ,
Ad Troiam quondam , quas Lariseus Achilles
Gesserat ; ut raptos , patria foret vltus , honores.
Sic eris , a superis pariter , celebratus & imis :
Sic eris , in terris vnus ; quem Numina diuum
Conseruare velint regem ; cupiantque potiri
Rebus ; & imperio terra : mox alta supremi ,*
585. *Cui domus , ob meritum dabitur , subeunda Tonantis
In qua , qui terra , fueras dominatus , habenda :
Protinus ingenti , superum dignatus , honore ;
Calicolum sedes habites , teneasque beatas.*

Librorum Quatuor, Naldi Naldii, ad MATTHIAM,
Serenissimum Pannoniæ Regem

F I N I S.

HVNGARIAM NOVAM,
ELEGIA.

ERige de tumulo celsum caput , erige tandem
HVNGARIA! & caelo conspicienda veni!
Tempus ad hoc fueras , vasto quasi tecta sepulcro,
Et tibi , quæ species , abdita pene fuit.
Pulchra quidem es , sed forma tibi vix cognita quondam ;
Indigena & proprias vix bene norat opes.
Nam quoniam immensa es , poterat vix angulus iste
Nosse quid eximii distita terra ferat.
Ex aliis populis , tantum patris , vnus & alter
Discere , diuitiæ quæ tibi , quotque scatent.
Ergo videbaris tumulo ferme abdita ; quamvis
E gemmis tumulus conditus iste foret.
En! tandem emergis , propriisque erepta tenebris
Aetheris ad lumen , ceu rediuiua venis.
Et quibus a gemmis , fueras iam condita nuper ;
Fulgida nunc capiti structa corona tuo.
Qua fueras auri , quondam velut obruta massa,
Regifico luxu , nunc tibi picta clamys.
Quot tibi multiuga , vestiti ex arbore montes,
Quot campi segetum , qui genus omne ferunt.
Quot colles nectar pariunt qui dulce , quot amnes,
Queis facta innumeris piscibus vnda fluit.
Quot juga sub quorum , caueis sol decoquit aurum :
Quot thermæ , miseris profilit vnde salus.
Tot gemmæ fuerant , auri tibi copia tanta :
Ast instar tumuli , quod male nota forent.
Edita nunc exstant , & aperta luce fruuntur,
Et clamydem pingunt , & tibiserta parant.
Hoc opera BELII factum est ; hic auctor , ut omnis,
Omnia , quæ referunt Vngara rura , sciat.
Ille tuos montes plantis descripsit amictos,
Quæque suis pomis arbor onusta cadit.

*Nectara sint quamvis, totum vulgata per orbem,
Publica plus scriptis, reddidit ille suis.
Ille natas segetes, thermas aurique fodinas,
Edidit & liquida, qui fluit annis aqua.
Oppida, quot passim, numeras, quotque erigis vrbes,
Mellifluis in vulgus protulit ille stilo.
Denique, quodcunque est rari, quodcunque venusti
Explicuit libris, exhibuitque suis.
At quibus exhibuit libris? quibus aurea sandi
Copia, & eloquii lacteus annis inest;
E quibus & veneres omnes, omnesque lepores,
Et charites omnes, & decus omne scatet.
Altius haud unquam, nec torno exactius vlllo
Romæ majestas, ante locuta fuit.
Dulcior haud unquam, pabulis haud cultior vllis,
Gratia Romano fluxit ab ore prius.
Dum Latios redolet flores, tunc obuius: & dum
Non vomit ampullas, tunc stilus altus abit.
Qui brevis, is sensus facilis: nec demere verbum,
Nec verbum valeas substituisse nouum.
Is nitor est demum libris; ut lumina si quis
Fixerit, haud illinc eripuisse queat.
Est opus, ut totos, voluat, nolitque velitque,
Et legat Vngarico quicquid in orbe boni est.
Sic ergo e tumulo superas erumpis in auras
HUNGARIA! & viuens, docta per ora volas.
Sic tibi de gemmis, fueras queis tecta, corona
Editur ex auro, sic tibi texta clamys.
Nobilior vero, tua gemma, & purius aurum,
Eloquium BELLI est, eloquique nitor.*

Lubens & ex vero canebat

FRANCISCVS MARIA CAESARE.

